Digitized by Google

201
11 F
13

Digitized by Google

Digitized by Google

L. ANNAEI

SENECAE

OPERA OMNIA

TOM. II.

Digitized by Google

Digitized by Google

L. ANNAEI

SENECAE

OPERA OMNIA

QVAE SVPERSVNT

EX RECENSIONE

F. ERN. RVHKOPF.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

TOMVS SECVNDVS



AVGVSTAE TAVRINORVM
EX TYPIS IOSEPHI POMBA
ANNO MDCCCXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

L. ANNAEI SENECAE

DE PROVIDENTIA,

SIVE

QVARE BONIS VIRIS MALA ACCIDANT,

QVVM SIT PROVIDENTIA,

LIBER VNVS.

Digitized by Google

ARGVMENTVM.

I. Providentiam esse, ideoque et custodem rectoremque omnium rerum, statuit et colligit Seneca e motu, ordine et constantia mundi. At quum de his nulla sit quaestio, sed de eo, quare bonis viris mala accidant, quum sit Providentia (*quae verba tituli loco posuit Lactantius, lib. V, cap. 22, pag. 495 Heumann.*) *querentem amicum cum Deo in gratiam reducturus respondet primo, bonos viros a Deo amari; quin eius similes esse, virtute conciliante, nec ab eo malis affici, ut puniantur, sed pro liberis haberi atque castigari. II. Deinde mala non esse, quae viris bonis accidant, quippe quae in eos cadere non possint: mala a viris bonis vinci. Si quae tamen accidant, ea exercitationum loco sunt habenda, quibus virtus eorum magis elucescit, athletis similium, qui etiam per aspera indurantur, ac certamini, immo victoriae, praeparantur. Exemplo est Cato, cuius laudes concelebrantur. III, IV. Tum magis distincte procedit oratio ad demonstrandum, mala quae videantur, non esse mala; docet pro ipsis viris bonis esse, quibus accidant, sicut medicinam pro aegris. Indurantur sic etiam a Deo, qui se dignos producit in pugnam. V. Mala esse pro omnibus; ut boni viri sic a Deo habiti ac tractati clament aliis, et ostendant, non esse bona aut mala, quae vulgus putet: ad vera igitur illa spectent; et illa petant, haec fugiant. Ibidem addit viros bonos et volentes excipere: praebent enim se Deo et fato. Fatum est, et ab aeterno constitutum, quid gaudeas doleasque. VI. Denique repetit, mala non esse vera, quae viris bonis accidant; et Deum adducit pulcherrime adhortantem et ad robur excitantem. Liber praeclarus est. Quam sententiam et Lactantii locus adductus confirmat: « Si quis autem volet scire plenius, cur malos et iniustos Deus potentes, beatos et divites fieri sinat; pios contra humiles, miseros, inopes esse patiatur; sumat eum Senecae librum, cui titulus est:* Quare bonis viris multa mala accidant, quum sit Providentia: *in quo ille multa, non plane imperitia seculari, sed sapienter ac paene divinitus locutus est. Deus, inquit, etc. »*

Caeterum ἀποσπασμάτιον *id quibusdam esse videtur* (*vid. tamen not. p.* 10) *maioris operis, cui titulus liber de Providentia, et, ut videtur,* Moralium, *in quibus de omni materia ad philosophiam morum spectante fusius disputaverat.* (*Cf. Epp.* 106, 108, 109. *Lactant. lib.* I, *cap.* 16; *lib.* II, *cap.* 2; *lib.* VI, *cap.* 17, 24).

Iam vero quum Epistolas postremis aevi sui annis conscripserit, et hunc librum saltem sub Nerone, quum opibus et potentia floreret Noster, exaratum esse, nulli dubitamus.

De Lucilio Iuniore, Siciliae praefecto, cui et Epistolas et Naturalium quaestionum libros inscripsit, omnia sunt incerta. Hominem humili loco natum, ingenio, doctrina ac virtute praeditum, a Seneca adiutum, et ad honores quos gessit admotum esse, e Nat. Quaest. intelligimus. Poëma, cui titulus est Aetna, *antea Corn. Severo tribui solitum, recte a Wernsdorfio in poët. lat. minor. Lucilio Iuniori est restitutum. Plura dabimus in praefat. ad Epistolas Senecae, ubi omnia haec locum suum aptiorem sane quam hic nanciscentur; nam Lucilii nomen a Seneca epistolographo quodammodo* ἀδιάκριτον *et* ἀδιάτμητον *est.*

Digitized by Google

L. ANNAEI SENECAE

DE PROVIDENTIA,

SIVE

QVARE BONIS VIRIS MALA ACCIDANT, QVVM SIT PROVIDENTIA,

LIBER VNVS.

I. Quaesisti a me, Lucili, quid ita, si Providentia mundus ageretur, multa bonis viris acciderent

I. Ano. Se non omnia, quae de providentia Deorum dici possint, allaturum et inquisiturum esse mouet, sed quae ad Lucilium cum Diis bonorum amantissimis in gratiam reducendum sufficiant.

Lucili. Vide quae nos supra in Argumento breviter et sub finem.

Si providentia. Interpolaverant hic Christiani scioli *divina*, ita ut in quibusdam exemplar. legeretur *si divina providentia*, quod etiam in operis ipsius inscriptionem fluxit; quod, monente Pinciano, item dissentiente veteri scriptura, omisere recentt. edd. eleganter simul et vere; nam et Πρόνοιαν Graeci, et Providentiam Romani Stoici dicebant, subaud. additamentis, Tullio teste qui Nat. Deor. lib. II, cap. 72: *Vt, si quis dicat Atheniensium rempublicam consilio regi, desit illud*, Areopagi; *sic quum dicimus Providentia mundum administrari, deesse arbitror*, Deorum. *Plene autem et perfecte sic dici existimato, Providentia Deorum mundum administrari.* Quandoquidem vero de titulo verbum modo fecimus, moneamus, neque id *de Providentia*, neque illud *de Divina Providentia*, ab Annaei manu esse, sed τὸ *Quare bonis viris*, etc. quod in libr. Sicul. optim. totidem literis scriptum Muretus testatur.

Quid ita, si Providentia.... acciderent mala. Esse hanc querelam et vetustissimam et perpetuam, inde ab Homero Ioboque usque ad nostra

mala? Hoc commodius in contextu operis redderetur,

tempora, inter omnes constat. Hac observatione in errorem gravem deducti Ethnici, quibus alterius vitae haud satis firma notio fuit, aut Deos omnino negavere (ut in his Anapaesticis de Iove fulminatore, Aristoph. Nub. Act. I, sc. IV: Καὶ πῶς, ὦ μωρὲ σὺ, καὶ Κρονίων ὄζων, καὶ βεκκεσέληνε, Εἴπερ βάλλει τοὺς ἐπιόρκους, πῶς οὐχὶ Σίμων' ἐνέπρησεν, Οὐδὲ Κλεώνυμον, οὐδὲ Θέωρον; καίτοι σφόδρα γ' εἶτ' ἐπίορκοι), aut Deos finxere rerum humanarum, si non inscios plane, at certe incuriosos, ut canit Lucretius, de Rer. Nat. lib. I, vs. 57 sqq. *Omnis enim per se Divom natura necess'est Immortali aevo summa cum pace fruatur, Semota ab nostris rebus seiunctaque longe: Nam, privata dolore omni, privata periclis, Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri, Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.* Hac nititur defensio iniustitiae, a Glaucone instituta, ap. Platon. de Rep. II, pag. 209 sqq. Bip. T. VI. Hac Claudiani celebratissimus locus cuius id initium est: *Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem, Curarent Superi terras*, etc. (in Rufin. lib. I, vss. 1, 2 sqq.). Notiora haec quam quae hic appingere operae pretium sit. At libenter haec legentur antiqui cuiusdam apud Plutarch. in lib. Περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις: Πῶς δὲ, εἴπερ ὁ Θεός ἐστι, καὶ τῇ τούτου φροντίδι τὰ τῶν ἀνθρώπων οἰκονομεῖται, τὸ μὲν κακὸδηλον εὐτυχεῖ, τὸ δὲ ἀστεῖον τ' ἐναντία πάσχει; Ἀγαμέμνων τε γάρ, Ἀμφότερον, Βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής, ὑπὸ μοιχοῦ καὶ μοιχαλίδος ἠττηθεὶς ἐδολοφονήθη· καὶ ὁ τούτου δὲ συγγενὴς Ἡρακλῆς πολλὰ τῶν ἐπιλυμαινομένων τὸν ἀνθρώπων βίον καθάρας, ὑπὸ Δηϊανείρας φαρμακευθεὶς, ἐδολοφονήθη; Mox vividissime et eleganter Iovem et Providentiam incusans: Οὐκοῦν μηδ' ἐκεῖνο ὑμᾶς ἔρωμαι, σέ τε καὶ τὴν Πρόνοιαν, καὶ τὴν Εἱμαρμένην: Τί δή ποτε Φωκίων μὲν ὁ χρηστὸς ἐν τοσαύτῃ πενίᾳ καὶ σπάνει τῶν ἀναγκαίων ἀπέθανε, καὶ Ἀριστείδης πρὸ αὐτοῦ; Καλλίας δὲ καὶ Ἀλκιβιάδης, ἀκόλαστα μειράκια ὑπερπλούτουν, καὶ Μειδίας ὁ ὑβριστὴς, καὶ Χάροψ ὁ Αἰγινήτης, κίναιδος ἄνθρωπος, τὴν μητέρα λιμῷ ἀπεκτονώς; Καὶ πάλιν Σωκράτης μὲν παρεδόθη τοῖς Ἑνδεκα, Μέλιτος δὲ οὐ παρεδόθη. Καὶ Σαρδανάπαλος μὲν ἐβασίλευσε, θήλυς ὤν, Περσῶν δὲ τοσοῦτοι καλοὶ κἀγαθοὶ ἄνδρες ἀνεσκολοπίζοντο πρὸς αὐτοῦ.... ἵνα ὑμῖν μηδὲ τὰ νῦν λέγω, καθ' ἕκαστον ἐπεξιὼν τοὺς μὲν πονηροὺς εὐδαιμονοῦντας καὶ τοὺς πλεονέκτας, ἀγομένους δὲ καὶ φερομένους τοὺς χρηστοὺς, ἐν πενίᾳ καὶ νόσοις καὶ μυρίοις κακοῖς πιεζομένους.

In contextu operis redderetur. Non *reddentur*. Videtur hic ergo Annaeus proprium huncce et singularem librum de una ex iis quaestionibus quae circa Providentiam multiplices oriri possunt, conscripsisse; neque innuit quidem perspicue, a se aut scriptum esse, aut scriptum iri opus integrum, de quo his disputetur, nisi textus corrumpatur, ut tentavit Pincianus (vid. not. seq.): Neque ergo libet hoc μόριον, ἀποσπασμάτιον esse libri maioris, ut multi statuere: suspicari iure suo id poterant, decreverunt temerario. Non nego tamen tale aliquid compositum a Seneca, immo fateor in Lactantio saepe et in ipsius Senecae epistolis Annaeani operis de Providentia mentionem fieri. Sed quid inde? Aut ante absolutum opus id praemissum est, ut praeludium, πρόγραμμα; aut post evul-

quum praeesse universis Providentiam probaremus, et interesse nobis Deum: sed quoniam a toto particulam revelli placet, et unam contradictionem, manente lite integra, solvere; faciam rem non difficilem, causam Deorum agam. Supervacuum est in praesentia 2 ostendere, non sine aliquo custode tantum opus stare, nec hunc siderum certum discursum fortuiti impetus esse, et quae casus incitat, saepe turbari et cito arie-

gatum opus, ut Appendix et corolla.

Quum praeesse universis Providentiam probaremus. Proposuit Pincianus: *quo..... probamus.* Hoc autem est decretum stoicum, e Socratis schola petitum. Cf. *Tiedemann, Geist der Spekul. Philosoph.* T. II, p. 553 sqq. Academicorum quoque dogma est, quod tuetur Cicero, Nat. Deor. cap. 71, etc.

Manente lite integra. I. e. aliis de Providentia quaestionibus, v. g. an sit? an perpetua sit? an ubique sit? an minimas quoque res complectatur, et ut civitatum opes et clades, et principum res prosperas adversasque, ita privatorum homuncolorum spes, metus, irae, odia, amores, denique vitam totam curet? tum, si ad remotiora, neque ea absona tamen, inflexeris tete, utrumne Deus ipse sit, an Dei facultas? an cum fato eadem credenda? et id genus bene multa. Vid. haec in Procli decem Dubitationibus de Providentia.

Causam Deorum agam. Causam Deorum homuncio aget? ait quidam ohiurgator Senecae, ad hunc locum: vae superba et arrogans impietas! Sed quid hic, amabo, arrogantius, quid magis impium quam Claudiani in laudatis modo versiculis πολυθρύλητον epiphonema: « Abstulit hunc tandem Rufini poena tumultum, *Absolvitque Deos?* » Id est, ex rhetoricis figuris una, rara quidem, sed non insulsa, aut inefficax, quam optimus talium rerum scriptor *Fontanier* παραδοξασμὸν nominavit, quod ex insolita et inexspectata vocum sociatione exsiliat. Vt id Lucani de Ptolemaeo paene ultimo: *Laetatur honore Rex puer insueto, et quod sibi tanta* iubere Permittunt *famuli* aut Aquinatis poëtae in famoso ἐπιθαλάμῳ: *Sumere nocturnos* meretrix Augusta *cucullos Ausa*; aut id denique Bilbilici, lib. I, Epigr. L, vs. 34: *Miserere* tu *felicium*; quod aemulatus unus e Nostratibus ait: *Prenez pitié de notre gloire!*

Non sine aliquo custode, etc. Epicuri sententiam tangit. Cf. *Tiedemann*, opere multoties laudato, T. II, pag. 372 sqq. Caeterum fuse id et splendide Tull. de Nat. Deor. lib. II, Lactant. in libr. de Ira Dei, Theodoretus in orationibus sacris, *Massillon*, *Fénélon*, in aureo opusculo, *de l'Existence de Dieu.* Adi et multo his altiora, Psalm. XVIII, et Iobi lib.

Quae casus incitat. H. e. quae casu (*hasard*) incitantur, moventur.

Arietare. Temere ruere in se. Vid. de Ira lib. II, cap. 3, in not.

Digitized by Google

tare : hanc inoffensam velocitatem procedere aeternae legis imperio, tantum rerum terra marique gestantem, tantum clarissimorum luminum et ex dispositione lucentium : non esse materiae errantis hunc ordinem, neque quae temere coierunt, tanta arte pendere, ut terrarum gravissimum pondus sedeat immotum, et circa se properantis caeli fugam spectet; ut infusa vallibus maria molliant terras, nec ullum incrementum fluminum sentiant; ut ex minimis se-
3 minibus nascantur ingentia. Ne illa quidem quae videntur confusa et incerta, pluvias dico nubesque, et elisorum fulminum iactus, et incendia ruptis mon-

Aeternae legis. Ita vocabant mentem ac consilium divinum, sive ut Tull. de legib. lib. II, loquitur, rationem rectam summi Iovis. Hoc sensu dixerat sublimis Pindarus (referente Platone in Gorgia): Νόμον εἶναι πάντων βασιλέα θνητῶντε καὶ ἀθανάτων. Eodem quoque modo Euripid. in Hecub.: Ημεῖς μὲν οὖν δοῦλοί τε κἀσθενεῖς ἴσως· Αλλ' οἱ θεοὶ κρατοῦσι, χὠ κείνων κρατῶν Νόμος.

Gestantem, i. e. promoventem.

Luminum. I. e. siderum. Cf. Nat. Quaest. I. praef. 10 sqq.

Materiae errantis. Particulas intelligit materiae, quas, quod minimae et insecabiles sint, Epicurus vocat ἀτόμους, fingitque huc illuc suapte concitatas ferri.

Infusa..... terras. Oceanus, qui a natura per inferiores ac profundiores terrae partes profusus, quasi per *valles*, quatenus iuxta continentem et insulas extenditur, quibuscum aquam communicat ideoque eas *mollit*, fertiles reddit.

Nec ullum incrementum fluminum sentiant. Ob vapores quae ex undarum sinu exsurgunt. Id quoque φατνόμενον Ecclesiastes, cap. I, notat : *Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat.*

Ex minimis..... ingentia. Vt quercus, cedrus, etc. Hoc quoque stupens Cicero ait: *Seminis vim esse tantam, ut id quamquam sit perexiguum, tamen, si inciderit in concipientem comprehendentemque naturam, nactumque sit materiam, qua ali augerique possit, ita fingat et efficiat in suo quidque genere.* Cf. Arr. Manual. Epict. ubi eodem argumento Simplicius ad demonstrandam Providentiam utitur. Sic fere apud gallicum poëtam (*Lebrun*), in poëmate, cui mors vetuit ne ultimam manum imponeret (*la Nature*) dicitur Natura *Enfermer dans un gland des forêts innombrables.*

Elisorum. Vox quam mutuatus est Noster a poëtis. *Elidi* enim proprio sensu est e re aliqua eiici, cuius pressae vi multa duo latera coiere : quasi nempe e nube, ita firmiter pressa ut summa pars illius et ima adhaererent, fulmen emicaret. Haec quidem opinio erat, ut plurimum, accepta antiquis, quippe qui, naturalium rerum

tium verticibus effusa, tremores labantis soli, et alia quae tumultuosa pars rerum circa terras movet, sine ratione, quamvis subita sint, accidunt: sed suas et illa causas habent non minus quam quae alienis locis conspecta miracula sunt, ut in mediis fluctibus calentes aquae, et nova insularum in vasto exsilientium mari spatia. Iam vero si quis observaverit nudari 4 litora pelago in se recedente, eademque intra exiguum tempus operiri, credet caeca quadam volutatione modo contrahi undas, et introrsum agi, modo erumpere, et magno cursu repetere sedem suam: quum illae interim portionibus crescunt, et ad horam ac diem subeunt, ampliores minoresque prout illas lunare sidus elicuit, ad cuius arbitrium Oceanus exundat. Suo ista tempori reserventur: eo quidem magis, quod tu non dubitas de Providentia, sed quereris. In gratiam te reducam cum Diis, adversus optimos optimis. Neque enim rerum natura patitur, ut unquam bona bonis noceant. Inter bonos viros ac Deum amicitia est, conciliante virtute. Amicitiam dico? immo etiam necessitudo ac similitudo: quo-

parum gnari, e coniecturis potius mundi arcana assequi tentaverant quam ex attenta τῶν φαινομένων observatione.

Incendia..... effusa. Montes dicit qui ob vertices ignivomos nobis appellantur *volcans*. Similiter Maro, Georg. lib. I, 472: *Vidimus undantem* ruptis *fornacibus Aetnam, Flammarumque globos liquefactaque volvere saxa.*

Calentes aquae. Cf. Plin. lib. II, cap. 106 ed. Bip.

In vasto. Haec pro *in vasto mari* positum patet, ut *in alto, in immenso*, etc.

Et nova insularum..... spatia. Ipse Nat. Quaest. lib. VI, cap. 21: *Theram et Therasiam, et hanc nostrae aetatis insulam, spectantibus nobis, Aegeo mari natam, quis dubitat?* etc. Consule praeterea Liv. lib. xxxix, sub fin. ubi eiusdem miraculi exemplar memoratur, et Plin. Hist. N. lib. II, cap. 89 ed. Bip. et lib. IV, cap. 12.

Iam vero, etc. Conf. infr. quae dixit Nat. Quaest. lib. III, cap. 28.

Necessitudo. Necessitudines appellabantur Romanis aut arctissimae illae amicitiae, quibus devincti non iam duo, sed unum quid et idem erant, aut propinquitates affinitates-

niam quidem bonus ipse tempore tantum a Deo differt, discipulus eius, aemulatorque et vera progenies, quem parens ille magnificus, virtutum non lenis exactor, sicut severi patres, durius educat. Itaque quum videris bonos viros acceptosque Diis, laborare, sudare, per arduum escendere, malos autem lascivire et voluptatibus fluere, cogita filiorum nos modestia delectari, vernularum licentia: illos disciplina tristiori contineri, horum ali audaciam. Idem tibi de Deo liqueat. Bonum virum in deliciis non habet: experitur, indurat, sibi illum praeparat.

II. Quare multa bonis viris adversa eveniunt? Nihil accidere bono viro mali potest; non miscentur contraria. Quemadmodum tot amnes, tantum superne deiectorum imbrium, tanta mediterraneorum vis fontium non mutent saporem maris nec remittunt quidem: ita adversarum impetus rerum viri fortis non vertit animum. Manet in statu, et quidquid evenit, in suum colorem trahit. Est enim omnibus externis potentior; nec hoc dico: non sentit illa, sed vincit, et alioquin quietus placidusque, contra incurrentia attollitur. Omnia adversa exercitationes putat. Quis autem, vir modo et erectus ad honesta, non est laboris appetens iusti et ad officia cum periculo promptus? Cui non industrioso otium poena est? Athletas videmus, quibus virium cura est, cum fortissimis quibusque

que; his enim quasi necessario videtur natura connexuisse animos et devinxisse.

Escendere. En hic rursus illa vox *escendere* occurrit quam non semel Annaeanis in libris repertum iri supra (de Tranq. Anim. cap. ultim. T. I, pag. 265) asseveravimus; et τῷ *ascendere*, ut priore loco, multo acutior et vividior; quippe quae ascendentis nisum clare significet, et tanto isti vocabulo (*ascendere*) praestet, quanto apud Nostrates τὸ *gravir* superius est τῷ *s'élever* aut *monter*.

Non mutant.... remittunt quidem. H. e. amaritudinem hanc nimii salis quod sibi admixtum marinae undae circumferunt, aut tollunt omnino, aut imminuunt. Neutrum vero fieri nota res est.

Digitized by Google

confligere, et exigere ab his, per quos certamini praeparantur, ut totis contra ipsos viribus utantur. Caedi se vexarique patiuntur; et, si non inveniunt singulos pares, pluribus simul obiiciuntur. Marcet sine adversario virtus; tunc apparet quanta sit, quantum valeat, quantumque polleat, quum quid possit, patientia ostendit. Scias licet, idem viris bonis esse faciendum, ut dura ac difficilia non reformident, nec de fato querantur: quidquid accidit, boni consulant, in bonum vertant. Non quid, sed quemadmodum feras interest. Non vides quanto aliter patres, aliter matres indulgeant? illi excitari iubent liberos ad studia obeunda mature, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, et sudorem illis, et interdum lacrimas, excutiunt: at matres fovere in sinu, continere in umbra volunt; nunquam flere, nunquam tristari, nunquam laborare. Patrium habet Deus adversus bonos viros animum, et illos fortiter amat: et, « Operibus, inquit, doloribus, ac damnis exagiten- » tur, ut verum colligant robur. » Languent per inertiam saginata, nec labore tantum, sed motu, et ipso

Nec de fato querantur. Porro ea est consuetudo mortalium, ut si quid secus evenerit, fatum, astra, Deos, εἱμαρμένην, non se incusent, ab hominibus semper culpam in negotia transferentes. Vid. Sallust. bell. Iugurth. cap. 1 fin.

Boni consulant. Ita consilientur ut etiam e re mala bonum aliquid exsiliat. *Consulere* idem est ac *consilium capere.*

Quid.... feras. Orbitatem, v. g. aut egestatem, aut contumelias iniusteve inustum dedecus, aut, nam quid accidere non potest? verbera et cruciatus et admotam publice necem.

Aliter. Pro *dissimiliter.* Rara hoc sensu vox apud bonae notae bonique aevi scriptores.

Sudorem. Exercitationibus gymnicis opponitur hic *umbra*, uti apud Ciceron. Brut. cap. 9, *umbracula.*

Patrium. Hoc est, paternum, κατ' ἀντίθεσιν indulgentiae huic maternae, qua nimium amatus puer emollitur sensim depravaturque.

Operibus..... colligant robur. Par Horatii severitas, alioquin parum severi, canentis lib. III, Od. II init. *Angustam, amici, pauperiem pati Robustus acri militia puer Condiscat..... Vitamque sub dio et trepidis agat In rebus.*

Motu. Vulgata lectio, eaque unice

sui onere deficiunt. Non fert ullum ictum illaesa felicitas: at ubi assidua fuit cum incommodis suis rixa, callum per iniurias ducit, nec ulli malo cedit; sed
5 etiamsi ceciderit, de genu pugnat. Miraris tu, si Deus ille bonorum amantissimus, qui illos quam optimos esse atque excellentissimos vult, fortunam illis, cum qua exerceantur, assignat? Ego vero non miror, si quando impetum capiunt Dii spectandi magnos viros, colluctantes cum aliqua calamitate. Nobis interdum voluptati est, si adolescens constantis animi irruentem feram venabulo excepit, si leonis incursum interritus pertulit: tantoque spectaculum est gratius,
6 quanto id honestior fecit. Non sunt ista, quae pos-

praeferenda. Bonis viris mala Deus tantum tribuit, quippe quibus robur inest. Caeteri inertes et deiecti non solum labore exiguo, sed parco adeo motu defatigantur. Aliquot Mss. *mole*. Male, quod quemque nexus et series facile docebit. *Mole* quoque et *onere* fere idem valent. Igitur *motu* praetuli τῷ *mole*.

De genu pugnat. Ελλειψις elegans quam optime Noster explicat Ep. LXVI: *Qui succisis poplitibus in genua se excepit, nec arma dimisit*. In certaminibus gladiatorum hoc saepe accidisse, neque per se obscurum est, et statuae hodieque exstantes docent, inprimis gladiator nobilis Borghesianus, ut vocant, quem e Corn. Nep. Cabr. lib. I, cap. 1, expressum falso putabat Lessingius, ab Heynio meliora edoctus.

Fortunam illis.... assignat. Adversario loco nempe, quem impugnent viribus totis, quo maiores, etiam victi, esse videantur.

Impetum capiunt Dii spectandi. Id est, praecipites irruunt, et quasi e sedibus suis, ex Olympo suo, ferantur spectaturi.

Si adolescens..... interritus pertulit. Nihil his prodigiis, quae fidem nostram prope excedunt, apud Veteres, praecipue apud Romanos, Imperatorum tempore, crebrius fuit. Legendus de his Martialis liber, qui Spectaculorum dicitur; ubi inter alia unus memoratur adolescens aprum, ursum, pardum et leonem interemisse. Ita se habet epigramma (XV): *Summa tuae, Meleagre, fuit quae gloria famae, Quantula Carpophori portio, fusus aper? Ille et praecipiti venabula condidit urso, Primus in Arctoi qui fuit arce poli: Stravit et ignota spectandum mole leonem, Herculeas potuit qui decuisse manus; Et volucrem longo porrexit vulnere pardum*. Adi quoq. eiusd. lib. Epigramm. XXIII et XXVII; et, quod magis attonitus leges, Epigr. VI, quo narratur foemina in amphitheatro cum leone decertavisse.

Honestior. *Honestus* idem est ac *ingenuo, immo illustri loco natus*.

Digitized by Google

sunt Deorum in se vultum convertere, sed puerilia, et humanae oblectamenta levitatis. Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus: ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus, utique si et provocavit. Non video, inquam, quid habeat in terris Iupiter pulchrius, si convertere animum velit, quam ut spectet Catonem, iam partibus non semel fractis, stantem nihilominus

Gallice nos aliquando similiter diximus nobiles viros *les honnêtes gens*. Quod ad sensum pertinet, nil confragosum est. Etenim iste olim sub principibus invaluit mos, ut equites atque senatores, obliti sui, componerentur cum gladiatoribus. Vide ipsum Senec. Epist. CVI, ubi: *Adspice illos iuvenes, quos ex nobilissimis domibus in arenam luxuria coniecit.* Item Quaest. Nat. lib. VII, cap. 31 sub fin.

Operi suo. Mundo regendo et conservando. Id enim Dei opt. max. proprium maxime munus est, universa ita temperare, ut servato ordine et aequabili motu et partium omnium manente concordia, uno verbo, κατὰ κόσμον τε καὶ καθ' ἁρμονίαν cursus suos conficiant. *Opus Dei* igitur non est, ut Gallici ἰδιωτισμοῦ instar dixeris, mundus a Deo creatus, sed mundi conservatio.

Par. (Gall. *couple*). Duorum societas, ut *invictum par consulum* Paterc. II, 46; sive amicorum, ut apud Cic. de Amic. 15, sive hostium. *Par gladiatorum* centies occurrit.

Compositus. Hoc est, luctans, sive luctaturus. Perpetuo his vocabulis utuntur *committere* et *componere*, quum de adversariis locuturi sunt quorum alium alius impugnaturus est. Pauxillum tamen discrepantiae inte-

rest, nempe non habito praeliantium numero *committi* posse unum cum duobus, cum tribus, cum multis, sed *componi* semper unum cum uno, duos cum duobus, etc. Quod mox occurrit, τὸ *utique et si provocaverit*, eo sensu intelligendum scito quo si scripsisset, *aut se cum ea componens.* Namque saepius quidem vir fortis a fortuna impetitur, lacessitur; interdum tamen hanc videtur ipse lacessivisse et provocavisse, quum in suum sponte malum, bene agens, currit.

Partibus. Pompeianis nempe, quae tamen rempublicam et imperii veterem formam tuebantur. Sed nihil mirum est partes et quasi factionem hos vocari, quos sola rebelles victoria declaravit.

Non semel. Primo quidem, Italia adempta, quam ante praelium, ante tubas, optimates et Pompeiani dereliquere; mox, Hispania subiugata, tum Pompeio apud Pharsalum in fugam coniecto, moxque occiso; deinde Scipione (Q. Caecil. Metello) ad Thapsum in Africa ad internecionem usque deleto.

Stantem rectum. Eamdem imaginem Flaccus habet de Catone, lib. II, Od. 1: *Et cuncta terrarum subacta, Praeter atrocem animum Catonis.*

7 inter ruinas publicas rectum. Licet, inquit, omnia
in unius ditionem concesserint, custodiantur legio-
nibus terrae, classibus maria, Caesarianus portas mi-
les obsideat; Cato, qua exeat, habet: una manu latam
libertati viam faciet; ferrum istud, etiam civili bello
purum et innoxium, bonas tandem ac nobiles edet
operas; libertatem, quam patriae non potuit, Catoni
dabit. Aggredere, anime, diu meditatum opus; eripe
8 te rebus humanis. Iam Petreius et Iuba concurrerunt,

Licet, etc. Multa ex his quae secum et solus hic Cato disserit in celeberrimo soliloquio anglicae fabulae *the death of Cato* reperies.

Vnius. Ea vox est prope sola qua μοναρχίαν eleganter simul et perspicue Romani significent. Tacit. Histor. lib. I, cap. 1: *Postquam bellatum apud Actium, atque omnem potestatem ad unum conferri pacis interfuit.* Idem, Tac. Annal. lib. I: *Vnum imperii corpus unius animo regendum videtur.* Simillime et apud Graecos Homerus, Iliad. B: Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω, Εἷς βασιλεύς; et apud Nostrates M. J. *Chénier*, in pulcherrima Elegiarum, *la Promenade: De ces pleurs, de ce sang* un homme *est héritier! Aujourd'hui, dans* un homme, *un peuple est tout entier.*

Caesarianus obsideat. Nam praemiserat Caesar Vticam cum equitatu M. Messallam, ipse eodem iter faciens. Hirtius de Bell. Afric. cap. 86, 88. Caeterum de Catone conf. Plutarch. in eius vita.

Etiam civili bello purum et innoxium. Quod valde mirandum; nil enim sceleri aliquem propius admovet, nil in nefas citius impingit quam civilis furor, ut ipse Cato apud Lucanum praedicat, Pharsal. l. II: *Summum, Brute, nefas civilia bella fatemur.* Nam in his arma *neque parari, neque haberi possunt per bonas artes* (Tacit. Annal. lib. I); et a dimicantibus *dicta alia, sed certatum utrimque de dominatione est.* Sallustius in Fragm.

Aggredere, anime. Saepe apud Senecae aequales ea formula recurrit se ipsum vel ad vindictam vel ad fortitudinem concitandi. Senec. Tragic. (qui fortasse idem cum Nostro est) Med. vss. 40, 41 sqq.: *Per viscera ipsa quaere supplicio viam, Si vivis, anime, si quid antiqui tibi Remanet vigoris; pelle foemineos metus Et inhospitalem Caucasum mente indue.* Item, Thyest. vss. 192, 193: *Age, anime, fac quod nulla posteritas probet, Sed nulla taceat.* In his omnibus tamen non est eadem ἔμφασις quae in nostra lingua esset, si quis forte animum suum ita alloqueretur.

Iam Petreius et Iuba... caesi. Si Hirtium loc. laud. cap. 93, 94, alios-que auctores audias, et M. Cato prius sibi ipsi manus intulit, quam Petreius et Iuba, et Petreius a Iuba, hic a servo interfectus est. Sic enim Hirtius, in re tali maxime probabilis scriptor: *Rex interim Iuba, ab*

iacentque alter alterius manu caesi. Fortis et egregia fati conventio, sed quae non deceat magnitudinem nostram ! tam turpe est Catoni mortem ab ullo petere, quam vitam. Liquet mihi, cum magno spectasse gaudio Deos, quum iam ille vir, acerrimus sui vindex, alienae saluti consulit, et instruit discedentium fugam: dum etiam studia nocte ultima tractat, dum gladium sacro pectori infigit, dum viscera spargit, et illam sanctissimam animam, indignamque quae ferro

omnibus civitatibus exclusus, desperata salute, quum omnia conatus esset, cum Petreio, ut per virtutem interfecti esse viderentur, ferro inter se depugnant. Firmior imbecilliorem, Iuba Petreium facile ferro consumpsit. Deinde ipse sibi quum conaretur gladio traiicere pectus, nec posset, precibus a servo suo impetravit ut se interficeret, idque obtinuit. Diversa tamen narratio de his rebus fuisse videtur in antiquitate. Florus, v. g. lib. IV, valentiorem Petreium dicit, hoc modo: *Iuba, quum se recepisset in regiam, magnifice epulatus cum Petreio, fugae comite, super mensas et pocula interficiendum se ei praebuit: ille et regi suffecit et sibi.* In hoc autem consentit Florus cum Seneca, quod id factum narrat antequam manus sibi inferret Cato. Livius, quantum ex Epitom. lib. CXIV colligitur, de Petreio cum Floro facit, de tempore dissentit. Prius enim narrat mortem Catonis. Dio Cass. lib. XLIII, Senecam sequi videtur; Hirtium Appianus. Caeterum et Noster in historia parum accuratus, ἀκριβῶς (hoc iam non semel notavimus), id potissimum, de Rhetorum more, sequitur, unde splendida magis ac vivida efflorescat oratio.

Fortis... conventio. Id est, pactum inter ipsos de accelerando mutuis ictibus fato, de morte sibi invicem inferenda.

Magnitudinem nostram. Emphatice pro *meam*. Cato ipse loquitur. Hoc sententiam infra elucidat.

Tam turpe est.... vitam. Vitam ab hoste erepturo precari, turpissimum et ignavi ingenii; mortem, quum vivere liceat, petere, fortitudinem habet magnamque constantiam; fortius multo tamen hanc aliquem sua sibi manu dare, neque externa adiumenti indigum, neque sanguini suo suas manus admovere reformidantem.

Liquet mihi, etc. Non iam Cato loquitur, sed Annaeus.

Acerrimus sui vindex. Hoc est, vindicans se acerrime in libertatem, non vindictam petens.

Instruit discedentium fugam. Ordinat, digerit, monetque discedere in Hispaniam parantes, qua via, qua nave, quibus artibus, quorum auxilio optatos locos deveniant. Sic enim mori certus, commilitonum vitae Cato consuluit.

Studia. Platonis inclytum dialog. *Phaedonem*, de anima et immortalitate, legisse dicitur Plutarcho.

Viscera spargit. Nam quum non

9 contaminaretur, manu educit. Inde crediderim fuisse parum certum et efficax vulnus; non fuit Diis immortalibus satis, spectare Catonem semel: retenta ac revocata virtus est, ut in difficiliori parte se ostenderet. Non enim tam magno animo mors initur, quam repetitur. Quidni libenter spectarent alumnum suum, tam claro ac memorabili exitu evadentem? mors illos consecrat, quorum exitum, et qui timent, laudant.

1 III. Sed iam procedente oratione ostendam, quam non sint, quae videntur, mala. Nunc illud dico, ista quae tu vocas aspera, quae adversa et abominanda, primum pro ipsis esse, quibus accidunt; deinde pro universis, quorum maior Diis cura est, quam singulo-

intimo pectori adhaesisset mucro, accurrentesque famuli obligato iam iam vulneri fomenta pararent, ipse viscera traxit e corpore, sparsitque humi.

Inde... vulnus. Noli haec reiicula putare: primo enim adspectu frigere videntur. Spectant ad sententiam, quam exponit, de gaudio, quo Dii retentam ac revocatam virtutem spectaverint. Quae si advertes, a sciolo quopiam, nec a Seneca, haec profecta esse facile tibi persuadeas.

Retenta ac revocata... ostenderet. Quum vulnus, quod sibi fecerat, obligatum resolvit. Inde *difficiliori parte*, id est, morte repetita.

III. Ang. Ordine dicendorum indicato, docet, quae aspera et adversa videantur pro ipsis esse, quibus accidant.

Pro ipsis esse. Hoc est, fausta magis quam tristia et saeva, re quidem vera, esse: et prosperarum rerum numero ab iis etiam appendenda qui haec patiuntur. O fortunatos uimium, sua si bona norint, Quot miseros!.... Scilicet *pro* h. l. idem est ac *gratia* (graec. ὑπέρ, gallic. *pour*, *en faveur*); non idem ac *secundum* (graec. κατ' ὡς, gall. *proportionnellement*); hinc enim ille sensus oriretur: Quae aspera atque adversa dicimus, haec secundum mentem nostram sunt, haec animi habitum et statum sequuntur: ita ut, si boni nos sumus, bona sint; si mali et in libidinem proni, mala. Sensus quidem in se nec absurdus, nec inelegans, sed quem sequentia haud rectum neque genuinum demonstrant.

Vniversis... singulorum. Harum vocum ἀντίθεσις est, quae ubi caeterarum exceptione apparuit, phrasis tota clara ac dilucida est. Nempe mundum totum, et, ut Graeci dicebant, τὸ πᾶν Dii curant: porro curare τὸ πᾶν, hoc est, et partium omnium seriem universam, et singulas partes curare; quum autem e variis, immo et contrariis saepe partibus constet τὸ πᾶν, necesse est

Digitized by Google

rum; post haec, volentibus accidere, ac dignos malo esse, si nolint. His adiiciam, fato ista fieri, et recte eadem lege bonis evenire, qua sunt boni: persuadebo inde tibi, ne unquam boni viri miserearis; potest enim miser dici, non potest esse. Difficillimum, ex omnibus quae proposui, videtur quod primum dixi: pro ipsis esse quibus eveniunt ista, quae horremus ac tremimus. « Pro ipsis est, inquis, in exsilium proiici, in egestatem 2
» deduci liberos, coniugem efferre, ignominia affici,
» debilitari? » Si miraris hoc pro aliquo esse, miraberis quosdam ferro et igne curari, nec minus fame ac siti. Sed si cogitaveris tecum, remedii causa quibusdam et radi ossa et legi, et extrahi venas, et quae-

quasdam pro multis, pauciores pro pluribus, male affici.

Volentibus accidere. Hoc est, haec quae dicimus mala, a sapiente libenter accipi, utpote virtutis et patientiae exercendae occasionem afferentia.

Eadem lege. Pro *secundum eamdem legem.* Namque, si rem penitus excusseris, quae est lex hominis boni primaria, quae intimo pectori insculpta opinio? Bonum unum quid et idem cum virtute esse, Malum unum quid et idem esse cum Vitio, et vice versa. Clarissime sic efferrent Graeci: Τὸ ἀγαθὸν ἡ ἀρετὴ, τὸ κακὸν ἡ φαυλότης, vel captando expressius ἀντίθεσιν, qua praemissa, evidens id iam est: Τὸ καλόν τε καὶ ἀγαθὸν, ἡ καλοκἀγαθία· τὸ κακὸν, ἡ κακία.

Persuadebo. Haec pars in fine deest temporum iniuria. Tractavit tamen haec saepe alias: exempli causa, in lib. Consolationis ad Marciam.

Ignominia. Conf. de Ira, lib. I, cap. 16, 2.

Debilitari. Debilem esse, de membris vulneratis et confractis in usu est. Graev. ad Cicer. Agrar. II, cap. 33 Quamvis et de morbis aliquando dicitur quae non vulneratum hominem afficiunt. Sic apud Tacitum, Hist. lib. I, c. 9, quum Hordeonium Flaccum debilem pedibus ille dicit, eum podagra laboravisse inter doctos convenit. Sic et in iis Moecenatis: *Debilem facito manu, Debilem pede, coxa*, etc. Hoc ego loco de publica poena crudeli, qua quis unum alterumve corporis membrum amitteret, dictum esse puto.

Si miraris hoc pro aliquo esse. Eodem argumento Simplicius, philosophus quarti saeculi, utitur: Εἰ οὖν τὴν τῶν σωμάτων ἰατρικὴν γυμνάζουσαν, καὶ καίουσαν, καὶ κατατείνουσαν, καὶ μόρια ἀποκόπτουσαν, καὶ τὰ τοιαῦτα τοῖς ἀφειδῶς κολαζομένοις ἀνθρώποις ποιοῦσαν, οὐ κακὸν λέγομεν, ἀλλ' ἀγαθὸν, καὶ χάριν καὶ μισθὸν τελοῦμεν τοῖς ἰατρεύουσι· διὰ τί τὴν τοῦ Θεοῦ ἰατρείαν οὐκ ἀγαπῶμεν;

Radi ossa et legi. In curandis ulceribus aliquando non raduntur modo, sed et excidantur, ut videre est apud Celsum, lib. VIII; quibus au-

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

dum amputari membra, quae sine totius pernicie corporis haerere non poterant: hoc quoque patieris probari tibi, quaedam incommoda pro his esse, quibus accidunt, tam mehercules, quam quaedam quae laudantur atque appetuntur, contra eos esse, quos delectaverunt; simillima eruditatibus ebrietatibusque et caeteris, quae necant per voluptatem. Inter
2 multa magnifica Demetrii nostri, et haec vox est, a qua recens sum: sonat adhuc et vibrat in auribus meis. « Nihil, inquit, mihi videtur infelicius eo, cui » nihil unquam evenit adversi. » Non licuit enim illi se experiri. Vt ex voto illi fluxerint omnia, ut ante votum, male tamen de illo Dii iudicaverunt; indignus

tem excidantur, iis etiam vivis leguntur. Porro legebantur ossa mortuorum, ita ut *legere ossa* vocabulum sit Necrologici lexici, unde vividius de vivis dicitur.

Extrahi venas. Ex. caus. in varicibus vena aut exciditur, eximitur, aut aduritur: de qua varicum curandorum ratione duplici agit Celsus, lib. VII, c. 31, p. 493 sq. Bip. Praefero Lipsianae interpretationi: *extrahi venas*, id est, sanguinem e venis, metonymia usitata, uti *poculum obduci*. Agitur enim de duriore morbi curatione, uti de *ossibus* scalpello purgandi causa ab inflammatione, etc. *rasis* et *lectis*, e vulnere detractis. Conf. Consol. ad Marc. cap. 22, 1. De Benef. lib. V, cap. 24, 3.

Demetrii nostri. Demetrius Cynicus philosophus fuit, qui Senecae temporibus floruit; propterea que ab auctore dicitur *noster*. Vid. de eo ad lib. de Benef. VII. cap. 1, 2; cap. 2, 1; cap. 8, 2. Ep. XX, 62, etc. quorum locorum primo *magnum* eum appellat *etiamsi maximis comparetur*. Praeclarum eius fragmentum exstat ap. Stobaeum Serm. lib. VI fin. pag. 60 (213 Schow.). Cf. Fabricii Bibl. Graec. Vol. III, pag. 515. Harl.

A qua recens sum. Ab illa quidem voce *recens*, saepe substantivus pendet, quem iungit aut *ab*, aut *ex*. Martial. lib. VII, Epigr. 93: *Non ab amore recens hircus.* Cicero quoque, quamvis alio, sed non ita absimili sensu, ad Herenn. lib. II, cap. 10: *Homerus qui recens ab illorum aetate fuit.*

Nihil unquam evenit adversi. Perpulchre et acutissime *Lagrange*: « Celui qu'on ne peut féliciter d'aucun malheur. » Haec enim vis est τοῦ *evenit* quo aliquid secundi factum esse innuitur, et τοῦ *adversi* quo mala et tristes casus denuntiantur.

Male tamen de illo Dii iudicaverunt. Iniquàm, ait *Ruhkopf*, de eo tulerunt sententiam. Optime, modo *iniquam* memineris h. l. esse *non honestam*, *non decoram*. Hunc Dii esse angusti et infirmi animi virum credunt. Haec, et quae sequuntur ingeniosissima sunt et nova: nullus ante Annaeum sic de prosperis, de

Digitized by Google

visus est, a quo vinceretur aliquando fortuna, quae ignavissimum quemque refugit, quasi dicat: Quid ego istum mihi adversarium assumam? statim arma submittet; non opus est in illum tota potentia mea; levi comminatione pelletur, non potest sustinere vultum meum. Alius circumspiciatur, cum quo conferre possimus manum: pudet congredi cum homine vinci parato. Ignominiam iudicat gladiator, cum inferiore componi: et scit eum sine gloria vinci, qui sine periculo vincitur. Idem facit fortuna; fortissimos sibi pares quaerit, quosdam fastidio transit. Contumacissimum quemque et rectissimum aggreditur, adversus quem vim suam intendat. Ignem experitur in Mucio, paupertatem in Fabricio, exsilium in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. Magnum exemplum, nisi mala fortuna, non invenit. Infelix est Mucius, quod dextera ignes hostium premit, et ipse a se exigit erroris sui poenas? quod Regem, quem armata manu non potuit, exusta fugat? Quid ergo? felicior esset, si in sinu amicae

adversis rebus locutus erat. Multi quidem infortuniis consolatores sese admoverant, quidam dixerant in calamitatibus vim magni animi se maxime exserere, et maximis laudibus dignam praestare: at nullus, hoc modo Deos e caelo suo in res humanas inducens ita magnifice dixerat: Vos, infelices, Dii magni aestimant, quum vos cum fortuna componunt; vos, o perpetuum beati, nihili facium!

Mucio. Qui manum suam ipse in foco combussit Scaevola. E Livio, Floro, Dionys. Halic. lib. V; Val. Maxim. lib. III, capp. 2 et 3; Senec. Epist. LXVI, lib. II, cap. 12, aliisque. nota res est.

Rutilio. Conf. ad Consol. ad Marc. cap. 22, 2, et Athenaei, lib. IV, cap. 19, pag. 255, ed. Schaefer.

Tormenta in Regulo. Sequitur Noster vulgarem narrationem e Cic. Off. lib. III, cap. 26. Finib. lib. V, cap. 27, etc. notam. Totam tamen hanc historiam fabulosam et commentitiam esse primus docuit Palmerius in Exercitationibus, et quidem ad Appian. pag. 147 et 152, historicis argumentis nixus: cui sententiae et Garvius (*Anmerkungen zum dritten Bucheldes*, Cic. de Offic. pag. 257 sq.), ut philosophus calculum suum recte adiecit.

Quod Regem, quem armata... fugat. Haud absit a Senec. Martial. Epigrammate iam laudato (lib. I,

foveret manum? Infelix est Fabricius, quod rus suum, quantum a Republica vacavit, fodit? quod bellum tam cum Pyrrho, quam cum divitiis gerit? quod ad focum coenat illas ipsas radices, et herbas, quas in agro triumphalis senex vulsit? Quid ergo? felicior esset, si in ventrem suum longinqui litoris pisces, et peregrina aucupia congereret? si conchyliis superi atque inferi maris, pigritiam stomachi nau-

xxii, vss. 7 et 8), dicens: *Maior deceptae fama est et gloria dextrae: Si non errasset, fecerat illa minus.*

Fabricius.... quod ad focum.... vulsit. Quae hic de F. narrat Noster, alii (Cic. de Senect. 16. Plin. lib. IX, cap. 19, 26, 4 Bip. Val. Maxim. lib. IV, cap. 3, 5, etc.), de Manio Curio tradunt: neque inde colligas, Nostrum nomina virorum illorum coaevorum confudisse. Non enim ad historiam aliquam respexit Noster, sed de tota vivendi ratione Fabricii, ut hominis, antiquos mores secuti eiusdemque pauperis, retulisse putandus est.

In agro triumphalis. Lipsius sic repurgavit textum, eliminato τῷ *repurgando*, nonnullis Mss. adstipulantibus. Tacite probat I. M. Gesner. vir κριτικώτατος, ad Chrestomath. Plinian. pag. 1050 (IV edit.) — *In agro triumphalis senex*, etc. Occurrit celeberrimus Plinii locus Hist. Natur. Lib. XVIII, 3, ubi de pristina agrorum ubertate agens: *Quaenam ergo tantae ubertatis causa erat? Ipsorum tunc manibus imperatorum colebantur agri, ut fas est credere, gaudente terra vomere laureato et triumphali aratore.* Confer et Claudiani IV Consulat. Honor. V, 415: *Sordida Serranus flexit Dictator aratra; Lustratae Lictore casae, fascesque saligni Postibus affixi: collectae consule messes, Et sulcata diu trabeato rura colono.*

Longinqui litoris pisces. Vt muraenas Siculas, coracinos Niliacos, lupos ex Timavo, acipenseres Rhodios. Piscium maxime curiosi Apicii Romani erant, quos e remotissimis maribus collectos delectosque magnis impensis Romam advehi iubebant. Vid. apud eos qui de re helluaria quaedam habent, A. Gell. lib. VII, cap. 16; Athen. pass. Macrob. lib. III, Saturnal. Clem. Alex. Paedag. lib. II; Mart. lib. XIII, Epigr. lxxix—xci. Quidam de hac re scripserant ex professo libellos, ut Antiphanes et Hermippus apud Graecos, e Romanis Ennius et Varro.

Aucupia. Id est, aves captas. Celsus, lib. II, cap. 26, ubi et *venatio* de feris captis occurrit. Peregrina autem haec apud lautos erant, ut cattae e Pannonia, pavones e Samo, phasianus e Colchide, attagena Ionica, etc. Vid. eosd. auct. et Martial. lib. XIII, Epigg. lxi—lxxviii.

Conchyliis. Quae et multa et multi generis in Romanis mensis erant. Optima et quae maxime aestimabantur Hor. his vss. nominat: *Murice Baiano melior Lucrina peloris; Ostrea Circaeis, Miseno oriuntur echini: Pectinibus patulis iactat se molle Tarentum.* Ser. II, 4, 32. II. Sat. iv.

Superi atque inferi maris. Adriati-

Digitized by Google

seantis erigeret? si ingenti pomorum strue cingeret primae formae feras, captas multa caede venantium? Infelix est Rutilius, quod qui illum damnaverunt, 7
causam dicent omnibus saeculis? quod aequiore animo passus est se patriae eripi, quam sibi exsilium? quod Syllae dictatori solus aliquid negavit, et revocatus non tantum retrocessit, sed longius fugit? Vi-

cum vulgo et Tyrrhenum mare, quorum utrique adiacet Italia: haec namque extensa in longitudinem sic inter ista aequora stringitur, ut hoc septentrionem versus tendens, *superum* videatur, illud autem in meridiem, *inferum*. Hoc autem mare nominabant saepe etiam Romani *nostrum*.

Si ingenti pomorum strue cingeret primae formae feras .. venantium. Lipsius intelligit de apris in convivio appositis, iisque ornatis strue pomorum. Coll. Epist. 110. Sed suspiciens lectionis veritatem coniecit *opsoniorum*, me non probante. Ea enim, quae aprum cingere solent in convivio, opsonia non sunt (Horat. lib. II, Sat. VIII, 6-8). Fortasse scriptum erat *hortorum*, id est, rapulorum, radicum, etc. ex Horat. loc. cit. Cf. Horat. lib. II, Sat. IV, 16, ubi pro horti fructibus occurrit hortus. Illud *multa caede venantium* spectat ad *primae formae*, id est, pulchritudinis et magnitudinis eximiae. *Primus* pro *optimus*, ut nonnunquam occurrit. Martial. lib. XIII, Epigr. LXI: *Inter sapores fertur alitum primus Ionicarum gustus attagenarum.* Idem, eodem lib. Epigr. XCII: *Inter aves turdus, si quis me iudice certet, Inter quadrupedes mattea prima lepus.* Similiter *ultimus* pro *pessimus*, lib. eiusd. Epigr. XCV: *Matutinarum non ultima praeda ferarum Saevus oryx.*

Causam dicent omnibus saeculis? Hoc est, incusabuntur a posteris quod iniuste illum damnaverint, et causae dicendae necessitatem habebunt. Gall. vertit *Lagrange*: « Ceux qui l'ont condamné, en répondront à tous les siècles. »

Aequiore animo passus est.....exsilium. Namque iustus et probus ac suae sibi innocentiae conscius discedebat, ita ut in calamitate plauderet sibi, animumque solaretur; exsilium relinquens in partium furias et insaniam retrahebatur: timebatque ne in tot vitiis, tot sceleribus scatente urbe vitiosus ipse aut scelestus fieret.

Quod Syllae... negavit. P. Rutilius Rufus, vir omnium quos quidem ista aetas protulit, sanctissimus fuit; et quum ob multorum inimicitias quos sibi infensos integritate effecerat, repetundarum accusatus in exsilium perquam iniuste pulsus esset, Mitylenem se contulit; unde quum, Sylla in summam rerum evecto, amici impetrassent eum revocari, ille noluit, dicens: malle se pigere Romanos quod abesset, quam pigere quod reverteretur, negans se unquam patriae damno in res suas redintegratum iri.

Non tantum retrocessit. Vulgata eaque bona lectio, nec sollicitanda. Non tantum retro cessit, quaesiturus locum tutiorem, sed longius fugit e loco, ubi exsulabat, in ulteriora. Mox, *viderint*, *inquit* (Rutilius),

derint, inquit, isti, quos Romae deprehendit felicitas tua. Videant largum in foro sanguinem, et supra Servilium lacum (id enim proscriptionis Syllanae spoliarium est) senatorum capita, et passim vagantes per urbem percussorum greges: et multa millia civium Romanorum, uno loco post fidem, immo per ipsam fidem trucidata. Videant ista, qui exsulare non pos-
8 sunt! Quid ergo? felix est L. Sylla, quod illi descendenti ad forum gladio submovetur, quod capita consularium virorum patitur appendi, et pretium

isti, quos..... E codd. recepit Gron. Antea, *Viderint, inquit hoc.*

Quos Romae deprehendit felicitas tua. Quos Romae manentes, quos ab urbe nondum sponte exsules hic tu felix deprehendisti. Porro notum est Syllae cognomen datum *Felix*, quo inprimis gloriabatur gaudebatque, ita ut semper epistolarum initio scriberet L. Cornelivs Svlla Felix N. vel N. S. D.

Videant largum in foro, etc. Lacus Servilius erat in octava regione, iuxta Forum Romanum, ad latus partemque Capitolii, quod spoliarii loco tunc erat (vid. infra quid proprie spoliarium sit). Cic. pro Rosc. Amerin. cap. 32, eamdem crudelitatem Sullae tangit sic: *Multos caesos non ad Trasimenum lacum, sed ad Servilium vidimus.* Conf. Nostr. de Clement. lib. I, cap. 12.

Proscriptionis Sullanae spoliarium. Muretus ad hunc locum, doctissime, ut solet: *Pannicularia* sunt ea quae in custodiam receptus secum attulit: *spolia* quibus indutus est, quum ad supplicium ducitur. L. Divus Hadrianus, Decret. de bonis damnatorum. Ea milites pleramque inter se dividebant. Inde *spoliarium* locus ubi exsui solebant. Sen. Epist. 93 in fin. *Numquid aliquem tam cupidum esse vitae putas ut iugulari in spoliario quam in arena malit?* Lamprid. in Commod. *Gladiatoris cadaver in spoliario prodatur.*

Multa millia civium romanorum. Caedem eamdem exagitat Nost. de Clem. lib. I, cap. 12, in quo *septem millia* occisorum memorat. Plutarch. in Sulla, 30. Fuerant milites Crassi, quos etsi veniam a Sulla accepissent dedititii, tamen in Circo Flaminio interfici iussit. Intelligi potest quoque de Praenestinis aliisque multis ab eo occisis. Plutarch. cap. 32.

Immo per ipsam fidem. Neque enim in saevae memoriae locum convenissent, ni pactam fidem, ni ictum foedus adversus Syllanas iras credidissent pignus certissimum.

Videant.....non possunt. Conclusio ad quam omnis sermo tetendit hactenus Rutil. Suo mox ipsius nomine excipit Annaeus orationem.

Gladio submovetur. Militum ante ac post comitantium gladiis submovetur populus: alias hoc fieri solebat a lictoribus virga.

Appendi. Lipsio interprete: Supra Servilium lacum affigi. Mihi quidem videtur ad capita proscriptorum, Sullae a percussoribus traditorum,

Digitized by Google

caedis per quaestorem ac tabulas publicas numerat? et haec omnia facit ille, qui legem Corneliam tulit! Veniamus ad Regulum. Quid illi fortuna nocuit, quod illum documentum fidei, documentum patientiae fecit? Figunt cutem clavi, et quocumque fatigatum corpus reclinavit, vulneri incumbit, et in perpetuam vigiliam suspensa sunt lumina. Quanto plus tormenti, 9
tanto plus erit gloriae. Vis scire, quam non poeniteat hoc pretio aestimasse virtutem? Refice tu illum, et mitte in senatum: eamdem sententiam dicet. Feliciorem ergo tu Maecenatem putas, cui amoribus anxio, et morosae uxoris quotidiana repudia deflenti, somnus per symphoniarum cantum, ex longinquo lene resonan-

quasi per trutinam, respexisse Noster. *Ostendi*, quae diversa lectio est, explicationis causa a librario quopiam adiectum puto.

Pretium..... numerat. Duo videlicet talenta (circiter 10,500 fr.). Plut. Sull. cap. 31: *κἂν δοῦλος δεσπότην, κἂν πατέρα υἱὸς ἀνέλῃ.*

Legem Corneliam. De Sicariis, sive maiestatis, in eum qui maiestatem populi romani minuisset. Conf. Pighius in Annal. ad a. DCLXXII, Tom. III, pag. 260 sqq.

Vulneri incumbit. Quod sibi hoc ipso tempore infligit. Nimirum quamcumque in partem inclinatur, hic mucrones saevi, dirae acies, asperi ferri forma multiplex, unde subinde vulnus. Volebat, verbi gratia, brachio incumbere, brachio niti, sed ubi innixus est, vulnus habet et lucero membro incumbit.

Suspensa. Aperta, quae non connivent. Id autem e tot suppliciis saevissimum fuit, nunquam misero viro somni copiam datam. Tullius, in Pisonem: *M. Regulum illigatum in machina resectis palpebris Carthaginienses vigilando necaverunt.*

Eamdem sententiam dicet. Negabit nempe debere captivos Romanos redimi. Horat. lib. III, Od. IV fin. *Atqui sciebat quae sibi barbarus Tortor pararet, non aliter tamen Dimovit*, etc. Simillime Cicero, de Offic. lib. III: *Neque tamen ignorabat se ad crudelissimum hostem, et ad exquisita supplicia proficisci, sed iusiurandum conservandum putabat!*

Maecenatem. Plin. Nat. Hist. lib. VII, cap. 52, febri perpetuae hoc tribuit, quod Noster (hoc loco et Ep. 114 post init.) zelotypiae in uxorem Terentiam et pulcherrimam et infidam, quippe ab Augusto amatam, assignat, et a Dion. Cass. lib. LIV, cap. 19, et lib. LV, cap. 7, memoratae. Cf. Meibomii vita Maecenatis, 1635 Lugdun.

Aquarum fragoribus. Ad aquas et minutos Euripos spectat, qui per coenationes inprimis aestivas divitum et luxuriosorum deduci solebant. Quaest. Nat. lib. III, cap. 17. De Tranq. lib. I.

Digitized by Google

tium, quaeritur? Mero se licet sopiat, et aquarum fragoribus avocet, et mille voluptatibus mentem anxiam fallat: tam vigilabit in pluma, quam ille in cruce. Sed illi solatium est, pro honesto dura tolerare, et ad causam a patientia respicit: hunc voluptatibus marcidum, et felicitate nimia laborantem, magis his
2 quae patitur vexat causa patiendi. Non usque eo in possessionem generis humani vitia venerunt, ut dubium sit, an electione fati data, plures Reguli nasci, quam Maecenates velint. Aut si quis fuerit, qui audeat dicere, Maecenatem se quam Regulum nasci maluisse, idem iste, taceat licet, nasci se Terentiam maluit. Male tractatum Socratem iudicas, quod illam potionem publice mixtam, non aliter quam medicamentum immortalitatis obduxit, et de morte disputavit usque ad ipsam? male cum illo actum est, quod gelatus est sanguis, ac paulatim frigore inducto ve-

Tam vigilabit in pluma. Martial. lib. IX, Epigr. XCIII, vs. 4: *Pervigil in pluma Caius ecce iacet.* Hor. lib. III, Od. 1, 20: *Non avium citharaeque cantus Somnum reducent.*

Cruce. Id est, machina lignea ferreis clavis praefixa et supplicio Reguli comparata, alias et *arca* Ep. 67, appellata. Hanc Gronovii explicationem praefero Lipsianae et Salmasianae (de Cruce, pag. 491), qua recepta crux sensu proprio sumeretur.

Non usque eo..... velint. Possideantur quidem homines a vitiis frequentissimi, aliove modo, pravitas magna humanum genus invasit atque tenet; non ita tenet tamen, ut dubium sit an plures Reguli fata adversa, quam Maecenatis optima auteferant, hoc est, certissime plerisque magis placebit Regulum esse quam Maecenatem.

Terentiam, uxorem Maecenatis supra memoratam, Horatio dictam Licymniam, coaevis poëtis usitata ἐναλλαγῇ, esse maluit ob mollitiem. Porro existimat Noster peiorem etiam Maecenate semiviro mulierculam, tam quod infamis adulterio principali illa sit, quam quod mulieres parvi facere affectet, ut plerique Veteres, Seneca.

Obduxit. Idem fere est quod *duxit*, ergo quod *bibit;* nam *ducere potionem* saepissime dicitur.

Usque ad ipsam. Donec moreretur. Cuius disputationis collecta verba edidit Plato in Phaedone.

Quod gelatus est sanguis..... constitit? Adventantis mortis gradus sic quoque describit Plato, in Phaedon. pag. 264. Tom. I Bip.

narum vigor constitit? Quanto magis huic inviden- 11
dum est, quam illis quibus gemma ministratur, quibus exoletus omnia pati doctus, exsectae virilitatis, aut dubiae, suspensam auro nivem diluit? Hi quidquid biberint, vomitu remetientur tristes, et bilem suam regustantes; at ille, venenum laetus et libens hauriet. Quod ad Catonem pertinet, satis dictum est; summamque illi felicitatem contigisse, consensus hominum fatebitur, quem sibi rerum natura delegit, cum quo metuenda collideret. « Inimicitiae potentum gra- 12
» ves sunt? opponatur simul Pompeio, Caesari, Crasso. » Grave est, a deterioribus honore anteiri? Vatinio » postferatur. Grave est, civilibus bellis interesse? » toto terrarum orbe pro causa bona tam infeliciter,

Quanto magis..... ministratur. Divites eosque luxuriosos dicit, quibus vasa e gemma facta (de Benefic. lib. VII, cap. 9, Cic. Verr. lib. IV, cap. 27: *Vas vinarium ex una gemma vel e gemmis praegrandibus*) ministrat servus. Epist. 78. Quaest. Nat. l. IV, cap. 13.

Exoletus omnia pati doctus. Servi formosissimi et ex eorum numero qui ob muliebrium patientiam exoleti appellabantur, ministrabant in conviviis, sive vina et dapes, sive quae accumbentibus necessaria erant. Martial. lib. III, Epigr. LXXXII: *Iacet occupato galbinatus in lecto, Cubitisque trudit hinc et inde convivas, Effultus ostro, sericisque pulvinis. Stat exoletus, suggeritque ructanti Pinnas rubentes, cuspidesque lentisci.*

Aut dubiae. Ob mollitiem.

Nivem diluit. Nix diluebatur in triclinio, ut frigidos tantum liquores ebiberent, sacci adminiculo, quem saccum nivarium nominabant, et cuius in medio pruinis cincti labentia vina frigus contrahebant.

Hi quidquid..... regustantes. Quum immodice biberint, evomunt, vomitu eiiciunt, etc. Epist. 95: *Ante medium vinum omne vomitu remetiuntur.*

Collideret. Collidi est conflictari cum adversario pari. *Allidi* de ea re dicitur quae impugnat et frangitur, ut unda saxo; *collidi* de duobus quae inter se pugnant, se invicem feriunt et arietant. *Collidere* (activ. rarius) est has res committere.

Vatinio. Iste scurra et homo malus praelatus est Catoni in petitione praeturae. Cf. de Constant. Sap. cap. 17, 3. Sunt haec verba rerum naturae, i. e. Dei, qui malorum varias formas enumerat, nempe inimicitias cum potentibus, indigni aemuli victoriam, civile bellum, mortem voluntariam: omnia haec passus est Cato, felicissimus tamen sapientiorum consensu: ergo haec non mala sunt.

Tam infeliciter quam pertinaciter. Neque enim ante pugnare desiit quam de libertate et patrum institutis actum conclamatumque est, Pharsa-

» quam pertinaciter militet. Grave est sibi manus af-
» ferre? faciat. Quid per hoc consequar? ut omnes
» sciant, non esse haec mala, quibus ego dignum
» Catonem putavi. »

1 IV. Prospera in plebem ac vilia ingenia deveniunt: at calamitates terroresque mortalium sub iugum mittere, proprium magni viri est. Semper vero esse felicem, et sine morsu animi transire vitam, ignorare est rerum naturae alteram partem. Magnus es vir: sed unde scio, si tibi fortuna non dat facultatem exhi-
2 bendae virtutis? Descendisti ad Olympia: si nemo praeter te, coronam habes, victoriam non habes. Non gratulor tanquam viro forti, sed tanquam consulatum praeturamve adepto: honore auctus es. Idem dicere, et bono viro possum, si illi nullam occasionem difficilior casus dedit, in qua una vim sui animi osten-

liae et in Africa Iulianarum partium hostis acer sed infelix.

IV. Asc. Res adversae documenta sunt virtutis: nec ullus vir bonus magnusve esse aut dici potest, qui facultate aut occasione caruerit exhibendae virtutis. Quae igitur mala videntur, bona sunt, prout iis utaris.

Deveniunt. Ipsa plebs tantum prosperitate frui potest, quippe quae infortuniis non digna.

Calamitates terroresque..... mittere. Quis non sublimem Virgilii versum hic reminiscitur, Georg. lib. II: *Atque metus omnes et inexorabile fatum Subiecit pedibus.*

Morsu. Vt Graec. δῆγμα, de doloribus in usu est. Consol. ad Marc. cap. 7, 1. Cic. Dispp. Tusc. lib. IV, cap. 7.

Alteram partem. H. e. unam ex partibus, nempe mala et incommoda. Ne credas hic *alteram* in malam partem accipi debere ut Graec. θάτερον, θάτερα. Tam bene scripsisset si sensus pateretur: semper vero esse infelicem, et sine laetitiis transire vitam, ignorare est rerum naturae alteram partem.

Descendisti. Vt certaturus, ἀγωνιστής. Scilicet, quae planities ad certamina aut conciones publice destinabantur, semper infra circumstantes locos sitae. Sic Romae campus Martius; et Flaccus lib. III, Od. 1, stroph. 3: *Hic generosior* Descendat *in campum petitor.* Praetereaque certaturus corona ex olea decorabatur. Sed non idem sonat τὸ κότινον ἁιρεῖσθαι ac ἐστέφαι τὰ Ὀλύμπια, victoriam olympicam adipisci: quae habebatur olim gloria apud Graecos maxima. Vid. et Cic. pro L. Flacco, cap. 31. Conf. quae Davis. ad Cic. Tuscul. Dispp. lib. I, cap. 46. Petr. Faber, Agonisticorum lib. II, c. 16.

Coronam habes, victoriam non habes. Quicumque es ἀγωνιστής.

Vna. Ne unam quidem occasionem

Digitized by Google

deret : miserum te iudico, quod nunquam fuisti miser ; transisti sine adversario vitam. Nemo sciet, quid 3
potueris : ne tu quidem ipse. Opus est enim ad notitiam sui, experimento : quod quisque posset, nisi tentando non didicit. Itaque quidam ultro se cessantibus malis obtulerunt, et virtuti iturae in obscurum, occasionem, per quam enitesceret, quaesierunt. Gau- 4
dent, inquam, magni viri aliquando rebus adversis ; non aliter quam fortes milites bellis. Triumpho ego mirmillonem sub C. Caesare de raritate munerum audivi querentem : « Quam bella, inquit, aetas perit! » Avida est periculi virtus, et quo tendat, non quid passura sit, cogitat, quoniam et quod passura est, gloriae pars est. Militares viri gloriantur vulneribus,

habuit vim sui animi ostendendi. Lipsii itaque emendationem, *vivam* non admitto.

Miserum te.... miser. Vid. sup. c. 2, Demetrii Cynici verba, quae explicavit fusius Seneca atque illustravit.

Et virtuti iturae, sine hac occasione se ostendendi, in obscuritatem.

Gaudent..... adversis. Vt ille Diogenes Cynicus, laudante Lipsio e Stobaeo (Serm. 106, pag. 492), qui quum in casus quosdam adversos incidisset, exclamavit : Εὖγε, ὦ Τύχη, ὅτι μου ἀρρένως προσέθιξας· ἐν δὲ τοῖς τοιούτοις καιροῖς καὶ ταρσίζων ἀνεφώνει. Euge, o Fortuna, quod viriliter me tractasti! Idem in huiusmodi casibus alta voce cantillabat.

Triumpho ego mirmillonem, reduxi e codd. Triumphus enim nomen est gladiatoris, eiusque nobilioris, viribus, arte, ornatu, eo celebritatis progressi, ut hunc, aliumque cui nomen Myrino, C. Caesar, impensis suis, proprios sibi et peculiares aleret. Vid. Sueton. Domit. cap. 4. De utroque mentionem quoque iniecit Martialis, Epigr. xx, de Spect. ubi: *Dum peteret pars haec Myrinum, pars illa Triumphum, Promisit pariter Caesar utraque manu.* Rubeu. et Gron. emend. *Triumphum ego mirmillonem*, quod verum esse et a manu Senecae putans, in contextum tamen non admisi. Antehac neutrum in cod. legebatur. *Lagrange*, in textu latino post *bellis* scribit *Ego*, suppressa voce *Triumpho*. Idem habet Bipont. edit.—*Mirmillo* gladiatorum genus, cum Threce et Retiario componi solitum. Ernesti Clav. Cic. ad hanc vocem.

Munerum. Munus gladiatorium, et hinc *munus* dare, persaepe occurrit pro gladiatores spectaculo dare. Martial. de eodem homine, lib. III, Epigr. XVI : *Das gladiatores, sutorum regule, cerdo!* Mox lib. III, Epigr. LIX, vs. 1 : *Sutor, credo, dedit tibi, culta Bononia munus.*

Digitized by Google

laeti fluentem meliori casu sanguinem ostentant. Idem licet fecerint, qui integri revertuntur ex acie, magis
5 spectatur qui saucius redit. Ipsis, inquam, Deus consulit, quos esse quam honestissimos cupit, quoties illis materiam praebet aliquid animose fortiterque faciendi: ad quam rem opus est aliqua rerum difficultate. Gubernatorem in tempestate, in acie militem intelligas. Vnde possum scire, quantum adversus paupertatem tibi animi sit, si divitiis diffluis? unde possum scire, quantum adversus ignominiam et infamiam odiumque populare constantiae habeas, si inter plausus senescis, si te inexpugnabilis, et inclinatione qua-
6 dam mentium pronus favor sequitur? Vnde scio, quam aequo animo laturus sis orbitatem, si, quoscunque sustulisti, vides? Audivi te quum alios con-

Meliori casu. I. e. in re gesta, quae felicior sibi honorificentiorque quam aliis fuit; *melior* idem quam clementior. Virg. Aen. lib. XII, vss. 179, 296.

Laeti fluentem..... ostentant. Id est, ostentant sanguinem, ictum non mortiferum, non corpus mutilaturum, nec spem curationis haud aerumnosae adimentem: Gronovio interprete.

Ipsis..... Deus consulit. Eorum bono et felicitati invigilat, iis gratificatur.

Quam honestissimos cupit. Honestissimos est in decus summum provectos et maxime honore condecorandos. Id monui, ne cum Nostro *Lagrange* hallucinerris, qui sic interpretatur: *De ceux qu'il veut élever à la vertu.*

Quoties illis materiam praebet, etc. Referendum id, ut et quae sequuntur, non ad *cupit*, sed ad *consulit*.

Gubernatorum in tempestate.... intelligas. Non eo tempore quo silent venti, *Ridet et infidi pellacia subdola ponti*, sciveris, an ille, qui gubernaculo assidet, gubernator vere sit; neque in umbra pacis quiescentem et ab armorum fragore remotum iudicaveris recte, an militaris rei peritus sit: in acie hunc, in procella illum expertus noris.

Odiumque populare. Non *odium populi*, sed popularium, συμπεσόντων, gallice *compatriotes*. Hic enim sensus usitatior. Horat. lib. II, Od. 13, vs. 25: *Et Aeoliis fidibus querentem Sappho puellis de popularibus;* ubi nescio quis volebat de his mulierculis illic agi, quae omnium, quae κοιναὶ et τριωβολίδες sunt. Perperam sane.

Quoscunque sustulisti. Quos liberos in familiam admisisti, tollens ex humo: quo facto nuntiabat pater placere sibi infantem in penatibus suis, ut suum, ali. Porro opponitur hoc sensu τὸ *tollere* τῷ *efferre*, quod de Libitinariis proprie dicitur et de

Digitized by Google

solareris : tunc conspexissem, si te ipse consolatus esses, si te ipse dolere vetuisses. Nolite, obsecro vos, expavescere ista, quae Dii immortales velut stimulos admovent animis! Calamitas virtutis occasio est. Illos merito quis dixerit miseros, qui nimia felicitate torpescunt, quos velut in mari lento tranquillitas iners detinet. Quidquid illis inciderit, novum veniet: ma- 7
gis urgent saeva inexpertos; grave est tenerae cervici iugum. Ad suspicionem vulneris tiro pallescit: audaciter veteranus cruorem suum spectat, qui scit se saepe vicisse post sanguinem. Hos itaque Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoscit, exercet; eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis servat. Erratis etenim, si quem iudicatis exceptum: veniet ad illum diu felicem sua portio. Quisquis videtur dimissus esse, dilatus est. 8
«Quare Deus optimum quemque aut mala valetudine, aut aliis incommodis, afficit?» Quare in castris quoque periculosa fortissimis imperantur? Dux lectissimos mittit, qui nocturnis hostes aggrediantur insidiis, aut explorent iter, aut praesidium loco deiiciant. Nemo eorum qui exeunt, dicit: «Male de me imperator » meruit» sed «Bene iudicavit.» Idem dicant quicumque iubentur pati timidis ignavisque flebilia. Digni visi sumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura posset pati. Fugite delicias; fugite enervatam felicitatem, qua animi permadescunt, nisi aliquid intervenit, quod humanae sortis admoneat,

Sandapilariis qui feretro compositum corpus et rogo iamiam imponendum domo efferebant; aliquando et de iis dicebatur, quorum pater, uxor, vel alii propinqui, morte absumpti erant.

Tenerae. Lectio codd. Alii *ferre*, ex quo Lipsius fecit *ferae*, id est, nondum cicuri.

Explorent iter. Bene se habet. Alii, *explorent interdum;* unde Lipsius fecit *interdiu*, ut nocturnis opponatur insidiis.

Male..... meruit. I. e. imperator me male habuit.

Digitized by Google

9 velut perpetua ebrietate sopiti. Quem specularia semper ab adflatu vindicarunt, cuius pedes inter fomenta subinde mutata tepuerunt, cuius coenationes subditus et parietibus circumfusus calor temperavit, hunc
10 levis aura non sine periculo stringet. Quum omnia quae excesserunt modum, noceant, periculosissima felicitatis intemperantia est. Movet cerebrum, in vanas mentem imagines evocat, multum inter falsum ac verum mediae caliginis fundit. Quidni satius sit, perpetuam infelicitatem quae advocat ad virtutem, sustinere, quam infinitis atque immodicis bonis rumpi? Levior ieiuno mors est: cruditate dissiliunt. Hanc itaque rationem Dii sequuntur in bonis viris, quam in discipulis suis praeceptores: qui plus laboris ab his
11 exigunt, in quibus certior spes est. Numquid tu invisos esse Lacedaemoniis liberos suos credis, quorum experiuntur indolem publice verberibus admotis? Ipsi illos patres adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter

Quem specularia. Fenestrae e lapide speculari fieri solitae apud Veteres: Lapis specularis est nostrum *spath*. Specularia seu speculares lapides materia quaedam lucida erant, et instar aeris transparens. Hanc Veteres fenestris imponebant, ut nostrum vitrum: de hoc Plinius Iunior, Ep. II, 17: *Deinde porticus in D literae similitudinem circumactae: quibus parvula, sed festiva, area includitur. Egregium adversus tempestates receptaculum: nam speculariibus, et multo magis eminentibus tectis muniuntur.* In balneis quoque usum specularium fuisse testatur et Noster, de balneorum luxuria agens, epist. 86: *Pauper*, inquit, *sibi videtur ac sordidus, nisi parietes magnis et pretiosis orbibus refulserint... Quantae nunc aliqua rusticitatis Scipionem damnet, quod non in caldarium suum totis specularibus diem admiserit?* In sellis etiam vel lecticis agnoscit Iuvenalis, Sat. IV, v. 21: *Quae vehitur clauso latis specularibus antro.* Tum et his arbores quaedam, uvae, rosae, cucumeres, et id genus alia per hiemem tegi et defensari a bruma, ut et hodie apud nos per hypocausta, notum est. Martial. lib. VIII, Epigr. XIV: *Pallida ne Cilicum timeant pomaria brumam, Mordeat et tenerum fortior aura nemus, Hibernis obiecta Notis specularia puros admittunt soles, et sine face diem. At mihi cella datur*, etc.

Crudelitate dissiliunt. Aegri nempe. Sensus vero est: Si quid contra edictum medici manducaverint, dissiliunt ob cruditatem cibi, qualis-

Digitized by Google

perferant, et laceros ac semianimes rogant, perseverent vulnera praebere vulneribus. Quid mirum, si dure generosos spiritus Deus tentat? Numquam virtutis molle documentum est. Verberat nos et lacerat fortuna: patiamur! Non est saevitia: certamen est; quo 12
saepius adierimus, fortiores erimus. Solidissima pars est corporis, quam frequens usus agitavit. Praebendi fortunae sumus, ut contra ipsam ab ipsa duremur. Paulatim nos sibi pares faciet. Contemptum periculorum assiduitas periclitandi dabit. Sic sunt nauticis corpora ferendo mari dura, agricolis manus tritae. Ad excutienda tela militares lacerti valent; agilia sunt membra cursoribus. Id in quoque solidissimum est, quod exercuit. Ad contemnendam malorum poten- 13
tiam, animus patientia pervenit: quae quid in nobis efficere possit, scies, si adspexeris, quantum nationibus nudis et inopia fortioribus, labor praestet. Omnes considera gentes, in quibus Romana pax desinit: Germanos dico, et quidquid circa Istrum vagarum gentium occursat. Perpetua illos hiems, triste caelum premit, maligne solum sterile sustentat, imbrem culmo aut fronde defendunt, super durata glacie stagna persultant, in alimentum feras captant. Miseri tibi viden- 14
tur? nihil miserum est, quod in naturam consuetudo perduxit; paullatim enim voluptati sunt, quae necessitate coeperunt. Nulla illis domicilia, nullae sedes

cumque demum aut quantuluscumque ille fuerit.

Perseverent vulnera praebere vulneribus. Hoc est, lacerata iam vulneribus, passim rupta membra flagellis praebere perseverent, quae nova vulnera incutiant.

Perpetua illos..... captant. Similis fere descriptio est Germanici caeli apud Tacitum, de mor. Germ. quam adeas. Quod ad sententiam universam et rem spectat, advertere est idem et hodiernis evenisse temporibus. Namque et ditior multo nostra Gallia est quam Hispania ac Italicae gentes quibus uberius soluun, et Galliam etiam longe praestat Britannia cui frigidissimus est aër et frugum minus fecunda tellus. Tanto industria et labor pollent!

Digitized by Google

sunt, nisi quas lassitudo in diem posuit; vilis, et hic quaerendus manu, victus: horrenda iniquitas caeli, intecta corpora: hoc quod tibi calamitas videtur, tot gentium vita est. Quid miraris bonos viros, ut confirmentur, concuti? Non est arbor solida, nec fortis, nisi in quam frequens ventus incursat; ipsa enim vexatione constringitur, et radices certius figit. Fragiles sunt, quae in aprica valle creverunt. Pro ipsis ergo bonis viris est, ut esse interriti possint, multum inter formidolosa versari, et aequo animo ferre quae non sunt mala, nisi male sustinenti.

4 V. Adiice nunc, quod pro omnibus est, optimum quemquem, ut ita dicam, militare, et edere operas. Hoc est propositum Deo, quod sapienti viro, ostendere haec quae vulgus appetit, quae reformidat, nec bona esse, nec mala: apparebunt autem bona esse. si illa non nisi bonis viris tribuerit; et mala esse, si malis tantum irrogaverit. Detestabilis erit caecitas, si nemo oculos perdiderit, nisi cui eruendi sunt. Itaque careant
2 luce Appius et Metellus. Non sunt divitiae bonum. Itaque habeat illas et Ellius leno, ut homines pecuniam quum in templis consecraverint, videant et in fornice. Nullo modo magis potest Deus concupita traducere,

V. Arg. Bono viro incommoda quoque tanquam bona eveniunt, ut omnibus bonum exemplum praebeat.

Tribuerit..... irrogaverit. Sibi opponuntur: tribuo aliquid boni, et irrogo, i. e. impono ut onus, mulctam, vincula publica, supplicium. Sub Caesaribus demum haec τοῦ *irrogare* vis increbuit.

Appius. Claudius re et nomine Caecus, Pyrrhi tempore. Liv. lib. IX, cap. 29.

L. Metellus. Pontifex, bis Consul, Dictator, triumphalis, primo Punico bello. Cf. de Brevit. Vit. lib. c. 14, 2. Plin. Nat. Hist. lib. VII, cap. 45 Bip. .....*Orbam luminibus exegit senectam, amissis incendio, quum Palladium raperet ex aede Vestae.*

Ellius leno. Homo merito alias ignotus, quippe cuius vita et quaestus circa lupanar et lupas versabatur.

Vt homines.... consecraverint. De pecunia et donariis, statuisque deorum dearumque ex auro argentoque confectis, iisque in templis sacratis intelligas.

Traducere. Contemptui et ludibrio

Digitized by Google

quam si illa ad turpissimos defert, ab optimis abigit. « At iniquum est, bonum virum debilitari, aut con- » figi, aut alligari; malos integris corporibus solutos ac » delicatos incedere. » Quid porro? non est iniquum, 3
fortes viros arma sumere, et in castris pernoctare, et pro vallo obligatis stare vulneribus: interim in urbe securos esse, percisos et professos impudicitiam? Quid porro? non est iniquum, nobilissimas virgines ad sacra facienda noctibus excitari, altissimo somno inquinatas frui? Labor optimos citat. Senatus per totum diem saepe consulitur, quum illo tempore vilissimus quisque, aut in campo otium suum oblectet, aut in popina lateat, aut tempus in aliquo circulo terat. Idem in hac magna republica fit: boni viri laborant, impendunt, impenduntur, et volentes quidem: non trahuntur a fortuna, sequuntur illam, et aequant gradus; si scissent, antecessissent. Hanc quoque animosam Demetrii fortissimi viri vocem au- 4
disse me memini: « Hoc unum, inquit, Dii immor- » tales, de vobis queri possum, quod non ante mihi

exponere. Vid. de Ira lib. I, c. 6, 1.

Debilitari: membris capi.

Configi in cruce clavis.

Alligari funibus.

Percisos praetulit Lipsius e Martial. lib. IV, Epigr. XLVIII; lib. XII, Epigr. XXXV, 2. Percidere, praecidere; percisus, praecisus secum confunduntur. Nec viris doctis satis convenit de vi usuque harum vocum in re obscoena. Vid. not. in nost. Martial.

Nobilissimas virgines. Vestales, quibus ignis aeterni conservatio, et sacra Vestae atque bonae Deae curae erant. Legebantur autem a pontifice maximo e nobilitate; et magno semper in pretio Romae habitae sunt, et multis honoribus condecoratae sunt; quorum inter praecipuos, is erat ut si quis ad mortem deduceretur, et e virgo vestalis occurreret, modo non de consilio, ille statim incolumis dimitteretur. Conf. Aul. Gell. lib. I, cap. 12, etc.

Campo. Campo Martio, ambulando, garriendo, ludendo pila, etc. Horat. *Descendat in campum petitor*, Carm. lib. III, Od. 1, vs. 11.

Impendunt. Sua; *impenduntur*, id est, pro patria occiduntur.

Demetrii. De Demetrio consulas not. ad cap. III, §. 3.

Retinenti. Bene se habet. Triller. tamen Obss. lib. II, cap. 23, p. 140, emendat non male *renitenti.*

Digitized by Google

» voluntatem vestram notam fecistis. Prior enim ad
» ista venissem, ad quae nunc vocatus adsum. Vultis
» liberos sumere? illos vobis sustuli. Vultis aliquam
» partem corporis? sumite. Non magnam rem pro-
» mitto; cito totum relinquam. Vultis spiritum? Quid-
» ni? nullam moram faciam, quo minus recipiatis,
» quod dedistis; a volente feretis, quidquid petieritis.
» Quid ergo est? maluissem offerre, quam tradere.
» Quid opus fuit auferre? accipere potuistis. Sed ne
» nunc quidem auferetis, quia nihil eripitur, nisi re-
» tinenti. Nihil cogor, nihil patior invitus, nec servio
» Deo, sed assentio: eo quidem magis, quod scio
» omnia certa et in aeternum dicta lege decurrere. »
5 Fata nos ducunt, et quantum cuique restet, prima nascentium hora disposuit. Causa pendet ex causa, privata ac publica longus ordo rerum trahit. Ideo fortiter omne ferendum est, quia non, ut putamus, incidunt cuncta, sed veniunt. Olim constitutum est, quid gaudeas, quid fleas: et quamvis magna videatur
6 varietate singulorum vita distingui, summa in unum venit: accepimus peritura perituri. Quid ita indignamur? quid querimur? ad hoc parati sumus. Vtatur, ut vult, suis natura corporibus: nos laeti ad omnia et fortes cogitemus nihil perire de nostro. Quid est boni viri? praebere se fato. Grande solatium est, cum universo rapi. Quidquid est quod nos sic vivere iussit, sic mori, eadem necessitate et Deos alligat; irrevocabilis humana pariter ac divina cursus vehit. Ille ipse omnium conditor et rector scripsit quidem
7 fata, sed sequitur: semper paret, semel iussit. « Quare
» tamen Deus tam iniquus in distributione fati fuit,
» ut bonis viris paupertatem, vulnera et acerba fu-

Scripsit fata. Id est, leges in aeternum dixit, scripsit.

» nera adscriberet? » Non potest artifex mutare materiem: haec passa est. Quaedam separari a quibusdam non possunt, cohaerent, individua sunt. Languida ingenia, et in somnum itura, aut in vigiliam somno simillimam, inertibus nectuntur elementis: ut efficiatur vir cum cura dicendus, fortiore fato opus est. Non erit illi planum iter: sursum oportet ac deorsum eat, fluctuetur, ac navigium in turbido regat; contra fortunam illi tenendus est cursus. Multa accident dura, 8
aspera, sed quae molliat et complanet ipse. Ignis aurum probat, miseria fortes viros. Vide quam alte adscendere debeat virtus: scies illi non per secura vadendum esse.

Ardua prima via est; et qua vix mane recentes
Enitantur equi: medio est altissima caelo;
Vnde mare et terras ipsi mihi saepe videre
Fit timor, et pavida trepidat formidine pectus:
Vltima prona via est, et eget moderamine certo.
Tunc etiam, quae me subiectis excipit undis,
Ne ferar in praeceps, Tethys solet ipsa vereri.

Haec quum audisset ille generosus adolescens, « Pla- 9

Non potest..... passa est. Stoicae scholae decretum: de quo cf. ad Nat. Quaest. lib. I, praef. §. 2, 3 et fin. Item Diog. Laërt. lib. VII, 134, ubi Menag. Senec. Ep. 65 laudat: Dicunt, ut scis, Stoici nostri, duo esse in rerum natura, ex quibus omnia fiant: causam et materiam. Materia iacet iners: res ad omnia parata; cessatura, si nemo moveat. Causa autem, id est, Ratio, materiam format, et quocumque vult, versat. Plura dedit Lipsius in Physiolog. Stoic. II, 4. Materia igitur *passa est*, ut formaretur in id quod fieri potuit. Illustratur nunc hoc dogma aliquot exemplis.

Elementis. Cf. de Ira II, 18, 19.

Cum cura. I. e. laude et gloria: de Benef. IV, 1, 1.

Fortiore fato..... est. Quod originem duxit ex elementis melioribus.

Ardua prima via est. Versus noti exstant apud Ovid. Metam. II, 63 sqq. de Phaethonte. vs. 1. *Recentes*, quippe Oceano loti ambrosiaque assumpta, ideoque quiete usi. 3. Ex qua altitudine cunctor prae timore despicere. 5. *Vltima* pars viae demergit et inclinat, quum sol est in occasu. 7. Ipsa Tethys Oceani uxor excipit Phoebum; i. e. descendit Phoebus in mare, occidit sol. Desumpta fictio e vita heroum qui amicum convenientes, aut a bello redeuntes ab ancillis lavabantur et ministrabantur.

Generosus adolescens. Phaethon.

cet, inquit, via; escendo; est tanti per ista ire casuro. » Non desinit acrem animum metu territare:

> Vtque viam teneas, nulloque errore traharis,
> Per tamen adversi gradieris cornua Tauri,
> Aemoniosque arcus, violentique ora Leonis.

Post haec ait: Iunge datos currus: his quibus deterreri me putas, incitor: libet illic stare, ubi ipse sol trepidat: humilis et inertis est tuta sectari; per alta virtus it.

VI. « Quare tamen bonis viris patitur aliquid mali Deus fieri? » Ille vero non patitur. Omnia mala ab illis removit, scelera, et flagitia, et cogitationes improbas, et avida consilia, et libidinem caecam, et alieno imminentem avaritiam: ipsos tuetur ac vindicat. Numquid hoc quoque a Deo aliquis exigit, ut bonorum virorum etiam sarcinas servet? remittunt ipsi hanc Deo curam: externa contemnunt. Democritus divitias proiecit, onus illas bonae mentis existi-

Haec quum..... casuro. Senecae sunt, non Ovidii.

Non desinit. Phoebus *acrem animum* Phaethontis. Sequentes tres versus ibidem exstant 79 sq. Signa tria e Zodiaco, tauri, sagittarii (arcus sagittarii Aemonii s. Centauri Thessalia, aut Aemonia orti) et leonis Phaethonti obvia in itinere suo?

Post haec ait....it. Et haec Senecae, non poëtae, sunt. Apud poëtam enim Phaethontis responsio mittitur. Tales explicationes saepe adiicit Noster versibus, quos e poëtis adduxerat.

VI. Arg. Eam ob causam viros bonos pati mala, ut doceant caeteros; et ipsis discendum est, ea bene pati: nati enim sunt in exemplar.

Omnia mala. Quae proprie sic dici merentur.

Avida consilia. Avidam cupiditatem, de Brevit. vit. III, 3 fin. ambitionem etc.

Sarcinas. Externa illa, opes, divitias, honores etc. vocat.

Democritus. Abderita ille celeberrimus antiquitatis philosophus, qui flor. post Olymp. 72. Quae hic Noster tradit, a P. *Bayle* (*Diction. hist. et crit.* T. II. art. *Démocrite*, p. 269 sq.) neglecta esse miror. Fuit autem diversa traditio de hac re: aliis Democritum referentibus utcunque patrimonium suum, quod apud omnes constat uberrimum fuisse, neglexisse (Cic. de finib. lib. V, cap. 29; Hor. lib. I, Epistol. xii, 12. Athenaeus, IV, 20, pag. 254 ed. Schaefer. Mitto plures); aliis diviso cum fratribus patrimonio, exiguam sibi partem elegisse (Diog. Laërt. IX, 35; Ae-

Digitized by Google

mans: quid ergo miraris, si id Deus bono accidere patitur, quod vir bonus aliquando vult sibi accidere? « Filios amittunt viri boni. » Quidni, quum aliquando et ipsi occidant? « In exsilium mittuntur. » Quidni, 2 quum aliquando ipsi patriam non repetituri relinquant? « Occiduntur. » Quidni, quum aliquando ipsi sibi manus afferant? « Quare quaedam dura patiuntur? » ut alios pati doceant: nati sunt in exemplar. Puta itaque Deum dicere: « Quid habetis, quod de 3 me queri possitis vos, quibus recta placuerunt? Aliis bona falsa circumdedi, et animos inanes velut longo fallacique somnio lusi; auro illos, argento et ebore ornavi: intus boni nihil est. Isti, quos pro felicibus adspicitis, si non, qua occurrunt, sed qua latent, videritis, miseri sunt, sordidi, turpes, ad similitudinem parietum suorum extrinsecus culti. Non est 4 ista solida et sincera felicitas: crusta est, et quidem tenuis. Itaque dum illis licet stare, et ad arbitrium suum ostendi, nitent et imponunt: quum aliquid incidit, quod disturbet ac detegat, tunc apparet, quantum altae ac verae foeditatis alienus splendor absconderit. Vobis dedi bona certa, mansura: quanto magis versaveritis, et undique inspexeritis, meliora maioraque. Permisi vobis metuenda contemnere, cupiditates

lian. V. H. IV, 20): a quibus Noster prorsus discessit, nescio quem secutus.

Crusta.... tenuis. Manet in similitudine a parietibus desumpta, quos marmore vario etc. distinctos ornatosque fuisse constat; cf. Athenaeum lib. IV, cap. 13, p. 226 edit. Schaef.

Metuenda. Minus accurate atque exacte videtur hoc loco Annaeus loqui quam solet: namque de iis patet esse sermonem, quae imperitae multitudini vulgo metum incutiant, qualia sunt egestas, carcer, servitudo, deforme corpus, adversae valetudines, aut ipsa mors; quae tamen minime dicit reformidanda sapientium disciplinas atque mentis humanae dignitatem stoico ingenio amplexantibus. Scribendum igitur melius foret *metuenda vulgo* aut *reformidata plerisque.* Caeterum oppositum id inciso quod mox sequitur, *cupiditates fastidire*, quasi diceretur: illa contemnas licet quae vulgus pavet, quae vulgus expetit.

Digitized by Google

fastidire : non fulgetis extrinsecus : bona vestra introrsus obversa sunt. Sic mundus exteriora contempsit, spectaculo sui laetus. Intus omne posui bonum : non egere felicitate, felicitas vestra est. « At multa inci- » dunt tristia, horrenda, dura toleratu ! » Quia non poteram vos istis subducere, animos vestros adversus omnia armavi. Ferte fortiter ; hoc est, quo Deum antecedatis ; ille extra patientiam malorum est, vos supra patientiam. Contemnite paupertatem : nemo tam pauper vivit, quam natus est. Contemnite dolorem : aut

Non fulgetis extrinsecus. Quid ibi praecise designat *extrinsecus*. Graecizantibus haec μετάφρασις esset: στίλβετε γοῦν οὐ τοῖς ἔξω. Porro τὰ ἔξω idem omnino est quod gallice *l'externe* vel *le non moi*, vox quidem multiplici sensu idcircoque ambiguo, sed cui ex circumstantibus lux additur ; ita ut nonnunquam ea significet quae extra corpus humanum sita possideatur, ut divitiae, aut honores, frequentius tamen haec etiam quae extra mentem, ut oris corporisque forma felix aut prava, adversaque aut secunda valetudo. Hoc modo nunc accipi debet τὸ *extrinsecus*, et sensus est : Non haec vobis ornamenta sunt, tantum quae a rebus extra animum sitis proficiscuntur.

Obversa sunt. Apte selecta. Nam *obvertere* (ea in compositione vis inest particulae *ob*) est in contrariam partem vertere quam fieri solet aut par est. Porro quae ornamenta ab intima mente sunt, ea non in hac parte rerum manent qua plerique cupiunt aut putant.

Mundus exteriora ..... laetus. Notum est olim animam mundo (hoc est, omnium rerum caelestium terrestriumque conglobationi) tributam esse a Veteribus. Vide Platonis celeberrimum Dialog. Τιμαῖον, Cicer. pass. Diog. Laërt. Qua hic quoque, quamquam minus expresse, ait Seneca praeditum esse universum, qui sui ipsius contemplator perpetuus, nihil externum contempletur. Praeterea illa perfecti (τοῦ τελείου), quod quidem non esse non potest, quum extra τὸ πᾶν nihil sit, nisi vacuum atque infinitum, natura est, ut quidquid est bonum in se continens, neque indigens externarum rerum, sibi sufficiat, e se non exeat et in sui contemplatione immotus perseveret. Quod sic Veteres de Mundo, nos de Deo totius molis auctore dicimus.

Vos istis subducere. Humanam vitam sibi fingit miseriis casibusque obnoxiam praedam, quae hac potiri semper conantur ; conatur e parte sua homo se istis subducere.

Ferte fortiter ; hoc est, quo Deum antecedatis. Hoc, si fas ita dicere, supra ipsum Deum dignitatem vestram evehet : quatenus nulla mala pati potest, vos vero pati potestis ; at supra ea vos tollendo, hac parte Deum anteceditis.

Nemo tam pauper vivit, quam natus est. Siquidem homo tam superbus et immensarum opum congerie parum contentus, nudus in lucem pro-

Digitized by Google

solvetur, aut solvet. Contemnite fortunam: nullum illi telum, quo feriret animum, dedi. Contemnite mortem: quae vos aut finit, aut transfert. Ante omnia cavi, ne quis vos teneret invitos: patet exitus. Si pu- 6
gnare non vultis, licet fugere; ideoque ex omnibus rebus, quas esse vobis necessarias volui, nihil feci facilius quam mori. Prono animam loco posui: trahitur. Attendite modo, et videbitis, quam brevis ad libertatem, et quam expedita ducat via. Non tam longas in exitu vobis, quam intrantibus, moras posui: alioqui magnum in vos regnum fortuna tenuisset, si homo tam tarde moreretur, quam nascitur. Omne 7
tempus, omnis vos locus doceat, quam facile sit re-

ditur, neque solum absque divitiis, sed et sine vestimentis, etiam tenuissimis. Minus pauper conditur in tumulo et iacet; nam linteo funebri obvolutum cadaver est.

Aut solvet. Vos nimirum. Destruetur ipse tempore, vi humana, aut hominis vitam ipse finiet. Id non tam bonum, non tam verum quam subtile est, et ἀντιθέσεων captatori fortasse, aliis minime placebit.

Aut finit, aut transfert. Qua incumbente capitibus nostris, aut nihil iam sumus, nisi pulvis et umbra, aut alias in plagas transgredimur. Nescio an hic innuerit Seneca posse et innumeros globos qui per inane circumferuntur incoli, ut in elegantissimo opusculo *de la Pluralité des Mondes* affirmavit *Fontenelle*, et hos in locos nos post mortem commigrare; an tantum velit Elysios campos et beatorum insulas piorum manibus ostentare. Quidquid id sit, liquet Nostro id non succurrere quod fortasse post exactam vitam peiora nos maneant; sed quum de sapientibus et bonis viris agatur, illud non interest.

Teneret. Retineret. Caeterum tota phrasis in hanc relabitur sententiam. Non posse aliquem prohiberi quin moriatur, licere mori cui libuerit. *An nescis, aiebat Vticensis moriturus, paulisper spiritu represso, aut capite ad parietem illiso, emori licere?* Martialis, lib. I, Epigr. XLIII: *Coniugis audisset fatum quum Porcia Bruti, Et subtracta sibi quaereret arma dolor: Nondum scitis, ait, mortem non posse negari? Crediderам satis hoc vos docuisse patrem! Dixit, et ardentes avido bibit ore favillas: I nunc, et ferrum, turba molesta, nega!*

Pugnare... fugere. Pugna est vivere; ergo fuga necem sibi conscire.

Animam posui, lapsuram sponte, nisi identidem trahatur. Hoc fit, quum reciprocamus. Acumen in hoc loco facile intelliges. Caeterum cf. de Ira lib. III, cap. 15.

Ad libertatem. Nam liber ille est qui moritur. Vid. de Ira lib. III, 15. Senec. Trag. satis similis in dithyrambico choro, init. *Heu quam dulce malum mortalibus additum, Vitae*

nuntiare naturae, et munus suum illi impingere. Inter ipsa altaria et solemnes sacrificantium ritus, dum optatur vita, mortem condiscite. Corpora opima taurorum exiguo concidunt vulnere, et magnarum virium animalia humanae manus ictus impellit; tenui ferro commissura cervicis abrumpitur: et quum articulus ille, qui caput collumque connectit, incisus
8 est, tanta illa moles corruit. Non in alto latet spiritus, nec utique ferro eruendus est; non sunt vulnere impresso penitus scrutanda praecordia: in proximo mors est. Non certum ad hos ictus destinavi locum: quacumque pervium est. Ipsum illud quod vocatur mori,

dirus amor! quum pateat malis Effugium, et miseros libera mors vocet Portus aeterna placidus quiete.

Intrantibus. In lucem, in vitam, hoc est, nascentibus.

Renuntiare naturae. Hoc est, ictum foedus cum natura frangere, amicitiaeque oblivisci. Optime gallicus interpres: *Combien il est facile de* rompre *avec la nature.*

Dum optatur vita. Namque, ut plurimum a Diis et fortuna tunc longam vitam precamur.

Commissura. Substant. non verb. particip. act. fut. et vinculum hoc physicum designat quo coniungitur aut corpori reliquo cervix, aut trunco unum ex ἄρθροις. *Committere* enim est saepe ita res duas, quod sequentia probant, coniungere, ut coalescant in unum.

Tanta illa moles. Bos, invenca, aut taurus altari admotus.

Spiritus. Non anima, non quod recentiores nos et christiani populi spiritum proprie dicimus, sed vitae principium et fons, sive illud sit flamen a Deo profectum, aut ignis aetherei portio subtilissima, aut ex omnium partium aptissima coagmentatione constans ἁρμονία. — *In alto* vero est in remotissima et secretissima corporis parte, in profundissimis visceribus latens; ut sequente articulo fusius dixit.

In proximo. Hoc est, vel in promptu, vel, ut constet sibi et numeris omnibus absolvatur supra incoepta ἀντίθεσις, in summo corpore, in ipsissima ἐπιδέρματος superficie. Sic etenim respondent sibi invicem τὸ *in proximo* et *in alto.* Quod vero ὑπερβολῆς tantillum vit sententiae (nam nulla ἐπιδέρματος laesio causa mortis esse potest), in rhetore, in Annaeo parum refert.

Quacumque pervium est. Hoc est, quamlibet corporis partem, quodlibet membrum ictus penetrare et transgredi potest. *Quacumque* ergo est *quocumque loco.* Potest tamen quoque accipi pro *quacumque ratione, quocumque modo*, h. e. quodcumque genus mortis placuerit, sive praecipitem se in aquas aut subiacens solum dare, sive in flammas insilire, sive venas pugione aperire, sive hau-

Digitized by Google

quo anima discedit a corpore, brevius est, quam ut sentiri tanta velocitas possit. Sive fauces nodus elisit; sive spiramentum aqua praeclusit; sive in caput lapsos subiacentis soli duritia comminuit; sive haustus ignis cursum animae remeantis interscidit: quidquid est, properat. Ecquid erubescitis? quod tam cito fit, timetis diu?

rire venenum, et illa istius modi, quae infra enumerat. Vnde et ipsa sententiarum series coaptatioque huic sensui non parum faveat. Priora tamen praetulerim.

Quo anima discedit a corpore. **Lagrange** interpretatur: *Cet instant où l'ame se sépare du corps.* At de temporis articulo brevissimo quo discessio fit mentis a corpore minime agitur, sed de ipso discessu, de hoc actu quo anima evolat. Melius dixisset: *Ce qu'on appelle mourir, ce fait qui consiste en ce que l'ame s'échappe du corps.*

Haustus ignis. Ignis hic est pro carbone, nam ignis ipse in ore esse non posset, nisi admodum tenuis, moxque exstingueretur. Caeterum ad mortem Porciae patet Senecam respexisse, quae audita coniugis morte, quum ab ipsa omnia instrumenta necis amoverentur, *Ardentes avido bibit ore favillas.* Martial. lib. I, Epigr. XLIII. Auctores facti Plutarch. Vit. Brut.; Valer. Maxim. lib. III, capp. 2 et 4; Dio Cass. lib. XLVII, cap. 6; Appian. Bell. civ. lib. IV al.

Cursum animae remeantis interscidit. Perperam, dum περιφράσις magis sectatur quam veritatem physicam de hac interitus forma Noster docet. Namque hic non ob aëris genus saevum, quod a pruinis et igne vulgo proficiscitur (*gaz acide carbonique*); et quod si in pneumonas pervenerit, brevissimo tempore certissima causa mortis est, in hoc casu mors advenit; sed ob ustulatas aesophagi et intimi stomachi membranas, quae dum ignem humore ingenito exstinguentes tamen torrentur, tam vehemens dolor exoritur, ut iam non humana vis par sit, et promptissima mors sequatur. Caeterum respexisse h. l. Nostrum ad Porciam, Bruti coniugem, certe manifestum est.

Properat. Absolute, non mors, sed omnia haec quae praecedunt, laqueus, vel unda, vel durum solum, vel flammarum vis saeva. Gallic. *cela va vite.* **Lagrange** minus bene: *Sous quelque forme que la mort se présente, elle sera prompte.*

Ecquid erubescitis? Duplex ibi sensus occurrit, non de audientibus an erubescant, sed utram ob causam erubescant, pudoremne an metum. Pudoris quidem saepius rubor indicium est timoris vero pallor quod rubori contrarium est; nonnunquam tamen prae timore aliquis erubuit. Vtrum ergo sensum anteferes? Prior certe praestare videtur, si ad illa tantum respicias quae praecedunt; sed si et haec oculo praesumpseris quae sequuntur, aegre cohaerent, nisi ambas φράσις ita coaptaveris, ut a priore posterior pendeat, et is sensus statuatur: Vnde erubescitis, quod id timeatis diu quod fit cito? Sed hunc tenorem si nos admiserimus, necesse

tunc est unum e punctis interrogat. deleri, quod contra omnium scriptorum fidem est; tum cum praecedentibus non iam congruit facile; denique operis finis hic esse non posset, et deesse quaedam existimandum foret, quod nulli hactenus monuere! *Lagrange* vertit: *Ne rougissez-vous pas de craindre si long-temps ce qui dure si peu?* Sed *ecquid erubescitis* non est, *Ne rougissez-vous pas?* sed, *Rougissez-vous?* vel, *Pourquoi rougir?* Ergo explicatio prior omnino est respuenda et huic alteri adhaerendum qua prae metu erubescere fingantur.

Digitized by Google

L. ANNAEI SENECAE

DE CONSOLATIONE,

AD HELVIAM MATREM

LIBER VNVS.

Digitized by Google

ARGVMENTVM

I. Introitus huius consolationis apprime elegans, et prudenter et cum arte praemittitur. Exponit causam, cur non prius matrem consolatus esset, quam temporis spatio quodam praeterlapso. Nunc se consurrexisse priorem, et nova consolandi ratione uti. Sperat fore ut hoc ipsum, quod tanquam infelix et exsul suos consoletur, matrem ad allocutionem suam audiendam moveat. II, III. Quum itaque tempus vim suam ad mitigandum matris dolorem exercuisset, tranquille modum, quo in dolore compescendo uti velit, declarat; et primum mala, quae iam passa sit mater admodum gravia, exponit. IV, V. Deinde docet, matri nullam causam esse, cur doleat lugeatve quoniam ipse exsul nihil patiatur, propter quod vere possit dici miser; ea enim, quae apud nos nomine secundae adversaeve fortunae veniant, ad adventitia pertinere, ideoque et ipsum exsilium. VI, VII. Quod quum commutatione loci contineatur, facile patere ostendit in eo nihil mali inesse: primum, quia hominis naturae innata sit loci ex loco mutatio, quod et usu quotidiano et historia probat. VIII. Eaque ipsa insulae Corsicae: deinde, quod ubicumque, vel in loco desertissimo et humillimo tugurio, quum eadem rerum natura tum virtute uti possit exsul, quod Marcelli praeclaro exemplo illustrat. IX—XII. Incommoda autem, exsilium comitantia, facile tolerari posse a sapientiae studioso, e. g. paupertatem. Ita vi oppositi, in avaritiae ac luxuriae, omnia subvertentis, insaniam invehitur. Animus tranquillus, pergit, his supervacuis facile carebit vel in exsilio, quid, quod pauperes feliciores ditioribus sint, et hos frequenter conditione pauperum uti oporteat: exempla antiqua. XIII. Ne tamen quis putet, singula quidem mala in exsilio satis bene sustineri posse, non item omnia, quae simul exsuli adsint, e. g. paupertatem, ignominiam, contemtum, ille secum reputet, eum qui unum malum toleret, et omnia tolerare, sicut altera parte qui una virtute gaudeat, omnibus ceteris uti. Quae quum ita sint, significat se haudquaquam miserum dici posse, neque adeo in sua conditione causam luctus ac moerroris latere. XIV. Iam pergit ad causas ceteras, quae matrem ad luctum

perducant, refellendas. Ac primum monet, matrem non egere sui praesidii, quod nunquam a se incolumi petiverit, quum neque ambitiosa sit, neque gratiam aut potentiam filiorum unquam ostentaverit. XV. Secundo autem loco desiderium filii dilecti causam quidem luctus eximiam esse. XVI. Sed contra illud hortatur eam virtutis et fortitudinis, qua caeteras sui aevi feminas facile antecedat, similem Corneliae Gracchorum, et Rutiliae Cottae matris. Iam quum luctus remediis vulgaribus, e. g. ludis, peregrinationibus etc. difficillime compesci possit, suadet matri, ut animum ad liberalia studia applicet. Accedunt studia duorum reliquorum filiorum, qui in eo toti sint, ut matrem consolentur; nepotes, et ipse pater. XVII. Denique sororem, mulierem praestantissimam, magno eius solatio fore monet, oratque, ut se laetam atque alacrem cogitet.

Quum Seneca, Messalinae invidia inter adulteros Iuliae, Germanici filiae, haud dubie falsissime, accusatus, in Corsicam relegatus esset (ann. V. C. 794. Dio Cass. lib. LX, cap. 8), quadragesimum fere annum egit, iam dudum ob claritudinem studiorum, ut Taciti verbis (Annal. lib. XII, cap. 8) utar, conspicuus. Hoc exsilium per octo annos tolerare debuit (memoratur eius reditus a Dion. Cass. lib. LX, cap. 32, ad ann. 801; cf. Tacit. loc. mem.) Cuius fructus eximius est consolatio ad Helviam (in Mss. Hebiam, Helbiam appellatam) matrem, vel eo nomine magni facienda, quod et unica est ex iis, quae usque ad eum scriptae sunt, consolationibus, et quod dulcedinem aliquam secum fert ab exsule in suorum solatium conscripta. Nullum enim ex libris de luctu minuendo ante Senecam literis mandatis ad nostra tempora pervenisse notum est. In quibus, nisi primus, celeberrimus tamen fuit Crantoris veteris Academici (circ. Olymp. CXVI) libellus, non magnus ille quidem, sed aureolus, et, ut Tuberoni Panaetius praecepit, ad verbum ediscendus, ut Ciceron. verbis Acad. Qu. lib. IV, cap. 44 utar. Vocatur ap. Cic. Tusc. Dispp. lib. I, cap. 48 Consolatio: consolabatur autem hoc commentario Hippoclem, qui filiorum mortem lugebat. Et Diogen. Laërt. lib. IV, cap. 27: Θαυμάζεται δὲ αὐτοῦ μάλιστα βιβλίον τὸ περὶ πένθους; *ubi vid. Menag. Eum secutus est M. T. Cicero in consolatione filiae, teste Plinio Nat. Hist. praef. p. 8, T. I Bip. Quam in Ciceronis operibus legimus consolationem, esse a Car. Sigonio perscriptam, inter omnes constat. Metrodorus Epicureus quoque Atheniensis (Lampsacenus alias dictus) composuit Consolationem, qua sororis luctum,*

amisso optimae indolis filio, mitigare studuit; a Seneca Epist. 98, parte med. laudatam. Clarum fuit quidem nomen in antiquitate, sed libros eius non fere praeter suos, si Ciceroni (Tusc. Dispp. lib. II, cap. 3) fides habenda sit, quisquam in manus sumsit. Enimvero quum Epicuri asseclis Roma abundaret, non dubitandum est, quin et iste libellus multis lectus fuerit. Omitto Theophrastum, cuius Callisthenes, seu de luctu, quo Callisthenis amici sui mortem ab Alexandro M. ei inflictam luget, magni factus est (Cic. Tusc. lib. III, cap. 10; lib. V, cap. 9 fin.), Ciceronis libellum ad Cottam de luctu minuendo (ann. V. C. 633) perscriptum, et alios. In iis, qui post Senecam Consolationes scripsere, Plutarchi iuvenis consolatio ad Apollonium (T. VII Hutten. p. 316—370), in qua Crantoris libellus magnam partem expressus creditur, et Anicii Manlii Torquati Severini Boëthii consolatio philosophica in carcere composita potissimum nominari merentur. Caeterum probatur mihi Lipsii iudicium de hoc libello: « Scriptum ipsum animi et eloquentiae plenum, numeris et structura compositum, atque etiam ordine praeter caetera dispositum. Ausim dicere, palmam inter libellos poscit. »

Epigrammata super L. A. Senecae exsilio quae Gronovius post argumentum hic praescripsit, nos ad finem operis refere-

mus.

Digitized by Google

Digitized by Google

L. ANNAEI SENECAE
DE CONSOLATIONE,
AD HELVIAM MATREM
LIBER VNVS.

1. Saepe iam, mater optima, impetum cepi consolandi te, saepe continui. Vt auderem, multa me impellebant: primum, videbar depositurus omnia incommoda, quum lacrimas tuas, etiamsi supprimere non potuissem, interim certe abstersissem; deinde, plus habiturum mè auctoritatis non dubitabam ad excitandam te, si prior ipse consurrexissem: praeterea timebam, ne a me non victa Fortuna aliquem meorum vinceret. Itaque utcumque conabar, manu super plagam meam imposita, ad obliganda vulnera

I. Aug. Causas enumerat Noster, cur non prius ad Matrem consolationibus fovendam sese accinxerit.

Impetum cepi. Hoc est, *memet ipse excitavi et accinxi.* Mox *continui* (subaud. τῷ *impetum*) idem sonat ac, *memet ipse retardavi.*

Vt auderem. Hic supplendum esse patet: Moerenti tibi solatii aliquid adferre.

Excitandam..... excitare. Interdum idem est quod *solari.* Qui subito casu dolet, hic quodammodo humi affligitur et cadit; qui a dolore ad laetitiam revocatur, eum erigi et excitari merito dices.

A me non victa Fortuna. I. e. timebam, ne fortuna et alium quemque meorum vinceret, quum me vicisset. Lipsius tamen praefert: *ne me non victo F.* i. e. ne quum me non vicisset, in quem tam saeva ingruit, meos vinceret. Volo hanc palmam ferre, ut nec me, nec caeteros viucat. Nexus priorem lectionem suadere videtur; itaque cum Erasm. al. tuitus sum. Si enim victus esset a Fortuna, metus instus erat, ne et alii vincerentur; at quum illam vicisset, quis metui locus supererat, quem non statim tollere poterat? Attamen sequentia (cf. c. IV fin.) Lipsii lectioni favent.

Manu super plagam meam im-

vestra reptare. Hoc propositum meum erant rursus quae retardarent. Dolori tuo, dum recens saeviret, sciebam occurrendum non esse, ne illum ipsa solatia irritarent, et accenderent: nam in morbis quoque 3 nihil est perniciosius, quam immatura medicina. Expectabam itaque dum ipse vires suas frangeret, et ad sustinenda remedia mora mitigatus, tangi se ac tractari pateretur. Praeterea, quum omnia clarissimorum ingeniorum monumenta, ad compescendos moderandosque luctus composita, evolverem, non inveniebam exemplum eius, qui consolatus suos esset, 4 quum ipse ab illis comploraretur. Ita in re nova haesitabam, verebarque, ne haec non consolatio, sed exulceratio esset. Quid, quod novis verbis, nec ex vulgari et quotidiana sumptis allocutione, opus erat homini ad consolandos suos ex ipso rogo caput alle-

posita. Nam dum manu super imposita plagam recentem premis, sanguini obstas, quia erumpat, et malum simul et dolorem quodammodo comprimis.

Dolori tuo... medicina. Ipse Noster hoc praecepit de Ira III, 39. Et quis philosophorum medicorumve hoc non sussit! Conferas tamen, si tanti est, Ovid. Pont. IV, 11, 17, et Plutarch. Consol. ad Apollon. p. 316, 317, T. VII Hutten. ibique dicta Aeschyli, Euripidis et Menandri praeclara.

Praeterea. Consolationem Ciceronis, Metrodori Epicurei aliorumque libros de luctu, e. c. Crantoris, Theophrasti, Callisthenis etc. non in exilio innuit scriptos esse, ideoque se hac ex parte primum esse, qui ipse exsul suos consoletur, pronuntiat.

Comploraretur. Tamquam mortuus ait *Ruhkof.* Ego nescio an hoc in loco vere *comploraretur* mortuum virum significet; nec alioquin pervideo quomodo vir comploratus hoc sensu posset consolari complorantes. Alludit hic Annaeus ad seipsum et infortunia sua, quae, vivo et incolumi ipso, complorari possunt. Dices fortasse exilium Senecae videri morte ipsa peius, et Roma remotum a remanentibus comploran tanquam mortuum; sed est hoc subtilius quam ut admittatur.

Exulceratio. Quasi renovatio doloris: redit ad metaphoram, qua antea usus erat.

Allocutione. Est consolatio: Ep. 118. Catull. XXXVI, 6. Sic multis in locis *alloquium*, et *alloqui*. Horat. Epod. XIII: *Illic omne malum vino cantuque levato Deformis aegrimoniae dulcibus alloquiis.* Valer. Max. lib. II, cap. 7: *Incerta gratulandi prius, an*

Digitized by Google

vanti? Omnis autem magnitudo doloris modum excedentis necesse est dilectum verborum eripiat, quum saepe vocem quoque ipsam intercludat. Vtcumque connitar, non fiducia ingenii, sed quia possum instar efficacissimae consolationis esse consolator. Cui nihil negares, huic hoc utique te non esse negaturam (licet omnis moeror contumax sit) spero, ut desiderio tuo velis a me modum statui.

II. Vide quantum de indulgentia tua promiserim mihi : potentiorem me futurum apud te non dubito, quam dolorem tuum, quo nihil est apud miseros potentius. Itaque ne statim cum eo concurram, adero prius illi, et quibus excitetur, ingeram : omnia proferam, et rescindam quae iam obducta sunt. Dicet aliquis : « Quod hoc genus est consolandi, obliterata » mala revocare, et animum in omnium aerumnarum » suarum conspectu collocare, vix unius patientem? » Sed is cogitet, quaecumque usque eo perniciosa sunt, ut contra remedium convaluerint, plerumque con-

alloquendi officio fungeretur. Item lib. IV, cap. 6 : *Coniuges eorum illustris ibi sanguinis velut allocuturae perituros viros.*

Omnis autem.... intercludat. Ratio in eo posita esse videtur, quod imaginatio nimis luctu excitata, et mali notionibus adeo abrepta et extra se elata est, ut, quae sentiat verbis vulgaribus multo fortiora censendo, imaginibus verbisque haud sollemnibus atque constructionibus verborum insuditis utatur, ideoque, quasi vero ne haec quidem adiumenta sufficiant, exclamationibus abruptisque locutionibus sensa sua efferre connitatur.

Instar efficacissimae consolationis consolator H. e. te efficacissime solari, tibi instar solatii et efficacissimi solatii esse.

Cui... huic. Vtraque voce, se ipsum innuit. Quasi diceret : filio huic cui nihil tu negares, non negabis etc.

II. Ans. Consilium, quod in consolanda matre sequi vult, indicat. Mala igitur, quae iam perpessa sit, matri, ut sibi quasi viam muniat ad consolationem, in memoriam revocat, sperans fore ut, his propius perpensis, hoc unum malum, quo nunc opprimatur, facilius perferat, ad ea quae antecesserint.

Ne statim. Lipsius mavult *nec statim.* Vulgata tamen proba est.

Ingeram. Parabo, conciliabo.

Rescindam. Renovabo violenter (de vulneribus iam curatis propria verba *rescindere* et *obduci* : Ovid. Trist. III, 11, 63. Ovid. Metam. XII, 543).

Contra remedium convaluerint,

trariis curari. Omnes itaque luctus illi suos, omnia lugubria admovebo: hoc erit, non molli via mederi, sed urere ac secare. Quid consequar? ut pudeat animum, tot miseriarum victorem, aegre ferre unum
3 vulnus in corpore tam cicatricoso. Fleant itaque diutius, et gemant, quorum delicatas mentes enervavit longa felicitas, et ad levissimarum iniuriarum motus collabantur: at quorum omnes anni per calamitates transierunt, gravissima quoque forti et immobili constantia perferant. Vnum habet assidua infelicitas bonum, quod quos saepe vexat, novissime indurat.
4 Nullam tibi fortuna vacationem dedit a gravissimis luctibus: ne natalem quidem tuum excepit. Amisisti matrem statim nata, immo dum nascereris, et ad vitam quodammodo exposita es. Crevisti sub noverca, quam tu quidem omni obsequio et pietate, quanta vel in filia conspici potest, matrem fieri coëgisti: nulli tamen non magno constitit et bona noverca. Avunculum indulgentissimum, optimum ac fortissimum virum, quum adventum eius exspectares, amisisti. Et ne saevitiam suam fortuna leviorem diducendo faceret, intra tricesimum diem, carissimum virum

Vim eam habeant ut medicaminum omnium vim superent.

Motus. Quos quis sentiat, ut ἐντομῶν morsus etc.

Bonum. Vt sit substantive sumendum. Gronov. e MSS. recte recepit. Antea *boni*.

Ad vitam q. exposita es. Quippe orba, ut nemo fere esset, qui curam eius gereret in vita, matre mortua. Exponitur autem infans ut ad ianuam (Sueton. Claud. 27), ad platea, sic h. l. *ad vitam*, abiectus.

Avunculum. Ipsius nempe Senecae, qui sororem Helviae in matrimonium acceperat. Is, nobili loco oriundus, quum ex praefectura Aegypti rediret, mortuus est. Conf. cap. ultim.

Diducendo. Spatium dando, separando. Agitur autem de mora, quam fortuna matri concesserit, exigua, ut virum per triginta dies tantummodo ex itinere receptum mox amiserit: ex quo spatio colligi poterat, fortunam mitigatam esse; at res secus cessit. Restituit Gronov. ex cod. Antea *deducendo*, i. e. diminuendo, detrahendo. Caeterum frequens in codd. haec confusio syllabarum, *di* et *de*:

Digitized by Google

tuum, ex quo mater trium liberorum eras, extulisti. Lugenti tibi luctus nuntiatus est, omnibus quidem absentibus liberis; quasi de industria in id tempus coniectis malis tuis, ut nihil esset ubi se dolor tuus reclinaret. Transeo tot pericula, tot metus, quos sine intervallo in te incursantes pertulisti. Modo in eundem sinum, ex quo tres nepotes emiseras, ossa trium nepotum recepisti. Intra vicesimum diem, quam filium meum in manibus et in osculis tuis mortuum funeraveras, raptum me audisti. Hoc adhuc defuerat tibi, lugere vivos.

III. Gravissimum est ex omnibus, quae unquam in corpus tuum descenderunt, recens vulnus: fateor; non summam cutem rupit, pectus et viscera ipsa divisit. Sed quemadmodum tirones leviter saucii tamen vociferantur, et manus medicorum magis quam ferrum horrent: at veterani, quamvis confossi, patienter ac sine gemitu velut aliena corpora, exsecari patiuntur; ita tu nunc debes te fortiter praebere curationi. Lamentationes quidem et ululatus, et alia per quae fere muliebris dolor tumultuatur, amove. Perdidisti enim tot mala, si nondum misera esse didicisti. Ecquid videor tecum timide egisse? nil tibi subduxi ex malis tuis, sed omnia coacervata ante te posui. Magno id animo feci: constitui enim vincere dolorem tuum, non circumscribere.

cf. e. c. Gisbert. Cuperi Obss. IV, 5, p. 67 sq.

Non summam cutem... divisit. H. e. alte infixus est mucro, et non carnibus praetentum ἐπίδερμα tantum, sed et ipsas carnes et viscera laesit, haerens vivo.

Perdidisti tot mala. H. e. tot et tantis e malis nihil in te fructus redundavit. Lucrifacere te par erat, quum tot tibi damna, tot immensae clades contigissent. At tu tam caeca, tam infirma, tam tui non compos es quam antehac fueras, quum tibi prosperitas blandiretur, et indolem tuam nimium secundae res labefactarent.

Circumscribere. I. e. ita circumvenire et sopire ut iam non animum mordeat et quietum te reliquat. Is circumscriptor dicebatur qui testa-

1 IV. Vincam autem, puto, primum si ostendero nihil me pati, propter quod possim dici miser, nedum propter quod miseros etiam quos contingo faciam: deinde, si ad te transiero, et probavero, ne tuam quidem gravem esse fortunam, quae tota ex mea
2 pendet. Hoc prius aggrediar, quod pietas tua audire gestit, nihil mali esse mihi; si hoc tibi demonstrare non potero, ipsas res quibus me putas premi, non esse intolerabiles, faciam manifestum. Sin id credi non potuerit: at ego mihi ipse magis placebo, quod inter eas res beatus ero, quae miseros solent facere. Non est quod de me aliis credas: ipse tibi, ne quid incertis opinionibus perturberis, indico me non esse miserum. Adiiciam, quo securior sis, nec fieri quidem posse miserum.

1 V. Bona conditione geniti sumus, si eam non deseruerimus. Id egit rerum natura, ut ad bene vivendum, non magno apparatu opus esset. Vnusquisque facere se beatum potest. Leve momentum in adventitiis rebus est, et quod in neutram partem magnas vires habeat: nec secunda sapientem evehunt, nec adversa demittunt. Laboravit enim semper, ut in se plurimum poneret, intra se omne gaudium peteret.
2 Quid ergo? sapientem me esse dico? minime; nam id quidem si profiteri possem, non tantum negarem miserum me esse, sed omnium fortunatissimum, et

menta fraude captare consueverat.

Quae tota ex mea pendet. In hac re nempe; quum exsilio filii eam ob causam mater praecipue illacrymetur, quod ipse exsul doleat. Namque abesse hunc, et ab amatissimo filio amantissimoque matrem separatam degere, hoc spectat ad propriae utilitatis, propriae voluptatis sensum et cupidinem.

Evehunt. Poëticae audaciae vox pro, *spiritus sapientis evehunt*; superbia nempe quae res prosperas fere semper comitatur. Caeterum idem sententiae, idem φράσεως tenor ac in Horatiana stropha: *Aequam memento rebus in arduis Servare mentem, non secus in bonis ab insolenti temperatam Laetitia.* Lib. II, Od. III.

in vicinum Deo perductum praedicarem. Nunc, quod satis est ad omnes miserias leniendas, sapientibus viris me dedi, et nondum in auxilium mei validus, in aliena castra confugi, eorum scilicet, qui facile se et sua tuentur. Illi me iusserunt stare assidue, velut in 3
praesidio positum, et omnes conatus fortunae, et omnes impetus prospicere multo ante quam incurrant. Illis gravis est, quibus est repentina: facile eam sustinet, qui semper exspectat. Nam et hostium adventus eos prosternit, quos inopinate occupavit: at qui futuro se bello ante bellum paraverunt, compositi et aptati, primum, qui tumultuosissimus est, ictum facile excipiunt. Nunquam ego fortunae credidi, 4
etiamsi videretur pacem agere: omnia illa, quae in me indulgentissime conferebat, pecuniam, honores, gloriam, eo loco posui, unde posset ea sine motu meo repetere. Intervallum inter illa et me magnum

In vicinum Deo. I. e. in consortium Deo venire, Natur. Quaest. I, praef. §. 5 (Lipsii Manuduct. in philosoph. Stoic. III, 14).

Sapientibus viris. I. e. philosophiae studiosis, et praesertim Stoicis, in quorum libris legendis otium suum collocasse videtur. Sit quoque Agric. c. 46 Tacit. *Si, ut sapientibus placet, non cum corpore magnae animae exstinguuntur.* Porro eadem verborum apud Graecos ratio exstitit, et σόφος idem olim fuit quod postea φιλόσοφος. Nam qui sapientiae et scientiae laude praecipue celebrabantur, eos vulgus σόφους appellabat; at modestiae causa primus Pythagoras quum a quibusdam interrogatus quis esset, respondit: φιλόσοφος; quod ipsius discipuli exemplum sibi proposuere.

In auxilium mei validus. Ita firmus ut ipse mihi auxilio esse possim.

In aliena castra confugit. Traductio elegans seu ἀλληγορία a re militari desumpta, cuius exemplum praebet Flaccus lib. III, Od. XVI, vs. 22 sqq.: *Nil sapientium Nudus castra peto, et transfuga divitum Partes linquere gestio.*

Velut in praes. positum. Est haec Stoicorum sententia: quare comparaverunt frequenter vitam cum militia. Exempla quaedam collegit Gataker. ad Antonin. pag. 77, 78; addi oportuit, quae Socrates ap. Platon. Apolog. pag. 66, 67. Tom. I. Bip. et alibi praeclare hanc in rem disseruit, quem ceteri hac formula utentes sequuti esse videntur.

Nunquam ego fortunae... honores... repetere. Nostrum iam ante exsilium tam divitiis gloriaque, eloquentiae, virtutis ac doctrinae laude, quam ho-

Digitized by Google

habui! itaque abstulit illa, non avulsit. Neminem adversa fortuna comminuit, nisi quem secunda de-
5 cepit. Illi qui munera eius velut sua et perpetua amaverunt, qui se propter illa suspici voluerunt, iacent et moerent, quum vanos et pueriles animos, omnis solidae voluptatis ignaros, falsa et mobilia oblectamenta destituunt. At ille qui se laetis rebus non inflavit, nec mutatis contrahit; adversus utrumque statum invictum animum tenet, exploratae iam firmitatis: nam in ipsa felicitate, quid contra infeli-
6 citatem valeret, expertus est. Itaque ego in illis quae omnes optant, existimavi semper nihil veri boni inesse: quin inania, et specioso ac decepturo fuco circumlita inveni, intra nihil habentia fronti suae simile. Nam

noribus eminuisse, inde liquet, quod ipse infra cap. 14, 3, se puerum *locupletem* vocat, et ex iudicio Caligulae de nostro, ap. Sueton. Cal. c 53, qui *tunc maxime placentem* celebrat, coll. Dione Cassio LIX, 19, ad ann. V. C. 792, videmus cum eloquentiae, virtutis et doctrinae laude floruisse. Tacit. XII, 8. Quaesturam ante exsilium gessisse, apparet ex cap. 17, infra.

Intervallum inter illa et me. E cod. nonnullis recepi. Antea: *inter me et illa.*

Sua et perpetua. Subaud. non *munera*, quae vox modo scripta occurrit, sed *negotia*, quasi diceretur *res suas et perpetuum mansuras.*

Suspici. Vide quam apta verba. *Suspicit* qui infra positus res altius sitas contemplatur; suspicit qui humili loco natus et manens, procerum luxuriam et opes adspicit.

Solidae. Frequentissime ea vox idem ac *integer.* Sic Virgil. Aeneid. lib. VI, vs. 552: *Soliduque adamante columnae* (nam hic ne putes adamantis duritiam a poëta indicari, sed nihil cavi iutus esse: *solido adamante, solido elephanto* gallice est *diamant massif, ivoire plein.*) Hor. Od. lib. I, 1, 20: *Partem solido demere de die.* Aliquando tamen significationem mutat, et pro re non fragili, non caduca usurpatur. Apud eumdem Flaccum habes exemplum: *Iustum et tenacem propositi virum Non civium ardor prava iubentium, Non vultus instantis tyranni Mente quatit solida.*

Adversus... invictum. Haud absimilis lib. IV, Od. 11, vss. 35 et 36 Horat. *Animus.... secundis Temporibus dubiisque rectus.*

Fuco. Fucus propr. succus quidam fuit, quem ex Lichene rocella (Linn.) vocamus *orseille*, qui in saxis marinis provenire solet. Acceperunt veteres, ut substerneretur purpurae in lana medicanda, φῦκος: qua mixtura purpura solidum colorem (τὸ δενδροειδὲς) conciliabant. Conf.

Digitized by Google

in illis quae mala vocantur, nihil tam terribile ac durum invenio, quam opinio vulgi minabatur: verbum quidem ipsum. persuasione quadam et consensu iam asperius, ad aures venit, et audientes tanquam triste et exsecrabile ferit: ita enim populus iussit: sed populi scita ex magna parte sapientes abrogant.

VI. Remoto igitur iudicio plurium, quos prima rerum facies, utcumque credita est, aufert, videamus quid sit exsilium: nempe loci commutatio est. Angustare videor vim eius, et quidquid pessimum in se habet, subtrahere: hanc commutationem loci sequuntur incommoda, paupertas, ignominia, contemptus. Adversus ista postea confligam: interim primum

Boëttiger ad Hor. III, 5, 28, p. 57: deinde usurpatur de colore, qui multa promittit, sed facile evanescit, nec quidquam praestat, ut h. l. *illinere*, *circumlinere* focum orationi, verbis, rei cuicumque, cui splendorem aliquem conciliare velis, solenne est.

Sed populi scita. Ipse sententiam mitigat adiecto *ex magna parte.*

Ex magna parte. Frequenter enim vox populi vox Dei est. At Stoicae philosophiae inprimis proprium erat, intervallum magnum esse inter populi scita et sua decreta, quippe pro hominis natura saepe rigidiora.

VI. Aug. Quum enim exsilium nihil nisi loci commutatio sit, et humanae naturae conveniat locum ex loco mutare, inter mala minime illud numerandum est.

Abrogant. H. e. delent. Eodem modo *abrogare* a *rogando* derivatur quo *deprecari* a *precando*: neque ergo aliud debuisset significare quam *deprecari*; sed nota frequenter apud Romanos dici *rogare* pro *ferre legem*, ergo et *abrogare* pro *delere*. Quod si quis interrogaverit unde haec duarum vocum *rogare* et *ferre* paritas ac συνωνυμία, recordetur ille quo modo lex in republica fieret: proponebat consul, praetor, aut tribunus quae plebs in foro aut adoptaret aut respueret; aliis verbis, rogabat consul, pr. aut trib., sanciebat populus vel abrogabat. Hinc rogatio est quod nos hodie appellamus *projet de loi*, et a populi scito discrepat cui vere meritoque legis et nomen et vis contigit.

Nempe. Manifesto; procul dubio. Haud absimilem definitionem exsilii dedit Philiscus, quum Ciceronem exsulem ap. Dion. Cass. XXXVIII, 24, consolaretur: cui loco Noster tam similis est, ut Dioni materiam consolationi, quam Philisco tribuit, suppeditasse videri possit.

Angustare videor vim eius. Haec lectio sensum bonum promit, et consuetudini Senecae per incisa eloquendi sensa sua congruit. Lipsius tamen codicis sui amore ductus, praetulit quam ibi invenit lectionem: *Angustare ne videamur vim eius.* Antiquam lectionem tuor.

illud intueri volo, quid acerbi afferat ipsa loci com-
2 mutatio. « Carere patria intolerabile est. » Adspice agedum hanc frequentiam, cui vix urbis immensae tecta sufficiunt: maxima pars illius turbae patria caret: ex municipiis et coloniis suis, ex toto denique orbe terrarum confluxerunt. Alios adducit ambitio, alios necessitas officii publici, alios imposita legatio, alios luxuria opulentum et opportunum vitiis locum quaerens: alios liberalium studiorum cupiditas, alios spectacula: quosdam traxit amicitia, quosdam industria, latam ostendendae virtuti nacta materiam: quidam venalem formam attulerunt, quidam venalem
3 eloquentiam. Nullum non hominum genus concurrit in urbem, et virtutibus et vitiis magna pretia ponentem. Iube omnes istos ad nomen citari, et, unde domo

Carere patria. In tota antiquitate pro malo habebatur; nec immerito, quandoquidem exsul utique tanquam peregrinus, ideoque parvi aestimatus
2 homo vivere debebat, quippe cui omnia civitatis, in quam migrasset, iura deerant. Cf. e. caus. Platon. Cr. T. I, p. 104, 123 Bip. Euripid. Phoeniss. 401, 104 ed. Beck.

Necessitas officii publici. Spectat e. c. ad equites, quos de Ira III, 33, 1, evocatos appellavit, ad iudicia exercenda. Omnia, quae hic notantur, magnis urbibus communia esse constat.

Opportunum locum. Quo nempe *cuncta undique atrocia et pudenda confluunt celebranturque.* Tac. Ann. lib. XV, cap. 44.

Spectacula. Belluarum scilicet et gladiatorum, multaque insuper id genus quae in arena exhibebantur. Quae quum numerosiora sint quam hic sigillatim omnia percurramus, lectorem remittimus ad Martialis li-
brum singularem qui ab ea materia quam tractat Spectaculorum nomen habet et triginta fere epigrammatum est.

Latum. Alii *Laxam*, Gronov. probatum, quia in codd. invenit. Sed utrumque nostro placuit. Proinde nil muto.

Venalem formam. Ne de mulierculis illud dictum existimes, quanquam apud Latinos saepe *quidam* pro *quaedam* invenias, sed de servis eximiae pulchritudinis, qui e Graecia, Asia, Aegypto, Italiam, Vrbem, optimatum sedes imperatoriamque aulam advehebantur, foedis voluptatibus unice reservati.

Venalem eloquentiam. I. e. causidici et advocati, quae hominum classis sub Caesaribus efflorescere coepit; de Ira, III, 37, 1. Nam ante sibi amplissima praemia oratores proponebant, famam et reipublicae summas dignitates.

Unde domo. Ex poeta repetitum

Digitized by Google

quisque sit, quaere: videbis maiorem partem esse, quae relictis sedibus suis, venerit in maximam quidem ac pulcherrimam urbem, non tamen suam. Deinde ab hac civitate discede, quae velut communis patria potest dici; omnes urbes circumi: nulla non magnam partem peregrinae multitudinis habet. Nunc transi ab 4
iis, quarum amoena positio, et opportunitas regionis plures allicit: deserta loca, et asperrimas insulas, Sciathum, et Seriphum, Gyarum, et Corsicam pete: nullum invenies exsilium, in quo non aliquis animi causa moretur. Quid tam nudum inveniri potest, quid tam abruptum undique, quam hoc saxum? quid ad copias respicienti ieiunius? quid ad homines inmansuetius? quid ad ipsum loci situm horribilius? quid ad caeli naturam intemperatius? plures tamen hic peregrini, quam cives consistunt. Vsque eo ergo com- 5

esse, cuique Virgilium Aen. lib. VIII, vs. 114, recordanti liquebit.

Communis patria. Quoniam omnibus fere populis terrae tunc imperitabat, et hominibus ex quacunque gente domicilia praebebat. Nostrum locum non neglexit Gatak. ad Antonin. p. 249, ubi hanc locutionem illustrat.

Sciathum et Seriphum, Gyarum. Insulae maris Aegaei exsulibus sub Caesaribus destinari solitae.

Córsicam. Antiqua lectio, quam reduxi. Muretus dedit: *Cosuram* (insulam inter Africam et Siciliam) ex coniectura mera: Iunius coni. *Corcyram*. — Mox *animi causa* (i. e. sua voluntate et voluptate) bipontini socii in *amici causa* corruperunt.

Quid tam nudum, etc. Corsica male audit ap. Strabonem, qui asperam, male habitatam, et plerisque locis eam inaccessam vocat: Plin. tamen Nat. Hist. III, XII, Corsicae 33 civitates et colonias assignat; et Diodorus Siculus melius de Corsica eiusque incolis sentit. Quam quidem diversitatem nulla alia ratione conciliaverim, nisi ut putem Straboni et Nostro de ea tantum insulae parte sermonem esse, quae ad mare vergat: caeterae enim fecunditate etiam nunc non carent: cf. Büsching. III, 989 noviss. edit. Incolas vero, eos praesertim qui oppidis procul degunt, venatorum et pastorum cultu vitam sustentantes nemo nescit et montibus suis et salebroso solo asperitate pares et ingenitae ferociae eo usque pertinaces, ut, ne Gallica quidem sub ditione, cuius illis iam plus quam quinquagesimus annus contigit, horridos mores et barbaros exsuerint.

Intemperatius ex Gron. coniect. recepi: *intemperantius*, quod antea erat, latine hoc sensu non dicitur.

Peregrini. Cf. c. VIII, de exsulibus noli intelligere.

mutatio ipsa locorum gravis non est, ut hic quoque locus a patria quosdam abduxerit. Invenio qui dicant, inesse naturalem quamdam animis irritationem commutandi sedes, et transferendi domicilia. Mobilis enim et inquieta mens homini data est: numquam se tenet: spargitur, et cogitationes suas in omnia nota atque ignota dimittit, vaga, et quietis impatiens, et novitate rerum laetissima. Quod non miraberis, si primam eius originem adspexeris. Non ex terreno et gravi concreta
6 corpore: ex illo caelesti spiritu descendit: caelestium autem natura semper in motu est: fugit, et velocissimo cursu agitur. Adspice sidera mundum illustrantia: nullum eorum perstat; labitur assidue, et locum ex loco mutat: quamvis cum universo vertatur, in contrarium nihilominus ipsi mundo refertur; per omnes

Nunquam. I.M. Heusinger Emendd. p. 237 coni. *nusquam*: Nihil muto.

Non ex terreno. Dogma Stoicorum notum: de quo cf. Ep. 39. Cic. Tusc. Dispp. I, 17—19: et Lipsii Physiol. III, 8.

Caelestium... in motu est. Agnoscis quam ridiculis argumentis falsa iterum atque iterum superadstruat. Nam, si physicae scientiae peritos et ἀστρονόμους interroges, ii respondebunt stare sidera, non moveri (nam πλανήτας et numero pauciores, et natura sua minus splendidas, stellas esse, non sidera); si altiora mox meditatus, ad metaphysicam transieris, quae paritas est mentis humanae, etiamsi a caelo fluxerit, et caelestium corporum; unum sit, nisi mentem dixeris quodammodo corpoream esse, nec materiae omnino expertem?

Perstat. I. e. perpetuum stat.

Labitur.... mutat. Omne; et hoc opponitur τῷ *nullum eorum perstat.* *Labi* dicitur frequentissime non id quod cadit, sed quod aëra per vacuum molli cursu fertur et aeque libratur; uti sidera, si motus siderum est, et planetae.

Universo. Universum una voce idem est ac *orbis universus*, et hinc gallicum verbum *univers.* Sic τοῦ κόσμου apud Graecos συνώνυμον propemodum fuit τὸ πᾶν. Caeterum *cum universo vertatur* significat non *eodem modo vertatur quo caelestium rerum universalitas*, sed *eodem tempore*, etc.

Mundo. Κόσμῳ, i. e. coelo. Mundo enim triplicem significationem, nempe caeli, Dei, materiae tribuerunt Stoici. Lipsius Physiolog. Stoic. II, 6, sq.

In contrarium..... refertur, etc. Re vera stant sidera, at movetur caelum ab occidente in orientem. Porro crediderunt veteres et astra moveri, sed ab oriente occidentem versus. Unde motus duplex et contrarius, hic siderum, ille mundi.

Digitized by Google

signorum partes discurrit; perpetua eius agitatio, et aliunde alio commigratio est. Omnia volvuntur semper, in transitu sunt, et ut lex et naturae necessitas ordinavit, aliunde alio deferuntur. Quum per certa annorum spatia orbes suos explicuerint, iterum ibunt per quae venerant. I nunc, et animum humanum, ex iisdem quibus divina constant compositum seminibus, moleste ferre puta transitum ac migrationem: quum Dei natura assidua et citatissima commutatione, vel delectet se, vel conservet. A caelestibus, agedum,[8] te ad humana converte! Videbis gentes populosque mutasse sedem. Quid sibi volunt in mediis Barbarorum regionibus Graecae urbes? quid inter Indos Persasque Macedonicus sermo? Scythia, et totus ille ferarum indomitarumque gentium tractus, civitates Achaiae Ponticis impositas litoribus ostentat. Non perpetuae hiemis saevitia, non hominum ingenia, ad similitudinem caeli sui horrentia, transferentibus domus suas obstiterunt. Atheniensis in Asia turba est: Miletus[9]

Signorum. In Zodiaco.

Quum per.....venerant. Iisdem perpetuum legibus parent sidera, eosdem quotannis cursus conficiunt; at quum et caelum universum moveatur, anno peracto astra locum remeant quem in immenso prius occupavere, sed quam caeli partem habebant, eadem non potiuntur. Ergo necesse est multos annos, multa saecula ante elabi quam idem revertatur siderum et caeli mutuus situs.

Macedonius sermo. Eorum, qui ut coloni ab Alexandro Magno in illis locis relicti erant.

Achaiae. I. e. Graeciae propr. sic dictae quae quidem Epiro, Thessaliae, Macedoniae Thraciaeque opponitur, et Peloponnesum continet, Atticam, Boeot. Locr. Phoc. Aetol. Acarn. Pausan. VII, 16, p. 293, ed. Facii Tom. II.

Ponticis. I. e. toti orae maritimae Ponti Euxini, (nobis *Crimée*, Chersonesus taurica appellata) in quam et Graeci et Milesii colonias miserant. Plura dabit Wolf. ad Demosth. Orat. adversus Leptinem, p. 252 sq.

Ad similitudinem caeli s. h. Cf. de Ira II, 16, 1: suoque simillima caelo, e poëta.

Atheniensis in Asia turba est. Antiqua eaque bona lectio. Pinciamus tamen mutavit, *Atheniensium in Asia urbs est M.* parum docte. Primum enim *turba* honestum vocabulum est, de quo nunc non dubitatur; deinde historia docet, Ioue (Vellei. Paterc. I, 4, p. 105 bip.) sive Neleo (Pau-

LXXV urbium populum in diversa effudit: totum Italiae latus, quod infero mari alluitur, maior Graecia fuit. Tuscos Asia sibi vindicat: Tyrii Africam incolunt; Hispaniam Poeni: Graeci se in Galliam immiserunt, in Graeciam Galli: Pyrenaeus Germanorum transitus non inhibuit: per invia, per incognita versavit se humana levitas. Liberos coniugesque, et graves senio parentes traxerunt. Alii longo errore iactati, non iudicio elegerunt locum, sed lassitudine proximum occupaverunt: alii armis sibi ius in aliena terra fecerunt;

san. VII, 2, p. 237, Tom. II, et quos ibi laudat Facius) duce, Iones ab Achaeis expulsos in Asiam Athenis migrasse et duodecim urbium, Panionii, (ante Chr. n. 1055) auctores fuisse. Harum urbium caput fuit Miletus (Herodot. I, 142 sqq. Plin. V, 29), quam 75 colonias emisisse Plin. l. c. testatur.

Infero mari alluitur. Imo et quas oras Superum Mare alluit. Nam et Daunia et Calabria et Salentini et Iapyges Graeciae Maioris pars fuere et Graecorum colouiis urbes et opes suas debuerunt.

Maior Graecia. Alias Magna Graecia dicta. Nam tres olim in Italia partes praecipue distinguebant, Italiam propriam, quae totius regionis quasi umbilicus fuit, Graeciam Magnam quae inferius sita in meridiem vergebat, et septemtrionem versus Galliam Cisalpinam. Istae autem, ut ipso nomine satis declaratur, migrantibus a Graecis et Gallis incolas receperant. Heynii Opuscul. Acad. T. II.

Tuscos. Etruscos, quos, duce Tyrrheno, e Lydia profectos in Etruria sedes suas fixisse, sibique a duce nomen Tyrrhenorum imposuisse, narrat Herodot. I, 94, aliique: attamen Dionys. Halicarn. I, 27, aliique eos indigenam gentem fuisse contendunt, Lipsio approbante: horum sententiam docte exposuit Heyne Exc. III ad Virgil. Aeneid. lib. VIII, vs. 478 sq.

Tyrii Africam inc. Spectat ad Didonem, conditricem Carthaginis, de qua ex Virgil. et Iustin. XVIII, 4. al. omnia nota sunt.

Hispaniam Paeni. Gades prima eorum urbs fuit, deinde plures incoluere Carthaginienses ab antiquissimis temporibus. conf. Diodor. Sicul. lib. V, cap. 38; Iustin. XLIV, 5.

Graeci se in Gall. im. Intelligit Phocaeenses, Φωκαιεῖς, conditores Massiliae. Ad angustias redacti a Cyro, Persarum rege, urbe sua relicta Corsicam occuparunt Phocaeenses, et non ita longe post Massiliam condidere. Herodot. lib. I, 162—167.

In Graeciam Galli. Haec invasio facta est Ol. 125, 2, ante Chr. n. 279, Simson. Chronicon Cathol. ad a. 3726.

Pyrenaeus. Nisi Celtas Gallosve, quos saepe Hispaniam invasisse constat, hic cum Germanis confuderit, eius auctoritatem equidem non defendam.

Liberos .... traxerunt. Nota tamen, ex hac gentium multitudine quae longinquas in oras sponte exul sese penetravit, nulli placuisse natali solo

quasdam gentes, quum ignota peterent, mare hausit; quaedam ibi consederunt, ubi illas rerum inopia deposuit. Nec omnibus eadem causa relinquendi quaerendique patriam fuit. Alios excidia urbium suarum, 11
hostilibus armis elapsos, in aliena, spoliatos suis, expulerunt: alios domestica seditio submovit: alios nimia superfluentis populi frequentia, ad exonerandas vires, emisit: alios pestilentia, aut frequens terrarum hiatus, aut aliqua intoleranda infelicis soli vitia eiecerunt: quosdam fertilis orae, et in maius laudatae fama corrupit: alios alia causa excivit domibus suis. Illud itaque est manifestum, nihil eodem loco mansisse, quo genitum est: assiduus humani generis discursus est: quotidie aliquid in tam magno orbe mutatur. Nova urbium fundamenta iaciuntur: nova 12
gentium nomina, exstinctis prioribus, aut in acces-

peiores locos, at omnes fere pro peioribus meliora obtinuisse. Non ergo levitate sola abrepti ii fuerant, qui patriam procul migraturi relinquebant, sed status ardui taedio et optimarum rerum voto et spe.

Alios excidia urbium suarum, etc. An hic urbium celeberrimam Troiam significet, qua diruta, Aeneas et Antenor in Italia condidere hic Patavium, ille Lavinium; an ad historiae verae tempora revolutus, alios casus, alias migrationes cogitarit, nescio. Certe exempla multa supersunt, Messenii v. g. qui ter a Lacedaemoniis caesi Naupactum, Rhegium et Zanclen, Siciliae urbem, fugerunt, cui Messanam nomen addidere, anno 453 ant. Chr. nat. etc.

Suis. Rebus, bonis, fortunis, agris, domibus; non, ut fortasse cogitabis, civibus.

Domestica seditio. Vt quae Idomeneum, postquam filium Neptuno immolavisset, Cretae imperio spoliavit, et Italiae proximas partes devenire iussit, qua in regione Salentum urbem condidisse fertur.

Superfluentis.... emisit. Sic Tyrii Carthaginem, sic Poeni Carthaginem novam, sic omnes fere Graeciae et Asiae civitates, et ipsa Roma, sed altiora praeparans, colonias multas procul misere.

Fertilis orae..... corrupit. Sic ex Arabum infelicibus terris, Palaestinam adiisse Hebraei dicebantur: sic e Gallia Senones, dein Asii Italiam. Sic post Senecae tempora, urgentibus iam imperii fatis, in Romanas provincias debacchata est a Germania, Sarmatia et Scythia, barbarorum colluvies.

Exstinctis prioribus) *Oedipopodionae quid sunt, nisi fabula, Thebae? Quid Pandionae restant nisi nomen, Athenae?* (Ovid. Metam. lib. XV, vss. 429 et 430). Et ut uni-

Digitized by Google

sionem validioris conversis, oriuntur. Omnes autem istae populorum transportationes, quid aliud, quam publica exsilia sunt?

4 VII. Quid tam longo te circuitu traho? quid interest numerare Antenorem, Patavii conditorem, et Evandrum in ripa Tiberis regna Arcadum collocantem? quid Diomedem, aliosque quos Troianum bellum, victos simul victoresque, per alienas terras dissipavit? Romanum imperium nempe auctorem exsulem respicit, quem profugum, capta patria, exiguas reliquias trahentem, necessitas et victoris metus, 2 longinqua quaerentem, in Italiam detulit. Hic deinde populus quot colonias in omnes provincias misit? ubicumque vicit Romanus, habitat. Ad hanc commutationem locorum libentes nomina dabant, et relictis aris suis trans maria sequebatur colonus senex.

cae regionis fata percurramus, quod olim Assyriae imperium bis appellatum fuerat, mox a Persis nomen obtinuit, Cyri ingenio dominante et fortuna; deinde vero post Darii et Alexandri obitum, Seleuci Nicanoris temporibus, Syriae regnum vocabatur; tum senescente et cadente Seleucidarum potentia, quum in solium Arsacidae evecti sunt, Parthicum imperium; et tandem Arsacidas excipientibus Sassanidis, Persicum rursus, ut Cyri tempore, dictum est.

In accessionem validioris conversis. Haec procul dubio Romae potentiam significant cuius imperio accessere civitates et populi, non eo quidem tempore quo debellati sunt, sed post pacem longam et per Romanorum magistratuum patientiam.

VII. ARG. Domestica exempla affert.

Antenorem. Nobilis hic fuit Troianus, qui Troia excisa in Italiam abreptus esse, ibique Patavium condidisse ferebatur. Vid. Heynii Exc. VII ad Virgil. Aen. lib. I, vs. 247.

Evandrum. De Evandro exstat Heyn. Exc. ad lib. Aen. VIII, vs. 51; et de *Diomede* ad libr. XI, vs. 243.

Romanum.....auctorem. Id est, Aeneam, Lavinii conditorem, et Albanorum auctorem, a quibus Romani sunt.

Quaerentem. Alii *quaerentes* unde Lipsius; *quaerens* sc. metus. Dure! Vulgata bene se habet. Necessitas enim et metus victoris (i. e. Graecorum) eum in Italiam detulit, ex. rel. trah. longinqua quaerentem: quae omnia plana sunt.

Habitat. Ad artificium et prudentiam Romanorum pertinet, qui cuncta in loca quae deviceraut, colonias miserint, ad quas omnes et ipsi *senes* nomen suum libenter dabant.

VIII. Res quidem non desiderat plurium enumera- 1
tionem: unum tamen adiiciam, quod in oculos se ingerit. Haec ipsa insula saepe iam cultores mutavit. Vt antiquiora quae vetustas obduxit, transeam, Phocide relicta, Graii qui nunc Massiliam colunt, prius in hac insula consederunt. Ex qua quid eos fugaverit, incertum est: utrum caeli gravitas, an praepotentis Italiae conspectus, an natura importuosi maris; nam in causa non fuisse feritatem accolarum, eo apparet, quod maxime tunc trucibus et inconditis Galliae populis se interposuerunt. Transierunt deinde 2
Ligures in eam, transierunt et Hispani, quod ex si-

VIII. Anc. Denique ipsa Corsica documento huius cupiditatis locum ex loco mutandi esse potest.

Phocide relicta. De re cf. Livium ad lib. V, c. 13 sq. L. XXXVII, c. 31; et Horat. Epod. XVI, vs. 17 sqq.: *Phocaeorum Velut profugit exsecrata civitas Agros atque lares patrios* etc. Phocis proprie est regio Graeciae inter Boeotiam et Aetoliam sita, Delphis, Parnasso, Helicone etc. celebris: quae a nonnullis auctoribus, sicut a nostro cum Phocaea, urbe Ioniae, confundi solet, Spanhemio ad Callim. p. 633, recte reprehendente, nostro tamen loco aliisque neglectis.

Massiliam. Vrbs Viennensium apud Cavares quam anno ant. Chr. 600, Tarquinii Prisci temporibus, Ionia profugi Phocaeenses condidere, eo mox potentiae pervenit ut per punicum bellum multum Romanis conferret, et totius Galliae veluti caput celebraretur, ac, quamquam Caesari minus placuisset ob Pompeii amicitiam, sui iuris etiam sub imperio diu permanserit. Hic enim ordo rerum publicarum sapientissimus exstitit, cui apud veteres famae ea laus contigit, quae apud nos hodie Anglicae Americae legibus, ita ut exemplaris loco persaepe allegaretur.

Incertum est. Herodotum l. l. non recordatus est Noster. Ille tradit: Quum vires suas magno praelio cum Poenis Tyrrhenisque coniunctis facto, quamvis secundo, magnopere attritas intellexissent, consilium cepere, Corsicam ultra tenere desperantes, oram gallicam adpetendi, ubi tandem Massiliam condiderunt circa Olymp. 50.

Caeli gravitas. Est hodieque in ora maritima et planitie finitima.

Praepotentis. Ob Tyrrhenos, quibuscum iam conflixerant.

Importuosi maris. Saxa enim syrtesque in vicinia sunt ab una parte. Caeterum insulam parum cognitam habuisse Senecam et hic locus testatur: Diodorus enim Sicul. l. l. Corsicam quam maxime portuosam (εὐπροσόρμιστον) appellat.

Ligures. Ligyes: distinguit Ligures ab Hispanis, qui tamen utrique unius eiusdemque originis, nempe Iberae fuisse videntur.

militudine ritus apparet: eadem enim tegumenta capitum, idemque genus calceamenti, quod Cantabris est, et verba quaedam; nam totus sermo, conversatione Graecorum Ligurumque, a patrio descivit. Deductae deinde sunt duae civium Romanorum coloniae: altera a Mario, altera a Sylla. Toties huius aridi et
3 spinosi saxi mutatus est populus. Vix denique invenies ullam terram, quam etiam nunc indigenae colant: permixta omnia et insititia sunt: alius alii successit. Hic concupivit, quod alii fastidio fuit: ille, unde expulerat, eiectus est. Ita fato placuit, nullius rei eodem semper loco stare fortunam. Adversus ipsam mutationem locorum, detractis ceteris incommodis quae exsilio adhaerent, satis hoc remedii putat Varro, doctissimus Romanorum, quod quocumque
4 venimus, eadem rerum natura utendum est. M. Bru-

Tegumenta. Nostro ut Hispano hoc in re fides habeatur vel maxime; quare aliunde testimonia concervare nihil attinet.

Cantabris. Cantabrorum gens Hispaniae oras olim occupavit quae ad septentrionem maxime vergunt inter Asturas et Ilergetes (haec regio *Biscaye* hodie appellatur) et Romanorum armis diu obstitit. Horat. lib. II, Od. IV: *Septimi Gades aditure mecum et Cantabrum indoctum iuga ferre nostra.* Devicit tamen pertinacissimum populum Agrippa. Idem epistol. ad Icium lib. I: *Cantaber Agrippae, Claudi virtute Neronis Arminius cecidit.* Cum quo congruit lib. III, Od. XII, hic locus: *Cantaber sera domitus catena*, mox lib. IV, Od. XIV: *Te Cantaber non ante domabilis.*

Deductae. Mariana colonia et Aleria. Mela lib. II, cap. 7, Pliu. N. H. lib. III, cap. 12, ed. bip.

Adversus ipsam..... adhaerent. Duo enim accurate secernenda quae ipse separavit, exsilium ipsum et quae mala exsilium vulgo consequuntur. Haec removet, dein rogat quid in ipso exsilio incommodi est.

Varro. Est M. Terent. Varro, Ciceronis aequalis: de quo conf. Cic. Acad. lib. I, 2 sqq.

Eadem rerum natura. Subtilius sane quam verius. Vbicumque quidem terrarum nos fortuna proiecerit, ibi terra, ibi caelum adspectabitur. At quid si spinosi et inculti, aut arena et rupibus horridi agri? Quid si asperum et corpori nocens caelum? Si Britanniae aut Germaniae incolis Libya indicitur, si Afris et Persis Hibernia et Thule, num eadem rerum natura est? Quam bene Horat. lib. II, Od. XVI, vss. 18, 19: *Terras* alio *calentes* Sole *mutamus*; et simillime Maro Georgic. II, 512: Alio *patriam quaerunt sub* sole *iacentem!* Quam-

Digitized by Google

tus satis hoc putat, quod licet in exsilium euntibus virtutes suas ferre secum. Haec etiamsi quis singula parum iudicat efficacia ad consolandum exsulem, utraque in unum collata fatebitur plurimum posse. Quantulum enim est, quod perdidimus? duo, quae pulcherrima sunt, quocumque nos moverimus, sequentur; natura communis, et propria virtus. Id actum est, mihi crede, ab illo, quisquis formator universi fuit, sive ille Deus est potens omnium, sive incorporalis ratio, ingentium operum artifex, sive divinus spiritus, per omnia maxima minima, aequali intentione diffusus, sive fatum et immutabilis causarum inter se cohaerentium series: id, inquam, actum est, ut in alienum arbitrium, nisi vilissima quaeque, non caderent. Quidquid optimum homini est, id extra humanam potentiam iacet, nec dari, nec eripi potest: mundus hic, quo nihil neque maius, neque ornatius, rerum Natura genuit; animus contemplator, admira-

vis idem semper perstet atque volvatur; et verius in Gallico opusculo exsul quidam; *Les astres même avaient changé; et du Ciel de notre patrie, il ne restait que le Soleil!*

M. Brutus. Percussor Iul. Caesaris: de eo omnia nota sunt. Plura dabit Ernest. Index hist. Cic. Quae hic afferuntur, occurrisse videntur in M. Bruti libro de virtutibus: cf. lib. IX, cap. 5. Cic. Paradox. I, qui Biantis exemplo haec illustrat.

Satis hoc putat. Cur Lipsius haec tria verba insititia putaverit, equidem non exputo. Mihi quidem necessaria esse videntur.

Id actum est. Habes hic diversas Stoicorum de eadem re sententias, de quibus adeas Lipsium Physiol. lib. I, cap. 5, 7; lib. II, 12.

Nec dari, nec eripi potest. Eadem verba in Sallust. Iugurth. cap. 1. — Mox: *quo nihil neque maius neque ornatius rerum natura genuit*, quod his simillimum est, in Iugurth. cap. 2: *ingenium, quo neque melius, neque amplius aliud est.* Porro notandum est *nihil neque.....neque*, quum vulgo latinis scribatur *nihil aut..... aut.* Graecos hic Annaeus imitatur, apud quos duplex negatio idem valet ac si una esset.

Quidquid opt ..... iacet, nec..... potest: mundus..... genuit; animus, etc. Distinxi ad hunc sensum: mundus et animus sunt duo illa quae optima sunt et extra humanam potestatem iacent. Hanc distinctionem et I. M. Heusingerum Emendd. p. 237 suasisse video.

Digitized by Google

torque mundi; pars eius magnificentissima, propria nobis et perpetua, tamdiu nobiscum mansura, quamdiu ipsi manebimus. Alacres itaque et erecti, quocumque res tulerit, intrepido gradu properemus.

4 IX. Emetiamur quascumque terras, nullum inventuri solum intra mundum, quod alienum homini est; undecumque ex aequo ad caelum erigitur acies, paribus intervallis omnia divina ab omnibus humanis distant. Proinde dum oculi mei ab illo spectaculo, cuius insatiabiles sunt, non abducantur, dum mihi lunam solemque intueri liceat, dum ceteris inhaerere sideribus, dum ortus eorum, occasus, intervallaque, et causas investigare velocius meandi, vel tardius, spectare tot per noctem stellas micantes, et alias immobiles, alias non in magnum spatium exeuntes, sed intra suum se circumagentes vestigium, quasdam su-

Perpetua. Non aeterna. *Perpetuum* est quod longo tempore et continuo permanet, perstat (alia autem voce opus est qua indicetur quale id tempus et quam longum); id autem aeternum quod initio carens fine caret.

IX. Ang. Quicumque sapientiam colit, ubique inveniet quo se delectet, et ad virtutem exercendam moveatur. Luxu facillime talem carere, docet. In his vero Democriti sententiam sequutus est, contendentis, omnem tellurem viro sapienti esse perviam, et bonae menti totum mundum patriam (cf. Arriani Epictet. Dissertat. lib. III, cap. 22, ubi de Cynismo praeclare exposuit).

Emetiamur quascumque terras, nullum inventuri solum intra mundum, quod alienum homini est. Sic Erasm. quem secutus sum. Alii: *nullum invenire intra mundum est alienum opus:* unde fecit Lipsius: *nullam invenire intra mundum est alienam nobis*: putans, quoniam brevius et concinnius, propterea melius quoque esse. Enimvero Erasmi, quem tamen et ipsum bonis codd. usum esse constat, lectio idoneum sensum praebet, et Senecae loquendi consuetudini convenit: quippe qui futuro periphrastico, quod vocant, uti amat, causam, s. consecutionem indicaturus, poëtarum more.

Inventuri. I. e. etiam si invenire in animo est. Sequi malui lectionem codd. fultam eamque bonum sensum praebentem, quam Lipsii lectionem coniectura concinne factam, quae quidem auctorem, non librarios emendare videtur.

Proinde, etc. Haec eadem praeclare extulit noster Nat. Quaest. lib. I, praefat. § 5.

Stellas micantes. Fixas ac planetas intelligi patet.

Digitized by Google

bito erumpentes, quasdam igne fuso perstringentes aciem, quasi decidant, vel longo tractu cum luce multa praetervolantes; dum cum his sim, et caelestibus, qua homini fas est, immiscear; dum animum, ad cognatarum rerum conspectum tendentem, in sublimi semper habeam; quantum refert mea, quid calcem? Atqui non est haec terra frugiferarum aut 6
laetarum arborum ferax: non magnis et navigabilibus fluminum alveis irrigatur: nihil gignit, quod aliae gentes petant, vix ad tutelam incolentium fertilis: non pretiosus hic lapis caeditur, non auri argentique venae eruuntur. Angustus animus est, quem terrena delectant: ad illa abducendus est, quae ubique aeque apparent, ubique aeque splendent; et hoc cogitandum est, ista veris bonis per falsa et prave credita obstare. Quo longiores porticus expedierint, quo, 7
altius turres sustulerint, quo latius vicos porrexerint, quo depressius aestivos specus foderint, quo

Subito erumpentes. Esse cometas, Rubkopf credit, et Nat. Quaest. lib. VII, cap. 12, 22, excitat. Ego crediderim potius de iis stellis Senecam loqui quae mediae noctis tempore inexpectatae oriuntur: illae enim quodam modo erumpunt; at quis cometen vidit erumpere? Tum, et id maioris momenti est, cometas infra designat his verbis *longo tractu cum luce multa praetervolantes.*

Quasdam igne fuso. I. e. stellas cadentes, bolidesque. (Quaest. Natur. lib. I, cap. 14; lib. VII, c. 20; Virgil. Georg. lib. I, vs. 377).

Longo tractu..... praetervolantes. Vid. superius annotata.

Atqui ex Erasm. et Lipsii edd. reduxi: Gronoviana et Bipontina ed. per incuriam *at* dantibus. *Atqui non est.* Iam exposuimus in antecedentibus, quomodo hoc iudicium intelligas, iniustum et falsum futurum, si de tota insula exposueris.

Angustus animus est. Eamdem fere cogitationum seriem invenies Nat. Quaest. lib. I, praef.

Turres. Aedificia altiora ac magnificentiora, de quibus Petronius de bello civili 87 (c. 120): *Aedificant auro, sedesque ad sidera mittunt.* Cf. Mitscherlich. ad Horat. lib. I, Od. IV, 13.

Vicos porrexerint: alii et Erasm. *correxerint*, lapsus librar.

Aestivos specus. Id est, porticus subterraneas, Cryptoporticus, quarum vestigia hodieque plura Romae exstant.

maiori mole fastigia coenationum subvexerint: hoc plus erit, quod illis caelum abscondat. In eam te regionem casus eiecit, in qua latissimum receptaculum casa est: nae tu pusilli animi es, et sordide se consolantis, si ideo id fortiter pateris, quia Romuli casam nosti. Dic illud potius; istud humile tugurium nempe virtutes recipit: iam omnibus templis formosius erit, quum illic iustitia conspecta fuerit, quum continentia, quum prudentia, pietas, omnium officiorum recte dispensandorum ratio, humanorum di-

Fastigia caenationum. Tecta (ἀστώματα) ornata et ampla aedium, ubi caenabatur. Aliquando tamen minor altitudo iis domibus fuit; et quidem Domitianus postea parvulas aedes condidit, sed elegantia et luxu explendescentes, quibus nomen *Mica* fuit. Martialis lib. II, Ep. LIX. Ernesti Clav. Cicer.

Si ideo. Alii et Erasm. *si non ideo*, nexu refragante: non ideo tibi casa placeat, quia et Romulus in casa habitavit, sed quia virtutes tuae tecum habitant.

Romuli casam. In monte Palatino (in regione decima Palatii) fuisse, ex Topographiis Romae, v.c. Adleri, nunc satis constat: exusta est anno V. C. 716, (Dio Cass. lib. XLVIII, cap. 43) per occasionem sacrificii, a pontificibus, quorum curae conservatio huius casae demandata fuit, ibi instituti, mox tamen reparata. Dionys. Hal. tradit (Lipsio laudante), si quid tempestate aut tempore periit, sarciunt supplentque (pontifices) ad priorem, ut potest, formam. Alii auctores ponunt hanc casam in octava regione, in monte Capitolino: quidni enim Romulus duas casas habuisset, quum et ibi Asylum Romuli fuisse constat? Lipsio equidem assentior, qui docte Romulo duplicem casam, veram et veterem in Palatio, alteram adsimilem religionis causa in monte Capitolino assignat.

Nempe recipit. I. M. Heusinger post *recipit* notam interrog. posuit l. l., quoniam τὸ *nempe* vim interrogandi habeat, laudatque Tursellin. de Partic. c. 36, 2; Plin. III, Epp. 16, 8. Sed haec observatio Tursellini falsa est. Numquam enim τῷ *nempe* inest per se eadem vis interrogandi, quae τῷ *annon* etc. inest: conf. c. 7, 1; de Ira, lib. I, cap. 5, etc.

Officiorum recte dispensandorum ratio. Non hic virtutes significat, sed virtutum notionem: quid exsequendum officii sit, quid vitii cavendum apprime nosse, virtutis initium est. Id rursus indicant quae mox sequuntur *humanorum divinorumque scientia*; nam *humana* et *divina* omne officii genus complectuntur. Nos quidem triplex officii genus arbitramur, id nempe quod sibi ipse homo debet, quod aliis hominibus, quod Deo. At haec ad duo facile revocantur: nam quod sibi aliisque aliquis debet, humanum est, quod Deo, divinum: aut, si Stoicae disciplinae accedentes, nihil officii erga Deos esse credimus nisi parum animum

Digitized by Google

vinorumque scientia. Nullus angustus est locus, qui hanc tam magnarum virtutum turbam capit: nullum exsilium grave est, in quo licet cum hoc ire comitatu. Brutus in eo libro, quem de Virtute composuit, ait 5
se vidisse Marcellum Mitylenis exsulantem, et, quantum modo natura hominis pateretur, beatissime viventem, neque unquam bonarum artium cupidiorem, quam illo tempore. Itaque adiicit, visum sibi se magis in exsilium ire, qui sine illo rediturus esset, quam illum in exsilio relinqui. O fortunatiorem Marcellum, eo tempore, quo exsilium suum Bruto approbavit, quam quo reipublicae consulatum! Quantus vir ille fuit, qui effecit, ut aliquis exsul sibi videretur, quod ab exsule recederet; qui in admirationem sui adduxit hominem, etiam Catoni suo mirandum? Idem Brutus ait, C. Caesarem Mitylenas praetervectum, quia non 6
sustineret videre deformatum virum. Illi quidem reditum impetravit Senatus, publicis precibus, tam sollicitus ac moestus, ut omnes illo die Bruti habere animum viderentur, et non pro Marcello, sed pro

et domesticam probitatem, tum dicere licebit, quod aliis debet homo, humanum esse, quod sibi, divinum.

M. Claud. Marcellum. Cons. a. V. C. 702, a partibus Pompeii contra Caesarem stetit: post pugnam pharsalicam Mitylenas se recepit: mox Ciceronis Senatusque precibus a Caesare revocatus, at prope Athenas in patriam rediturus a P. Magio Chilone occisus est, a V. C. 708. Cic. Brut. 71, (ibi Wezel) voluntarii exsilii huius viri praestantis mentionem facit. Ciceronis oratio, qua Caesari gratias egit, Senatus nomine, exstat, Quem cave ne eumdem credas cum C. Claudio Marcello Marci fratre qui anno V. C. 703, (ante Chr. nat. 50) consulatum gessit, et acerrimas inimicitias pariter cum Caesare habuit, aut istius filio C. Claudio Marcello qui consul cum P. Lentulo Crure ann. proximo (V. C. 704: ante Chr. nat. 49) sexdecim gladios Pompeio, reipublicae nomine, obtulit ut patriam contra Caesarem tueretur.

Bonarum artium. Id est, philosophiae et eloquentiae. Vtriusque enim studio incubuit, Cratippi Stoici discipulus.

Catoni. Vticensi, quo socero et avunculo utebatur M. Brutus.

Deformatum. Dignitate privatum, ut exsulem et pauperem hominem (§. 8).

se deprecari, ne exsules essent, si sine illo fuissent: sed plus multo consequutus est, quo die illum exsulem Brutus relinquere non potuit, Caesar videre. Contigit enim illi testimonium utriusque. Brutus sine
9 Marcello reverti se doluit: Caesar erubuit. Num dubitas, quin ille tantus vir, sic ad tolerandum aequo animo exsilium se ipse adhortatus sit: Quod patria cares, non est miserum: ita te disciplinis imbuisti, ut scires omnem locum sapienti viro patriam esse. Quid porro? hic qui te expulit, non ipse per annos decem continuos patria caruit? propagandi sine dubio imperii causa: sed nempe caruit; nunc ecce trahit illum ad se Africa resurgentis belli minis plena, trahit Hispania, quae fractas et afflictas partes refovet, trahit Aegyptus infida, totus denique orbis, qui ad occasionem concussi imperii intentus est. Cui primum rei
10 occurret? cui parti se opponet? Aget illum per omnes terras victoria sua. Illum suspiciant et colant gentes: tu vive Bruto miratore contentus. Bene ergo exsilium tulit Marcellus; nec quidquam in animo eius mutavit

Contigit testimonium. Honorificum nempe et felix.

Disciplinis. Sapientum.

Hic qui... caruit? Dum scilicet per Gallias dimicaret.

Trahit illum ad se Africa, etc. Bellum enim in Africa sustinuit, vixdum elapsis a Pharsalica pugna duobus annis (anno ante Chr. nat. 46), quum Pompeiani exercitus reliquias Iubae regis auxilio Q. Metellus Scipio collegisset. Cuius belli finem Caesar imposuit devicto Metello apud Thapsum.

Trahit Hispania. Arma rursum excitantibus Cn. et Sext. Pompeiis, Magni filiis, qui postquam Caesaris legatos bis vicerant, tandem apud Mundam victi et profligati sunt, a. ante Chr. 45. Acie perit Cneius, et fugae miserabili salutem Sextus debuit.

Trahit Aegyptus. Alexandrinum bellum designat quod eodem anno confecit quo Pharsaliae pugna Pompeianae opes concidere. Ergo ordo rerum chronologicus inversus est. Lucanus, Pharsal. lib. I: *Vltima funesta concurrant praelia Munda*.

Aget..... victoria sua. Per omnes terras armatus vagabitur et victoriam, et quam sibi potestatem hac victoria circumdedit, tutaturus.

Digitized by Google

loci mutatio, quamvis eam paupertas sequeretur, in qua nihil mali esse, quisquis modo nondum pervenit in insaniam omnia subvertentis avaritiae atque luxuriae, intelligit. Quantulum est enim, quod in tutelam homini necessarium sit? et cui deesse hoc potest, ullam modo virtutem habenti? Quod ad me 9
quidem pertinet, intelligo me non opes, sed occupationes perdidisse: corporis exigua desideria sunt; frigus submovere vult, alimentis famem ac sitim exstinguere: quidquid extra concupiscitur, vitiis, non usibus laboratur. Non est necesse omne perscrutari profundum, nec strage animalium ventrem onerare, nec conchylia ultimi maris ex ignoto litore eruere. Dii istos Deaeque perdant, quorum luxuria tam invidiosi imperii fines transcendit. Vltra Phasim capi 10
volunt, quod ambitiosam popinam instruat; nec piget a Parthis, a quibus nondum poenas repetiimus, aves petere. Vndique convehunt omnia vota fastidienti gulae. Quod dissolutus deliciis stomachus vix

Submovere. I. M. *Heusinger* Emendatt. p. 238, *submoveri vult* e codd. nonnullis praefert. At non opus est. *Corpus vult fr. submovere, al. fam. et sit. extinguere.* Si probes *submoveri*, etiam *extingui* mutandum erit.

Omne perscrutari profundum. Iuvenal. Sat. V, vs. 92 sqq.

Vltimi maris. Id est, Britannici, quod remotissimum mare in imperio Romano erat, et unde ostrea petebant e fundo Rutupino, Iuvenal. Sat. IV, vs. 141.

Invidiosi. Magnitudine immensi, populis infiniti, vi et potestate indomiti, cultu, elegantia, artibus perpoliti, ita ut finitimi invideant omnes.

Vltra Phasim. Fluvium Colchicum, hodieque *Fasi* appellatum. Petron. de bello civil 36: *Iam Phasidos unda Orbata est avibus, mutoque in litore tantum Solae desertis adspirant frondibus aurae.*

Ambitiosam popinam. Ad instruendas epulas adhibitae. Frequenter luxum hunc tangit, e. c. Ep. 78.

A Parthis... repetiimus. Ob Crassi cladem necemque ab iis ann. V. C. 700 factam: aquilas quidem reddidere, sed poena ab iis numquam data est. Et Horatium hanc iniuriam frequenter tangere in Odis, pluribus monere non opus est: quis enim ignorat, qui Senecam legerit? Sunt aves Phalerides e Seleucia Parthorum (Plin. lib. X, cap. 67, ibique Intp.) ad magnificas epulas.

Vota. Ap. Erasm. i. e. quae destinata sunt: *raritas*, ait mox, *et*

Digitized by Google

admittat, ab ultimo portatur Oceano. Vomunt ut edant, edunt ut vomant; et epulas, quas toto orbe conquirunt, nec concoquere dignantur. Ista si quis despicit, quid illi paupertas nocet? si quis concupiscit, illi paupertas etiam prodest. Invitus enim sanatur: et si remedia ne coactus quidem recipit, interim
11 certe, dum non potest, nolenti similis est. C. Caesar, quem mihi videtur rerum natura edidisse, ut ostenderet quid summa vitia in summa fortuna possent, centies sestertio coenavit uno die; et in hoc omnium adiutus ingenio, vix tamen invenit, quomodo trium provinciarum tributum una coena fieret. O miserabiles, quorum palatum nisi ad pretiosos cibos non excitatur! pretiosos autem, non eximius sapor aut aliqua faucium dulcedo, sed raritas et difficultas parandi
12 facit. Alioquin si ad sanam illis mentem placeat reverti, quid opus est tot artibus ventri servientibus?

difficultas parandi facit pretiosos cibos. Lipsius, Gronov. et Bipontin. habent *nota.*

Vomunt..... vomant. Acerbius expressum. Modestius Socrates dixit (Diog. Laërt. lib. II, cap. 34, ib. Menag.) τοὺς μὲν ἄλλους ἀνθρώπους ζῆν, ἵν' ἐσθίωσιν· αὐτὸν δὲ ἐσθίειν, ἵνα ζῴη. Similia eaque praeclara leguntur apud I. Stobaeum Florileg. περὶ ἀκρασίας. (ιὴ, 363; Schow. pag. 146, Serm. XVI). Gesn. ex Musonii libro περὶ τροφῆς.

Nolenti similis est. H. e. nolenti gulae indulgere, quum non possit, similis est.

Caius Caesar. Caligula.

Centies sestertio. Nostrae pecuniae fere 1,758,749 fr.

Trium provinciarum. Lect. antiqua. Lipsius emend. *mediocrium.* At quidni de menstruo vectigali intelligas, si haec proverbialis locutio iactantior esse videatur?

Non eximius..... parandi facit. Martial. lib. XIII, Epigr. LXXVI, de Rusticula: *Rustica sim, an perdix, quid refert, si sapor idem est? Carior est perdix; sic sapit illa magis.* Item Petronius: *Ales Phasiacis petita Colchis Atque Afrae volucres placent palato Quod non sunt faciles... Vltimis ab oris Attractus scarus, atque arata syrtis, Si quid naufragio dedit probatur, Quidquid quaeritur, optimum videtur.*

Tot artibus. Quasdam ex illis artibus, in his quae mox sequuntur, indicavit, venatoris nempe, piscatoris, urinatoris, mercatoris; plura ne innuit quidem, ut v. g. opsonatoris, pinguiarii, castratoris, pistoris, dulciarii, coqui, sectoris, etc.

quid mercaturis? quid vastatione silvarum? quid profundi perscrutatione? passim iacent alimenta, quae rerum natura omnibus locis deposuit: sed haec velut caeci transeunt, et omnes regiones pervagantur, maria traiiciunt, et quum famem exiguo possint sedare, magno irritant.

X. Libet dicere: Quid deducitis naves? quid manus et adversus feras et adversus homines armatis? quid tanto tumultu discurritis? quid opes opibus aggeritis? non vultis cogitare, quam parva vobis corpora sint? Nonne furor et ultimus mentium error est, quum tam exiguum capias, cupere multum? Licet itaque augeatis census, promoveatis fines, nunquam tamen corpora vestra laxabitis. Quum bene cesserit negotiatio, multum militia retulerit; quum indagati undique cibi coierint, non habebitis ubi istos apparatus vestros collocetis. Quid tam multa conquiritis? Scilicet maiores nostri, quorum virtus

Quid mercaturis. Id est, negotiationibus ad opes et instrumenta luxus arcessenda.

Vastatione silvarum. Ad aedificia luxus causa exstruenda, vel potius ad feras excipiendas.

Passim iacent. Recte laudat Lipsius quae Teles, Pythagoreus, ex Bione affert, sane praeclara, in quibus paupertas hominem opibus suis non contentum refellit: quibus Seneca usus esse videri potest. Exstant ap. I. Stobaeum, Florileg. Serm. lib. I, p. 18 (146 sq. Schov. λόγος ἑ).

X. ARG. Nec avaritia felicem reddit.

Deducitis naves. In mare a continenti, ubi confecta navigatione conservabantur; vid. Intpp. ad Hor. lib. I, Od. IV, 1. Sensus: quid navigatis?

Vltimus error. Vt gallice; gravissimus error.

Capias, cupere. Ludit pueriliter sane in paronomasia τοῦ *capere* et *cupere.*

Laxabitis. Ampliora facietis.

Quum bene cesserit. Erat inter modos solennes opes et facultates sibi adsciscendi duplex hac aetate ratio: *negotiatio*, genus quaestus faciendi pecuniis et Romae et in provinciis foenori locandis, tum vero etiam frumentis aliisque mercibus Romam advehendis ac bono pretio vendendis (Ernest Clav. Cic. *Negotiator*): alter modus *militia* continebatur, inprimis in bellis cum barbaris; cf. Heynius ad Tibull. lib. I, Eleg. 1, 1.

Scilicet. Ironice dicta esse quis non intelligit?

Quorum virtus, etc. Nisi enim

etiam nunc vitia nostra sustentat, infelices erant, qui sibi manu sua parabant cibum; quibus terra cubile erat; quorum tecta nondum auro fulgebant; quorum templa nondum gemmis nitebant! Itaque tunc per fictiles Deos religiose iurabatur: qui illos invocaverant, ad hostem, morituri, ne fallerent, redibant. Scilicet minus beate vivebat dictator noster, qui Samnitum legatos audiit, quum vilissimum cibum in foco ipse manu sua versaret, illa, qua iam saepe hostem percusserat, laureamque in Capitolini Iovis gremio reposuerat, quam Apicius nostra memoria vixit! qui in ea urbe, ex qua aliquando philosophi, velut corruptores iuventutis, abire iussi sunt, scientiam popinae professus, disciplina sua saeculum in-
3 fecit; cuius exitum nosse operae pretium est. Quum

vitute sua orbem universum antiqui romani devicissent, orbis victi opes et bona filii nunquam congessissent.

Sibi manu sua parabant cibum. Curium innuit, de quo inferius.

Per fictiles deos religiose iurabatur. Similiter Tibull. Eleg. I, X, 20 sqq.

Qui illos invocaverant etc. Ad Regulum spectat, *ne fallerent*, i. e. ut promissis starent.

Dictator noster. M. Curius Dentatus, quem rapas coquentem adierunt Samnitum legati. Cic. Caton. 16; Plin. N. H. lib. XIX, cap. 6. Erat Curius modo consul.

Laureamque in Capitolini Iovis. Ap. Erasm. *lancemque lanceam*. Male. Laurcam enim triumphator deposuit in gremio Iovis Cap. Lipsius ad Tac. Annal. lib. II, cap. 26, et Excurs. D.

Apicius. Vixere tres Apicii iidemque proceres gulae; hic fuit secundus, M. Gabius Ap. sub Augusto et Tiberio, quem et Plin. lib. IX, c. 30, lib. X, cap. 68 Bip. nepotum omnium altissimum gurgitem appellat. Dio Cass. lib. LVII, cap. 19 idem, quod noster, de eo tradit. Occurrit et ap. Iuvenalem, Martialem, Lampridium. Mart. lib. III, Epig. XXII: *Dederas Apici, bis trecenties ventri, sed adhuc supererat centies tibi laxum Hoc tu gravatus, ne famem ac sitim ferres, summa venenum potione duxisti. Nil est, Apici, tibi gulosius factum.* Plura dabit P. *Bayle* voce *Apicius*.

Philosophi. Ann. V. C. 592. Senatusconsulto, in quo Praetori M. Pomponio iniunctum est, uti curaret, uti e republica fideque sua videretur, uti Romae ne essent. Hoc repetitum est ann. V. C. 660, a censoribus Luc. Lic. Crasso et Cn. Domitio Ahenobarbo. Cic. Orat. lib. III, cap. 24, 8. Aull. Gel. lib. XV, XI. Sueton. de Clar. Rhet. 1. Idem fecit Vespasianus.

Scientiam popinae professus. Vt olim Augusti temporibus hic Tatius

Digitized by Google

sestertium millies in culinam congessisset, quum tot congiaria principum, et ingens Capitolii vectigal singulis comessationibus exsorpsisset; aere alieno oppressus, rationes suas tunc primum coactus inspexit; superfuturum sibi sestertium centies computavit, et velut in ultima fame victurus, si in sestertio centies vixisset, veneno vitam finivit. Quanta luxuria erat, cui sestertium centies egestas fuit? I nunc, et puta pecuniae modum ad rem pertinere, non animi.

XI. Sestertium centies aliquis extimuit, et quod alii voto petunt, veneno fugit; illi vero tam pravae mentis homini ultima potio saluberrima fuit. Tunc venena edebat bibebatque, quum immensis epulis non delectaretur tantum, sed gloriaretur, quum vitia sua ostentaret, quum civitatem in luxuriam suam converteret, quum iuventutem ad imitationem sui sollicitaret, etiam sine malis exemplis per se docilem. Haec accidunt divitias non ad rationem revocantibus, cuius certi sunt fines, sed ad vitiosam consuetudinem, cuius immen-

Insuber, de quo Horatius, lib. II, Sat. IV, scripsit. At illustrior multo Apicius cuius nomen ad prodigum virum et gulosum designandum invaluit. Qui quidem culinariae scientiae arcana ita, non solum calluit, sed professus est, ut de iis librum conscripserit, cuius pars ad nos usque pervenit.

Sestertium millies. Nostrae monetae 17,587,495 fr.

Principum. Augusti et Tiberii. Lipsius de proceribus et divitibus Senatus intelligit.

Capitolii vectigal. Hoc idem Lipsius comparative sumit, ut Apicius tantum absumpserit, quantum vel Capitolii vectigal annuum fuisset ad tutelam aut ornatum publice erogatum.

Pecuniae modum.....non animi. H. e. quis sit pecuniae modus, non interest: quis animo, interest (*ad rem interest*, ut Gallice idem valent: *Cela ne fait rien*, vel, *cela ne fait rien à l'affaire*). Ergo sensus cum ironia levi est: perge nunc, demens, opes laudare, et dic, ut ante, hominum interesse non quae mentis ratio sit, sed quis census, non quot virtutes, sed quot nummi. *I nunc..... animi.* Bene a Grut. aliisque e codd. repositum: in Erasmi ed. corrupta legantur.

XI. Ang. Nec paupertas ullum exsuli incommodum habet, modo non animum applicuerit iis, quae luxuria invexerit: homini enim frugi, sicut naturae, parvum satis est.

Digitized by Google

2 sum et incomprehensibile arbitrium est. Cupiditati nihil satis est, naturae satis est etiam parum. Nullum ergo paupertas exsulis incommodum habet: nullum enim tam inops exsilium est, quod non alendo homini abunde fertile sit. « At vestem, an domum desideraturus est exsul? » Si haec quoque ad usum tantum desiderabit, neque tectum ei deerit, neque velamen: aeque enim exiguo tegitur corpus, quam alitur; nihil homini natura, quod necessarium faciebat, fecit operosum. Si desiderat saturatam multo conchylio purpuram, intextam auro, variisque coloribus distinctam et artibus; non fortunae iste vitio, sed suo pauper est; etiamsi illi, quidquid amisit, restitueris, nihil ages; plus enim restituto deerit ex eo quod cupit, quam
3 exsuli ex eo quod habuit. Si desiderat aureis ful-

Incomprehensibile. Non quod impossibile est intelligit, sed quod nullo modo comprehendi, contineri potest.

Exsulis. Referenda haec vox non ad *incommodum*, sed ad *paupertas*, quasi diceretur: *Nihil incommodi paupertas exsulanti affert.*

At vestem, an domum. Quum objectio sit, reduxi prius *at.* Antea ap. Erasm. alios, Schottum et Bip. *an.... an.* I. M. Heusinger Emendd. p. 238 mavult: *At... at...?* Sed hoc non opus est: nam τὸ *an* loco τοῦ *aut* frequenter ponitur.

Saturatum multo conchylio purpuram. Id est, bene tinctum purpuream vestem. Conchyliis quibusdam in Archipelago potissimum capi solitis, inprimis vero purpurae pelagiae, et murici s. buccino succus ille pretiosus inerat, qui vivis iis ex faucibus detractus aqua marina admixta coquebatur, donec purpurariis ad tingendam lanam se approbasset. Buccinum adhibebatur, postquam lana fuco (ad cap. V, §. 6.) tincta erat; pelagia enim fucum non admittebat. Quo plus conchylii s. purpurae lana potasset, hoc pretiosior vestis fiebat. Hinc dibaphus, dibapha vestis, id est, bis tinta, (δίς, bis; βάπτειν, mergere, tingere) occurrit. Nostro tempore hic tingendi modus cessit herbarum insectorumque succis, quae a *cocco coccineis* nuncupantur *cochenilles.* Locus cl. de hac re est ap. Plin. N. H. lib. IX, c. 35 sqq. Conferri etiam potest Paschalis Amatius de restitutione purpurarum (Cesenae, 1784, 4 ed. III), inprimis eo nomine lecta dignus, quod diligenter loca veterum collegit, ab artis tamen perito adhuc digerenda, excutienda ac dilucidanda. Hoc loco de summo fastigio fortunae sermonem esse, facile in oculos se ingerit: intelligamus igitur togam pictam s. palmatam, triumphatoribus propriam, eamque pretiosissimam.

Restitueris. Bonis omnibus fere Caesarum tempore illi exuebantur

Digitized by Google

gentem vasis supellectilem, et antiquis nominibus artificum argentum nobile, aes paucorum insania pretiosum, et servorum turbam, quae quamvis magnam domum angustet, iumentorum corpora differta et coacta pinguescere, et nationum omnium lapides: ista congerantur licet, nunquam explebunt inexplebilem animum, non magis, quam ullus sufficiet humor ad satiandum eum, cuius desiderium non ex inopia, sed ex aestu ardentium viscerum oritur; non enim sitis illa, sed morbus est. Nec hoc in pecu- 5
nia tantum, aut alimentis evenit: eadem natura est in omni desiderio quod non ex inopia, sed ex vitio nascitur; quidquid illi congesseris, non finis erit cupiditatis, sed gradus. Qui continebit itaque se intra naturalem modum, paupertatem non sentiet: qui naturalem modum excedet, eum in summis opibus quoque paupertas sequetur. Necessariis rebus et exsilia sufficiunt; supervacuis nec regna. Animus est qui di- 6
vites facit: hic in exsilia sequitur, et in solitudinibus asperrimis, quum quantum satis est sustinendo corpori invenit, ipse bonis suis abundat et fruitur. Pe-

quos in exsilium principis voluntas eiiceret. At distinguenda est sedulo ab exsilio relegatio, quae, exsilii gradus minor, patria tantum, non opibus civem spoliabat.

Antiquis.... nobile. Quod argenti genus *archetypum* nuncupabatur; hoc est, primo typo elaboratum. Nam poculis et vasis metallo saepe res variae insculpebantur; at plerique caelatores non illa caelabant quae ipsi ingenio suo invenerant, sed quae summi nominis artifices olim perfecerant. Patet autem immensum fuisse discrimen inter haec quae aut Polycletus aut Mentor mente concepisset, manu peregisset, et quae minoris famae et ingenii artifex imitatus erat.

Aes paucorum Exemplum habes ap. Horat. lib. III, Sat. III, 21.

Quamvis magnam. Qualibet spectanda magnitudine sit.

Lapides. Sunt marmora; sic interpr. Ruhkopf. Quidni lapides pretiosissimi, onyches, smaragdi, etc.? Sed utrumque hic indicari reor. *B.*

Vllus sufficiet humor etc. Hor. lib. II, Od. II, 13: *Crescit indulgens sibi dirus hydrops, nec sitim pellit, nisi causa morbi Fugerit venis.*

Sed gradus. Quidquid enim insatiabili tibi indulges, id cupidini alimenta praebet et vires, nedum satisfaciat.

cunia nihil ad animum pertinet, non magis quam ad Deos immortales omnia ista quae imperita ingenia,
7 et nimis corporibus suis addicta, suspiciunt. Lapides, aurum et argentum, et magni laevatique mensarum orbes, terrena sunt pondera, quae non potest amare sincerus animus, ac naturae suae memor; levis ipse, et expers curae, et quandoque emissus fuerit, ad summa emicaturus; interim, quantum per moras membrorum, et hanc circumfusam gravem sarcinam licet, celeri et volucri cogitatione divina perlustrat: ideoque nec exsulare unquam potest liber, et Diis cogna-
8 tus, et omni mundo omnique aevo par. Nam cogitatio eius circa omne caelum, et in omne praeteritum futurumque tempus immittitur. Corpusculum hoc,

Suspiciunt. Quasi *supra adspiciunt*, h. e. demirantur.

Magni laevatique. Confer de Ira, lib. III, cap. 35. De citreis mensis loquitur Plin. lib. XIII, cap. 29, Bip. T. II, p. 380 sq. Senec. de Benef. lib. VII, cap. 9, qui locus cum nostro conferatur.

Sincerus. Cui nihil obductum aut illitum fuit quod mentis naturae contrarium est. *Sincerus* est a *sine cera.*

Levis ipse et expers curae. Ex codd. reduxi. Ipse noster, 17, 7: *sunt autem optimae (res), quum animus omnis cogitationis expers.* — Codd. variant; *levis ipse, expers et quandoque*; alii *levis ipse et expers.* Inde fecit Gronov. *levis ipse et exsertus, et quandoque. Exsertus* explicat: *promtus, paratus*: immemor loci nostro simillimi Nat. Quaest. I, praefat. §. 8, *at ita minimum secum ex corpore tulit, si sordidum omne detersit, et expeditus levisque ac contentus modico emicuit.* Qui totus locus conferendus est. *Exsertus* manifestum designat, non item promtum, paratum, Gronovio quamvis contra nitente ob Lucan. lib. II, vs. 543; Pacat. in Panegyr. ad Theodos. 35, et Claudian. in Sexto Honorii consulatu. Nisi Critici elegantias interdum, archaismos ac insolita verba captarent in emendandis auctoribus veteribus, haud scio, an emendatiores veteres legeremus. Nostra lectione nihil clarius et convenientius esse videtur. *Trillerus* p. 140 l. m. emendaverat: *levis ipse praepes* s. *expeditus.* I. M. Heusinger. l. l. *expers ponderis. quandoque* i. e. quandocunque (laudat Burm. ad Quinctil. lib. X, cap. 1, p. 884, ad vim τοῦ *quandoque* declarandam, nunc satis notam).

Emicaturus. Evolaturus fulguri par, quod temporis brevissimo articulo et micat et evanescit.

Corpusculum hoc, etc. Vt vim corporis in animum exprimerent veteres philosophi, imaginibus a custodia, vinculis, compedibusque, crassa Minerva iam antiquitus repetitis et fre-

custodia et vinculum animi, huc atque illuc iactatur; in hoc supplicia, in hoc latrocinia, in hoc morbi exercentur; animus quidem ipse sacer et aeternus est, et cui non possunt iniici manus.

XII. Nec me putes ad elevanda incommoda paupertatis, quam nemo gravem sentit, nisi qui putat, uti tantum praeceptis sapientum. Primum aspice, quanto maior pars sit pauperum, quos nihilo notabis tristiores sollicitioresque divitibus: immo nescio an eo laetiores sint, quo animus eorum in pauciora distringitur. Transeamus a pauperibus; veniamus ad locupletes: quam multa sunt tempora quibus pauperibus similes sunt? Circumcisae sunt peregrinantium sarcinae, et 2 quotiescumque festinationem necessitas itineris exigit, comitum turba dimittitur. Militantes quotam partem rerum suarum secum habent? quum omnem apparatum castrensis disciplina submoveat. Nec tantum conditio illos temporum, aut locorum inopia, pauperibus exaequat: sumunt quosdam dies, quum iam illos divitiarum taedium cepit, quibus humi coenent, et remoto auro argentoque, fictilibus utantur. Dementes! 3 hoc quod aliquando concupiscunt, semper timent. O quanta illos caligo mentium, quanta ignorantia veritatis exercet, qui fugiunt quod voluptatis causa imi-

quenter adhibitis usos esse, constat vel ex Cic. Tusc. Disput. lib. I, cap. 30 al. — Quam hic affert noster sententiam de animi aeternitate, Stoicis propriam non esse (Cic. Tusc. disp. lib. I, cap. 31 fin.), nec nostrum sibi in ea exponenda semper constitisse, patet ex collat. Ep. 71, 102, 65; Consol. ad Marc. 26.

XII. Anc. Praeter sapientum praecepta, vita quoque communis et exempla adhibeantur ad elevanda paupertatis incommoda.

Elevanda. Tollenda, celanda, ex oculis procul trahenda et submovenda. Persius, Sat. I: *Non, si quid turbida Roma Elevet, accedas.*

Circumcisae sunt. Intra arctiorem modum coërcitae.

Apparatum. Sc. luxuriae.

Sumunt quosdam dies. Rus secedunt, relicto urbis tumultu, ad animum laxandum. Hor. III, Od. XXIX, vss. 13 sq. Noli cum Lipsio cogitare de Saturnalibus, quorum mentio fit Ep. XVIII, a Lipsio laudata.

tantur! Me quidem, quoties antiqua exempla respexi, paupertatis uti solatiis pudet: quoniam quidem eo temporum luxuria prolapsa est, ut maius viaticum exsulum sit, quam olim patrimonium principum fuit. Vnum fuisse Homero servum, tres Platoni, nullum Zenoni, a quo coepit Stoicorum rigida ac virilis sapientia, satis constat; num ergo quisquam eos miseros vixisse dicet, ut non ipse miserrimus ob hoc omnibus videatur? Menenius Agrippa, qui inter patres ac plebem publicae gratiae sequester fuit, aere collato funeratus est. Attilius Regulus, quum Poenos in Africa funderet, ad Senatum scripsit, mercenarium suum discessisse, et ab eo desertum esse rus: quod Senatui publice curari, dum abesset Regulus, placuit. Fuit

Viaticum exsulum. In exsilium pulsi bonis omnibus atque fortunis exuebantur, relicto tamen pecuniae satis ut vitam sustinere possint. At id *pecuniae pauxillum ad vitam sustinendam* multum erat; aliquando enim non minus fuit centies sestertio (magis quam 2,000,000 f.) Quod ut principio stupebis, verumtamen credes, ubi ad immensas Romanorum opes paululum attenderis.

Principum. I. e. potiorum hominum, exempli causa; Homeri, aliorumque, quos mox laudat. Lipsius hoc ipso capite de proceribus et senatoribus cogitat, quod non multum a nostro sensu distat.

Vnum fuisse Homero. Ignoro, unde haec hauserit: nam fabulam de Homeri caecitate iam a Cicerone Tusc. disp. lib. V, cap. 39, et Velleio Paterc. lib. I, cap. 5, derisam cum Lipsio (qui ait: quidni ductorem caeco?), cogitare nolim.

Tres Platoni. Ap. Diogen. Laërt. lib. III, cap. 43 (ub. Menag. quem tamen locus noster fugit), quatuor servi; ap. Apuleium duo memorantur.

Nullum Zenoni. Hinc Diog. Laërt. lib. VII, cap. 23, δοῦλον quem verberasse dicitur, de alieno servo, quem in furto deprehenderet, intelligas.

De Menenio Agrippa. Liv. lib. II, cap. 31 sq. qui a. V. C. 261, plebem patribus reconciliavit, fabulam de corporis membris inter se discordibus narrando.

Attilius Regulus. Ille qui, constantiae ac fidei praeclarissimum exemplar, ad Carthaginienses et supplicium reversus est, quum in patria quietus et felix degere posset (Val. Max. IV, cap. 4). Quod satis notum.

Discessisse. Bene Lipsius restituit: antea *decessisse*. Val. Max. lib. IV, cap. 4: Villicum mortuum esse, occasionemque nactum mercenarium, amoto inde rustico instrumento, discessisse.

Fuit nae tanti: bene. *Ne* male ap. Erasm.

Digitized by Google

nae tanti, servum non habere, ut colonus eius populus romanus esset. Scipionis filiae ex aerario dotem acceperunt, quia nihil illis reliquerat pater. Aequum mehercules erat populum romanum tributum Scipioni semel conferre, quum a Carthagine semper exigeret. O felices viros puellarum, quibus populus romanus loco soceri fuit! Beatioresne istos putas, quorum pantomimae decies sestertio nubunt, quam Scipionem, cuius liberi a senatu, tutore suo, in dotem aes grave acceperunt? Dedignatur aliquis paupertatem, cuius tam clarae imagines sunt? indignatur exsul aliquid sibi deesse, quum defuerit Scipioni dos, Regulo mercenarius, Menenio funus? quum omnibus illis, id quod deerat, ideo honestius suppletum sit, quia defuerat? His ergo advocatis, non tantum tuta est, sed etiam gratiosa paupertas.

Scipionis. Idem occurrit Nat. Quaest. lib. I, cap. 17 fin. Si nostrum sequaris, fuit ille P. Corn. Scipio Afric. maior; quem pauperem fuisse constat ex Liv. l. XXXVIII, cap. 60 fin. De beneficio hoc Senatus in eius filias Seneca fere unus tradidit, cuius quidem auctoritas in rebus antiquioribus haud magna habetur: fuisse tamen varios in hac re narranda auctores, ex Liv. lib. XXXVIII, c. 57, colligi potest, ut proinde hac ex parte noster defendi possit contra Lipsium, nostro omnem fidem abrogantem, et Cn. Scipionem, patruum Africani, hic intelligendum esse ex Val. Max. lib. IV, cap. 10, monentem. At vir doctissimus Valerium parum diligenter inspexit, qui haecce habet: Idem Senatus Fabricii Luscinii Scipionisque filias ab indotatis nuptiis liberalitate vindicavit. Atqui hic Fabricius fuit praetor, idemque Scipionis, quem dico, aequalis, historia docente.

Quum a Carth. semper exigeret. Nam quae tributa Carthaginienses quotannis pendebant, haec Scipionis ingenio et fortunae Roma debebat, id quasi Scipionis perpetuum munus erat.

Loco soceri. Quod scilicet dotem a populo Romano acceperant.

Pantominae. Quas proceres et divites ad agendas saltandasque fabulas alere solebant. Conf. Horat. I. Serm. II, 56. Salmas. ad Vopisc. Aurelian. C. 42, p. 529.

Decies sest. Propemodum decies centena mill. sest. h. e. 1,000,000 sest. Gallic. ad 203,000 fr.

Aes grave. Nat. Q. lib. I, cap. 17, non argentum, sed aes, e quo primum Romae pecunia per longum temporis spatium facta est, filiis in dotem dabatur; ad summam autem pecuniae exiguam significandam valet.

His ergo advocatis. Hic sensus est:

XIII. Responderi potest: « Quid artificiose ista di-
1 » ducis, quae singula sustineri possunt, collata non
» possunt? Commutatio loci tolerabilis est, si tantum
» locum mutes: paupertas tolerabilis est, si ignominia
» absit, quae vel sola opprimere animos solet. » Adversus hunc, quisquis me malorum turba terrebit,
2 his verbis utendum erit. Si contra unam quamlibet partem fortunae satis tibi roboris est, idem adversus omnes erit: quum semel animum virtus induravit, undique invulnerabilem praestat. Si avaritia dimisit, vehementissima generis humani pestis, moram tibi ambitio non faciet. Si ultimum diem non quasi poenam, sed quasi naturae legem adspicis; ex quo pectore mortis metum eieceris, in id nullius rei timor audebit
3 intrare. Si cogitas libidinem non voluptatis causa homini datam, sed propagandi generis; quem non violaverit hoc secretum et infixum visceribus ipsis exi-

haec vel hos postquam in exemplum advocavi, etc.

XIII. Ang. Non solum hoc malum bene tolerari potest, sed quoque cetera omnia. Qui enim sapiens unum malum ferre didicit, et reliqua omnia vincere poterit. — Ad Stoicorum decreta et hoc pertinere liquet: *Qui unam virtutem, quive unum vitium habeat, illum aiunt omnia cetera habere, et virtutes omnes et vitia omnia.* Conf. Cic. Paradox. III, Lipsius in Manuduct. ad Philosoph. Stoic. lib. III, cap. 4 et 20.

Turba. Gruter. ex libris suis praefert *turbo.* Sed non opus est, modo *turba* casu sexto accipias. Mecum sensit I. M. Heusinger Emendatt. p. 238.

Avaritiae autem duplex potestas subest, altera, qua aviditatem pecunias quoquo modo et titulo coacervandi, iisque incubandi, nullo carum usu facto; altera qua luxuriam illam designat, quae turpiter amittat ea, quae turpius reparet (Nat. Q. I. praef. §. 4).

Ambitio. Studium honorum accipiendorum, in quibus obeundis magnae divitiae parari solent.

Libidinem. H. e. concubitum; non, ut vulgo, *turpes amores* et rei venereae foedum usum.

Propagandi. Laudat ad hoc verum dogma Lipsius Lucani (lib. II, 387, 388) praeclarum locum de Catone Stoico: *Venerisque huic maximus usus Progenies: urbi pater est urbique marius.* Conf. Plutarch. vit. M. Catonis maioris II p. 600, Reisk. et Hieroclem Musoniumque ap. Stob. Serm. Florileg. LXXIII.

Infixum visceribus ipsis. Neque enim animo tantum ista pestis adhae-

tium, omnis alia cupiditas intactum praeteribit. Non singula vitia ratio, sed pariter omnia prosternit: in universum semel vincit. Ignominia tu putas quemquam sapientem moveri posse, qui omnia in se reposuit, qui ab opinionibus vulgi secessit? Plus etiam quam ignominia est mors ignominiosa. Socrates tamen eodem illo vultu, quo aliquando solus triginta tyrannos in ordinem redegerat, carcerem intravit, ignominiam ipsi loco detracturus: neque enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat. Quis usque eo ad conspiciendam veritatem excaecatus est, ut ignominiam putet M. Catonis fuisse duplicem in petitione praeturae et consulatus repulsam? ignominia illa praeturae et consulatus fuit, quibus ex Catone honor habebatur. Nemo ab alio contemnitur, nisi a se ante contemptus est. Humilis et proiectus animus fit isti contumeliae opportunus: qui vero adversus saevissimos casus se extollit, et ea mala quibus alii opprimuntur evertit, ipsas miserias infularum loco habet:

ret, sed corpori et intimis visceribus: et voluptatis quodam modo necessitas est, ut cibi, ut potionis; nulla autem est immensarum opum, dignitatum-, etc. necessitas.

In universum semel vincit. Bona lectio, et antiqua: proinde ex Erasmo reduxi. Antea in Schotti, Gronovii, Bipont. *vincitur.* Ratio: si unum vitium prosternit, omnia vitia vincit. Lipsius emend. *nisi semel vincit, vincitur.*

Socrates. Referre malo ad Xenoph. Memorab. lib. I, cap. 2, 32, ubi triginta tyrannos, quorum primi Critias et Charicles ibi nominantur, repressisse narratur.

In ordinem redegerat. Vid. not. superiorem. Contortius paulo explicat Lipsius de Socrate imperata triginta tyrannorum spernente, quum ei et quatuor aliis imperassent, ut Leontem Salaminium divitem quemdam Athenas ducerent interficiendum; cf. Platon. Apolog. Socrat. p. 76, T. I bip. Xenoph. Hist. Graec. lib. II, cap. 3, 39, ubi Schneider. *Imperata magistratus spernere* nulla ratione idem valet quod *in ordinem redigere.*

M. Cato. Vticensis: factum hoc est Iul. Caesare machinante, quum Vatinius ei praeferretur, Plutarcho in eius vita docente.

Infularum loco. I. e. ornamenti summi loco; cf. Ep. XIV med. De infulis vid. Intpp. ad Virg. Georg. lib. III, vs. 478 inpr. Voss.

quando ita affecti sumus, ut nihil aeque magnam apud nos admirationem occupet, quam homo fortiter miser. Ducebatur Athenis ad supplicium Aristides: cui quisquis occurrerat deiiciebat oculos, et ingemiscebat, non tanquam in hominem iustum, sed tanquam in ipsam iustitiam animadverteretur. Inventus est tamen, qui in faciem eius inspueret: poterat ob hoc moleste ferre, quod sciebat neminem id ausurum puri oris. At ille abstersit faciem, et subridens ait comitanti se magistratui: admone istum, ne postea tam improbe oscitet. Hoc fuit contumeliae ipsi contumeliam facere. Scio quosdam dicere, contemptu nihil esse gravius, mortem ipsis potiorem videri. His ego respondebo, et exsilium saepe contemptione omni carere. Si magnus vir cecidit, magnus iacuit; non magis illum putes contemni, quam quum aedium sacrarum ruinae calcantur, quas religiosi aeque ac stantes adorant.

XIV. Quoniam meo nomine nihil habes, mater carissima, quod te in infinitas lacrimas agat, sequitur ut causae tuae te stimulent. Sunt autem duae: nam aut illud te movet, quod praesidium aliquod videris

Aristides. Iustus vocatus, vel ex Cornelio Nep. notus, placide mortuus est, nec ad supplicium duci iussus, ut plurimi tradiderunt. Fuit tamen alia narratio in Antiquitate, Aristidem Themistocle exsule et accusatum repetundarum et multatum in Ionia exstinctum esse. Plutarch. Aristid. T. II, p. 540 Reisk. (Plutarchus ipse tamen dubitanter haec ex Cratero Macedone affert). Hanc opinionem sequutus esse videri potest Seneca. Lipsius illa traditione vel non animadversa, vel neglecta, Phocionem admonet hic esse intelligendum, quippe de quo Plutarchus hanc ipsam rem diserte tradat: nec vehementer refragabor, quum nostrum sciam historiae parum curiosum fuisse.

Hominem iustum... ipsam iustitiam. Ἀντίθεσις simul et ὑπερβολὴ ut in hoc Martialis, quod tamen omnino contrarium est: *Non vitiosus homo es, Zoïle, sed vitium.* Lib. XI, Epig. XCII. Simili artificio.

XIV. Arg. Accedit ad consolandam matrem altera parte, ut ostendat, Helviam non eo nomine lugere, quod filii praesidio careat. Causas luctus matris, non suas, quas antea persequutus erat, nunc pertractat.

amisisse : aut quod desiderium ipsum per se pati non potes. Prior pars mihi leviter perstringenda est : novi 2
enim animum tuum, nihil in suis praeter ipsos amantem. Viderint illae matres quae potentiam liberorum muliebri impotentia exercent, quae, quia feminis honores non licet gerere, per illos ambitiosae sunt, quae patrimonia filiorum et exhauriunt et captant, quae eloquentiam commodando aliis fatigant! Tu liberorum 3
tuorum bonis plurimum gavisa es, minimum usa : tu liberalitati nostrae semper imposuisti modum, quum tuae non imponeres : tu filia-familias, locupletibus filiis ultro contulisti : tu patrimonia nostra sic administrasti, ut tanquam in tuis laborares, tanquam alienis abstineres : tu gratiae nostrae, tanquam alienis rebus utereris, pepercisti, et ex honoribus nostris nihil ad te nisi voluptas et impensa pertinuit : nunquam indulgentia ad utilitatem respexit. Non potes itaque erepto filio desiderare, quae incolumi nunquam ad te pertinere duxisti.

XV. Illo omnis consolatio mihi vertenda est, unde

Viderint. Observent et comparent tuum animum, quantum distet a sua immodica cupiditate aliis vel opem ferendi vel nocendi per filios suos potentes sibi obnoxios, et per eorum patrimonia. Ceterum videtur Annaeus Livium Augusti designare quae ut coniugem rexerat, ita filio imperare voluit, qui quidem maternae ambitioni parum satisfecit, quamvis hunc imperio illa donasset.

Per illos ambitiosae. Liberorum auxilio et ministerio superbiam suam exercent, et a rebus publicis ob sexum remotae, eas tamen per filios attingunt.

Captant. Nam iis temporibus eo furoris devenerant testamentorum captatores, ut patres etiam et matres suorum liberorum haereditati insidias tenderent.

Eloquentiam. Nempe filiorum.

Bonis. Id, non solum patrimoniis, sed etiam dignitatibus et potentia.

Filiafamilias. Quae adhuc in patris potestate est, ideoque dote sua uti possit ex lubitu.

Gratiae nostrae. Apud Caesarem gratiosi erant, ideoque potentes.

Impensa. Dona conferendo, dum filii honores adirent, ad sumptus magistratuum, ad ludos, epulas, etc. faciendas.

XV. Arg. Maternus tamen dolor, qui ex separatione a filio dilectissimo et desiderio illius oritur, praecipua

Digitized by Google

vera vis materni doloris oritur. « Ego complexu filii » carissimi careo, non conspectu eius, non sermone » fruor! ubi est ille quo viso tristem vultum relaxavi, » in quo omnes sollicitudines meas deposui? ubi col- » loquia, quorum inexplebilis eram? ubi studia, qui- » bus libentius quam femina, familiarius quam mater, » intereram? ubi ille occursus? ubi matre visa sem- 2 » per puerilis hilaritas?» Adiicis istis loca ipsa gratulationum et convictuum, et, ut necesse est, efficacissimas ad vexandos animos recentis conversationis notas. Nam hoc quoque adversus te crudeliter fortuna molita est, quod te ante tertium demum diem quam percussus sum, securam, nec quidquam tale metuentem, regredi voluit. Bene nos longinquitas locorum diviserat: bene aliquot annorum absentia huic te malo praeparaverat: redisti, non ut voluptatem ex filio perciperes, sed ne consuetudinem desiderii perderes. 3 Si multo ante abfuisses, fortius tulisses, ipso intervallo desiderium molliente: si non recessisses, ultimum certe fructum biduo diutius videndi filium tulisses. Nunc crudele fatum ita composuit, ut nec fortunae meae interesses, nec absentiae assuesceres. Sed quanto ista duriora sunt, tanto maior tibi virtus

luctus causa est: in quo describendo commoratur.

Puerilis hilaritas. Quoniam vultu hilari et blando, ut solent parvuli pueri, quamvis iamdudum ad virilem aetatem provectus, semper occurrebat matri.

Gratulationum et convictuum; ob reditum factorum.

Conservationes. Convervari, est una vivere, eodem sub tecto degere.

Ante tertium demum diem. Alii *tertium decimum diem.* Lipsius praefert vulgatam: Sed verius, ait, de *tertio die:* ex eo quod sequitur, *fructum biduo diutius videndi filium tulisses.* Igitur res ita fuit: rediit Romam ex Hispania....., iterumque abiit, et in via de fato filii et exsilio audivit. In via, inquam, quam biduum iam abfuisset. De regressu eius et quod plusculos dies Romae (fuerit), evincunt haec verba c. 2, §. 5: *Intra vicesimum diem..... audisti. Regredi* Lipsio debetur: antea, *aggredi.*

Ita composuit. Res scilicet; ita rerum seriem et temporum ordinavit fatum, ut.....

Digitized by Google

advocanda est, et velut cum hoste noto, ac saepe iam victo, acrius est congrediendum. Non ex intacto corpore tuo sanguis hic fluxit: per ipsas cicatrices percussa es.

XVI. Non est quod utaris excusatione nominis muliebris, cui paene concessum est immoderatum in lacrimas ius, non immensum tamen: et ideo maiores decem mensium spatium lugentibus viros dederunt, ut cum pertinacia muliebris moeroris publica constitutione deciderent: non prohibuerunt luctus, sed finierunt. Nam et infinito dolore, quum aliquem ex carissimis amiseris, affici, stulta indulgentia est; et nullo, inhumana duritia. Optimum inter pietatem et rationem temperamentum est, et sentire desiderium, et opprimere. Non est quod ad quasdam feminas respicias, quarum tristitiam semel sumptam mors finivit; nosti quasdam, quae amissis filiis, imposita lugubria nunquam exsuerunt: a te plus exigit vita ab initio fortior; non potest muliebris excusatio con-

Per ipsas cicatrices. Veteribus vulneribus recrudescentibus: v. ad c. 2.

XVI. ARG. Luctum indignum esse matre. Vincet eum, si rationi obsecuta auxilium petierit ex Philosophia et cogitatione, ipsam filiis, nepotibus, patri, sibi vivere.

In lacrimas ius. Ellipsis digna sane quae notetur pro *ius eundi in lacrimas.* Nam *ius habere in aliquem* aut *aliquid* vulgo significat vel *rei* vel *hominis alicuius imperium possidere.* Quid autem esset *imperium in lacrimas habere?*

Maiores ..... deciderent. Pacti quasi sunt cum moerore muliebri, cui ob pertinaciam eius decem menses, seu annum lunarem remiserunt (Ep. 63): *Annum (lunarem) feminis ad lugendum maritum (constituere maiores).* Ovid. Fast. lib. I, vss. 35, 36; lib. III, vs. 134, Romulo hoc institutum tribuit: Numae vero Pompilio Plutarch. c. XII, 2. Fuit haud dubie antiquissimum institutum, cuius auctorem postea Romani quaerendo celebrem hominem aliquem alii Romulum, alii Numam nominarunt. In Leges XII tab. non relatum est; erat in moribus. Notandum est eumdem paene modum luctui apud recentiores assignari.

Sed finierunt. Non tollendum et recidendum omnino putavere, sed intra limites quosdam coërcitum voluerunt.

Non est..... finivit. Tibi nulla causa est, cur imiteris eas feminas quae una calamitate accepta per totam reliquam vitam luxerunt.

Digitized by Google

tingere ei, a qua omnia vitia muliebria abfuerunt.
3 Non te maximum saeculi malum, impudicitia, in numerum plurium adduxit; non gemmae te, non margaritae flexerunt; non tibi divitiae velut maximum generis humani bonum refulserunt; non te bene in antiqua et severa institutam domo periculosa etiam probis peiorum detorsit imitatio. Nunquam te fecunditatis tuae, quasi exprobraret aetatem, puduit: nunquam more aliarum, quibus omnis commendatio ex forma petitur, tumescentem uterum abscondisti, quasi indecens onus; nec intra viscera tua conceptas spes
4 liberorum elisisti. Non faciem lenociniis ac coloribus polluisti; nunquam tibi placuit vestis, quae ad nihil aliud, quam ut nudaret, componeretur: unicum tibi

Maximum saeculi malum, impudicitia. Etenim nullis unquam temporibus libidinum et nequitiarum latius foeda colluvies exundavit; ita ut quae nunc et miramur, et exsecramur, tunc et simplicissima et innocentissima viderentur. Adi libros omnes qui de aequalium moribus tractant, Petronium, Persium, Iuvenalem, Martialis epigrammata, Apuleii Asinum aureum, etc.

In numerum plurium adduxit. An adulteros hic designet, an maritos, in ancipiti est; utrosque forsan; quanquam posterius mihi longe optimum videatur. Nam matrimonii dissolutio apud Romanos frequentissima erat, et cum aliis matrimonium rursus contrahere lex sinebat, ita ut saepe septem, octo aut plures feminas vir unus duceret; septem, octo, aut pluribus viris femina una nuberet. Quod tamen Ethnicorum sapientiores haud comprobavere, et Annaeus procul dubio id sibi crebro dixit quod deinceps scripsit Martialis Epig. VI, VII, 5: *Quae nubit toties, non nubit, adultera lege est.* Porro matrem impensius multo laudat quam eam dicit non adulteris tantum abstinuisse, sed maritis pluribus.

Te fecunditatis.... tuae. Liberos iam nato grandes videre nunquam tibi in causa fuit, cur aut doleres, aut erubesceres.

Indecens. Quod ad decus non facit, quod pulchritudinem et formam praestantissimi corporis mutat in deterius corrumpitque.

Intra viscera..... elisisti. Referendum *intra viscera* ad τὸ *elisisti* non ad τὸ *conceptas.* Ceterum patet de abortivis hic agi, quae illustribus feminis tunc in usu tantopere fuere.

Nunquam tibi placuit vestis .... componeretur: Sic e codd. dedi. Antea: *vestis quae nihil amplius, quam nudam componeret.* Lipsius dederat: *quae nihil amplius nudaret, quam poneretur.* Est autem sermo de veste Coa et serica, quarum tenuitas tanta erat, ut simul amiciret et nudaret: unde Quinctil. Declam. lib. I, cap. 17, nubes appellata est. Conf. de

Digitized by Google

ornamentum pulcherrima et nulli obnoxia aetati forma; maximum decus visa est pudicitia. Non potes itaque, ad obtinendum dolorem, muliebre nomen praetendere, ex quo te virtutes tuae seduxerunt: tantum debes a feminarum lacrimis abesse, quantum a vitiis. Ne feminae quidem te sinent intabescere vulneri tuo, sed leviori necessario moerore cito defunctam, iubebunt exsurgere; si modo illas intueri voles feminas, quas conspecta virtus inter magnos viros posuit. Corneliam ex duodecim liberis ad duos fortuna redegerat; si numerare funera Corneliae velles, amiserat decem: si aestimare, amiserat Gracchos. Flentibus tamen circa se, et fatum ejus exsecrantibus interdixit: « Ne fortunam accusarent, quae sibi filios » Gracchos dedisset. » Ex hac femina debuit nasci, qui diceret in concione: « Tu matri meae maledicas,

Benef. lib. VII, cap. 9; Ep. 90: *Vestis nihil celatura, in qua non dico nullum corpori auxilium, sed nullum pudori est.*

Pulcherrima.... aetati. Non sollicitandum est. Lipsius ex variantibus codd. legi vult: *pulcherrimum, tua et nulli obnoxia arti.* Gronov. recte iudicat, nil esse mutandum, explicandumque ex illo Propertii lib. I, Eleg. 2, vs. 24: *Illis ampla satis forma pudicitia*; ut omnia per appositionem de pudicitia dicta sint. Imit. p. 17.

Seduxerunt. Lipsius mavult *eduxerunt*, Gronovio recte refragante, qui explicat: secreverunt et exemerunt quasi vulgo.

Corneliam. Sunt et aliae feminae, quas imiteris, quae quidem facient, ne vulnere hoc accepto moriaris; in quibus Cornelia, P. Cornel. Africani maioris filia, Gracchorum mater celebratissima, primum locum obtinet, quam adeo filiorum suorum Tiberii et Caii (tribunorum pleb., prioris, a. V. C. 620, posterioris, 631) bonarum artium magistram fuisse, constat e Cic. Brut. 58, et Plutarcho. Fragmenta duo epistolarum a Cic. l. l. et Quinctil. lib. I, cap. 1, 6, laudatarum huius praeclarae matris exstant in bonis edd. Cornelii Nepotis.

Duos, hic memorat noster, utpote in quibus omnem spem suam posuerat mater, et ipsa hoc afferens in fragmento epistolae ad Caium p. 169 bip.: una soror quoque supererat, Plutarcho docente.

Numerare.... aestimare. Numerare spectat quot filios amisisset, *aestimare* vero quales et quantos.

Ex hac... peperit? Refer interrogationem ad τὸ *debuit nasci*, non ad Gracchi verba; quasi scripsisset auctor: *num debuit*, etc.....?

quae me peperit?» Multo mihi videtur animosior
6 vox matris. Filius magno aestimabat Gracchorum natales; mater et funera. Rutilia Cottam filium secuta est in exsilium, et usque eo fuit indulgentia constricta, ut mallet exsilium pati quam desiderium: nec ante in patriam, quam cum filio rediit. Eumdem iam reducem, et in republica florentem, tam fortiter amisit, quam secuta est: nec quisquam lacrimas eius post elatum filium notavit. In expulso virtutem ostendit, in amisso prudentiam: nam et nihil illam a pietate deterruit, et nihil in tristitia supervacua stultaque detinuit. Cum his te numerari feminis volo:
7 quarum vitam semper imitata es, earum in coërcenda comprimendaque aegritudine optime sequeris exemplum. Scio rem non esse in nostra potestate, nec ullum affectum servire, minime vero eum, qui ex dolore nascitur: ferox enim, et adversus omne remedium contumax est. Volumus eum interim obruere et devorare gemitus: per ipsum tamen compositum

Rutilia. Mater C. Aurelii Cottae, cuius et Sulpicii precibus Cicero dialogum, *Brutus* inscriptum, habuisse narrat. Is propter legem Varianam (Brut. 56, 6) de maiestate a. V. C. 663 latam, ut quaereretur de iis, quorum opera consiliove socii contra populum romanum arma sumsissent, accusatus, tantum aberat ut iudices, equites sibi conciliaret; ut in eos vehementer invectus se ipse laudaret impense, Socratem imitatus, quin etiam, ne sententia quidem iudicum lata de sua causa, ultro in exsilium abiret a. V. C. 663 (Appian. de Bell. Civ. lib. I, cap. 37) ex quo, Sulla demum dictatore a. V. C. 671, rediit. Cicero ad eum scripsit librum de luctu minuendo, qui est in deperditis. Rutiliae vero mentionem fecit Epp. ad Attic. XII, 20 fin., ubi sciscitatur Atticum, Rutiliane mortua sit ante an post mortem filii. Noster nos docet, eam filio (Proconsule Asiae) exstincto e vita discessisse.

Indulgentia constricta. Late processit matris indulgentia, quae exsulante filio, sponte exsulavit; constricta tamen fuit, quum eum amissum non immodice deflevit.

Elatum. Efferre vox solennis est pro *e domo ad rogum ferre*.

Sequeris. *Secutura es*, in futuro tempore.

Interim obruere. Si interdum affectum hunc aut occupationibus aut voluptatibus, quamvis innocentibus, delinire velimus, nihil proficimus; redit enim eius vis: proinde ratione opus est ad eum vincendum.

Digitized by Google

fictumque vultum lacrimae profunduntur. Ludis in- 8
terim aut gladiatoribus animum occupamus: at illum inter ipsa, quibus avocatur, spectacula, levis aliqua desiderii nota subruit. Ideo melius est illum vincere quam fallere: nam qui aut delusus voluptatibus, aut occupationibus abductus est, resurgit, et ipsa quiete impetum ad saeviendum colligit: at quisquis rationi cessit, in perpetuum componitur. Non sum itaque 9
tibi monstraturus illa, quibus usos multos esse scio, ut peregrinatione te vel longa detineas, vel amoena delectes; ut rationum accipiendarum diligentia, patrimonii administratione multum occupes temporis; ut semper novo te aliquo negotio implices: omnia ista ad exiguum momentum prosunt, nec remedia doloris, sed impedimenta sunt: ego autem malo illum desinere, quam decipi. Itaque illo te duco, quo omnibus qui fortunam fugiunt confugiendum est, ad liberalia studia: illa sanabunt vulnus tuum, illa omnem tristitiam tibi evellent. His etsi nunquam assuesses, nunc utendum erat: sed quantum tibi patris mei antiquus rigor permisit, omnes bonas artes non quidem comprehendisti, attigisti tamen. Vtinam 10
quidem virorum optimus, pater meus, nimis maiorum consuetudini deditus, voluisset te sapientum praeceptis erudiri potius, quam imbui! non parandum tibi

Fictumque. Dum frontem serenam affectas, et quae intimum animum sollicitat vehementer aegritudinem praemens, laetitiam et tranquillitatem fingis.

Avocatur, A miseriarum sensu et recordatione procul deducitur.

Subruit. Modo stantem quatit et sternit.

Rationum accipiendarum diligentia. Rationes innuit pecuniae sive mutuo datae, sive mutuo sumptae.

Liberalia studia. Quae mox bonas artes appellat, lectionem poëtarum, musicam etc. complexas. Philosophiam tamen inprimis intelligit.

Antiquus. H. e. antiquorum temporibus dignus. « Casta nec antiquis cedens Laevina Sabinis. »

Imbui. Non, ut Gallicum verbum

nunc contra fortunam esset auxilium, sed proferendum. Propter istas quae litteris non ad sapientiam utuntur, sed ad luxuriam instruuntur, minus est indulgere studiis passus; beneficio tamen rapacis ingenii plus quam pro tempore hausisti: iacta sunt
11 disciplinarum omnium fundamenta. Nunc ad illas revertere: tutam te praestabunt; illae consolabuntur, illae delectabunt, illae si bona fide animum tuum intraverunt, nunquam amplius intrabit dolor, nunquam sollicitudo, nunquam afflictionis irritae supervacua vexatio: nulli horum patebit pectus tuum: nam ceteris vitiis iampridem clusum est. Haec quidem certissima praesidia sunt, et quae sola te fortunae eripere possint; sed quia, dum in illum portum, quem studia promittunt, perveneris, adminiculis, quibus innitaris, opus est, volo interim solatia tua tibi osten-
12 dere. Respice fratres meos; quibus salvis, fas tibi non est accusare fortunam: in utroque habes quod te diversa virtute delectet: alter honores industria consecutus est, alter sapienter contempsit. Acquiesce alterius filii dignitate, alterius quiete, utriusque pie-

ætre imbu, aliquem significat ita rem quamdam aut scientiam perdidicisse, ut quasi ipsius visceribus illa inhaereat, sed id felici indole, non labore aliquo aut studio attigisse.

Parandum.....proferendum. Id paras, quod non possides, et possidere te cupis: id profers quod ante habebas paratum, sed occultum servabas, e secreto suo, ubi opus esset, statim tracturo.

Propter istas. H. e. has puellas cogitans, quae..... etc.

Ad luxuriam instruuntur. Nam et literariae rei peritia et ingenuae artes et eloquii lepos aut vis instrumentum luxuriae est; ut in hac Sempronia quam ab ingenio et morum elegantia laudat Crispus, belli Catilin. cap. 25.

Rapacis. Ita prompti facilisque ut quidquid te coram proferretur, continuo raperes et tibi proprium faceres.

Bona fide. Firmiter et subtiliter, ut iis fidere possis.

Afflictionis. Casus: nam affligere idem sonat ac humi prosternere et impingere.

Fratres meos. Novatum et Melam: ille Nov., ex adoptione Iunius Gallio dictus, honores industria consecutus est; hic Mela Lucani pater (Tacit. Annal. lib. XVI, cap. 17,) qui sub Nerone semetipsum interfecit. Quod hic laudat noster, id reprehendit Ta-

tate; novi fratrum meorum intimos affectus; alter
in hoc dignitatem excolit, ut tibi ornamento sit: alter
in hoc se ad tranquillam quietamque vitam recepit,
ut tibi vacet. Bene liberos tuos et in auxilium, et 13
in oblectamentum fortuna disposuit: potes alterius
dignitate defendi, alterius otio frui. Certabunt in te
officiis: et unius desiderium duorum pietate supple-
bitur. Audacter possum promittere: nihil tibi deerit,
praeter numerum. Ab his ad nepotes quoque respice:
Marcum, blandissimum puerum, ad cuius conspectum
nulla potest durare tristitia; nihil tam magnum, nihil
tam recens in cuiusquam pectore fuerit, quod non
circumfusus ille permulceat. Cuius non lacrimas illius 14
hilaritas supprimat? cuius non contractum sollicitu-
dine animum illius argutiae solvant? quem non in
iocos vocabit illa lascivia? quem non in se convertet
et abducet, infixum cogitationibus, illa neminem sa-
tiatura garrulitas? Deos oro, contingat hunc habere
nobis superstitem. In me omnis fatorum crudelitas
lassata consistat! quidquid matri dolendum fuit, in
me transierit! quidquid aviae, in me! Floreat reliqua 15

citus I. m. *praedives factus per procu-
rationes Principis, ideoque Neroni
suspectus.*

Vt tibi vacet. Vt otii satis inveniat ad te perpetuo revisendam, et vacui tibi temporis maiorem partem reservet.

Vnius....supplebitur. Si dum unum abesse doles et gemis, duorum qui amantissimi tibi assident pietas gemitus supprimet doloremque mulcebit; duorum pietas solitudinem tuam implebit, nec sinet vacuum aliquid et inane a te in domo tua aspici.

Marcum. Nostri filium, ex Lipsii iudicio: verba enim, ait, et vota, quae hic sunt, patrem et eius affe-
ctum clamant. Malo tamen Marcum Annaeum Lucanum, poëtam celebrem, filium M. Annaei Melae, qui frater nostri fuit, intelligere. Primum enim nusquam filius Senecae memoratur; deinde Lucani hilaritas ac festivum ingenium ab eius biographis laudantur, denique aetas egregie congruit: natus enim est a. V. C. 792, obiit ann. 813, aetatis suae 26. Septem itaque octove annos egit hoc tempore. Senecae vero epigramma VIII, 5, 6, quidni et de M. A. Lucano intelligi possit, non video.

Circumfusus. Colla brachiis amplexus et oscula flagitans.

Argutiae. Sales, ioci.

Digitized by Google

in suo statu turba: nihil de orbitate, nihil de conditione mea querar. Fuerim tantum nihil amplius dolituraedomus piamentum. Tene in gremio tuo cito tibi daturam pronepotes Novatillam. Quam sic in me transtuleram, sic mihi adscripseram, ut possit videri, quod me amisit, quamvis salvo patre, pupilla. Hanc et pro me dilige. Abstulit illi nuper fortuna matrem: tua potest efficere pietas, ut perdidisse se matrem
46 doleat tantum, non et sentiat. Nunc mores eius compone, nunc formam; altius praecepta descendunt, quae teneris imprimuntur aetatibus. Tuis assuescat sermonibus; ad tuum fingatur arbitrium. Multum illi dabis, etiamsi nihil dederis praeter exemplum. Hoc iam tibi solemne officium pro remedio erit: non potest animum pie dolentem a sollicitudine avertere,
47 nisi aut ratio, aut honesta occupatio. Numerarem inter magna solatia patrem quoque tuum, nisi abesset. Nunc tamen ex affectu tuo, quid illius intersit, cogita: intelliges, quanto iustius sit, te illi servari, quam mihi impendi. Quoties te immodica vis doloris invaserit, et sequi se iubebit, patrem cogita, cui tu quidem tot nepotes pronepotesque dando effecisti ne unica esses: consummatio tamen aetatis actae feliciter

Novatillam. Novati fratris filiam.

Vt possit.... pupilla. Pupillae nomen eam virginem decet quae patrem amisit: dicit ergo Noster pupillam iam videri alicui posse Novatillam, quum eo careat, eo procul degat, qui ipsi tenerrimi patris loco olim fuit.

Hoc iam tibi solemne officium. Quod antehac etiam officium adeo tibi placuit ut eo defungi soleres.

Non potest.....occupatio. Enthymema pro *syllogismo*: Argumenti finem negligit ut perspicuam nimis; quidam tamen forsan non assequentur. Istud ergo subiunxisset: *Porro honesta occupatio est adolescentium menti bona inculcare.*

Patrem. Cordubae in Hispania degentem.

Impendi. Pro: Animam, vitam impendere. Sensus ergo: una mecum perire.

Vnica. Quatenus apud patrem Cordubae manserat: soror vero, quae mox memoratur, in Aegypto per plures annos commorata erat. Lipsius hic argutatur.

in te vertitur. Illo vivo, nefas est, te, quod vixeris, queri.

XVII. Maximum adhuc solatium tuum tacueram, sororem tuam: illud fidelissimum pectus tibi in quod omnes curae tuae pro indiviso transferuntur: illum animum omnibus nobis maternum. Cum hac tu lacrimas tuas miscuisti; in hac tu primum respirasti. Illa quidem affectus tuos semper sequitur; in mea tamen persona, non tantum pro te, dolet. Illius manibus in urbem perlatus sum: illius pio maternoque nutricio per longum tempus aeger convalui: illa pro quae-

Consummatio..... vertitur. Tamen tu magis diligeris; neque te mortua, ille iam felix erit. Sed vid. infra.

Illo vivo..... queri. Nam tu debes post eum mortuum satis diu vivere; ergo si te vitae taedet et piget, patrem tuum adhuc superstitem fuisse doles, et quamprimum obire cupis. Subtile et acutum epiphonema, sed cui nec veritas omnino nec candida et simplex sublimitas competit.

XVII. Ano. Soror restat tibi, quae maximo solatio esse potest, et amore in suos tenerrimo, et prudentia atque virtute haud fucata celebris. Denique rogat, ut ad se subinde recurrat, et laetum alacremque cogitet. — Matertera, cuius hoc capite mentionem tam honorificam facit, nupsit, ut videtur, Vetrasio Pollioni, quocum postea in Aegypto, cuius praesidium per sedecim annos gesserat, ab a. V. C. 769 usque ad an. 785, commorata erat, marito vita defuncto in navigatione, i. e. in reditu ex praefectura. Postea sedes suas fixit Romae, et Senecam, nepotem suum ex sorore, quem iam ante iter in Aegyptum omni re inverat, aegrotantem sublevavit, quaesturam ambienti auctoritate sua auxilio fuit. De Senecae avunculo, qui hoc capite memoratur, disquisitio Lipsii ad §. 4, docta exstat. Vtilis vero est haec disquisitio lectori Senecae, quandoquidem inde intelligit, nostrum Aegyptum adiisse, et larga copia hanc terram cognoscendi usum esse, ideoque fidem eius haud spernendam in iis quae de Aegypto, Aethiopia atque India retulerit.

Pro indiviso. Quasi unum et idem tecum corpus possideret, unam et eamdem mentem, neque ullo unquam casu a te separari posset.

In hac tu primum respirasti. Ex Erasm. reduxi. Antea: *in huius primum respirasti sinu.* Vox *sinu* priscis libris abest, notante Lipsio, qui pr. emendat: *in huius primum ore spirasti:* i. e. in adspectu eius et oculis.

Dolet. Dolet illa, non eo tantum nomine quod doleas, sed quod ego doleo.

Illius manibus. Cordubae circa an. 755 natus erat, et iuvenis Romam ab ea vocatus, ut ibi institueretur.

Nutricio. Nutricatu, curam egit mei aegrotantis. Valetudine autem Nostrum minus commoda usum esse, ex Dione quoque Cass. lib. LIX, cap. 19, fin. ad ann. 792, perspectum ha-

stura mea gratiám suam extendit: et quae ne sermonis quidem, aut clarae salutationis sustinuit audaciam, 2 pro me vicit indulgentia verecundiam. Nihil illi seductum vitae genus, nihil modestia, in tanta feminarum petulantia, rustica, nihil quies, nihil secreti et ad otium repositi mores obstiterunt, quo minus pro me etiam ambitiosa fieret. Haec est, mater carissima, solatium, quo reficiaris: illi quantum potes te iunge, illius arctissimis amplexibus alliga. Solent moerentes, ea quae maxime diligunt, fugere, et libertatem dolori suo quaerere: tu ad illam te, et quidquid cogitaveris, confer; sive servare habitum istum voles, sive deponere, apud illam invenies vel finem dolori 3 tuo, vel comitem. Sed si prudentiam perfectissimae feminae novi, non patietur te nihil profuturo moerore consumi, et exemplum tibi suum, cuius ego etiam spectator fui, narrabit. Carissimum virum amiserat, avunculum nostrum, cui virgo nupserat, in ipsa navigatione: tulit tamen eodem tempore et luctum, et metum, evictisque tempestatibus corpus eius naufraga evexit. O quam multarum egregia opera in obscuro

bemus, ubi Caligula Senecae infensus duci eum paene iussisse narratur, nisi una e Caligulae concubinis avertisset periculum, hominem dicens phthisi laborare, neque procul abesse a morte.

Salutationis. Quae ne passa quidem est, ut adirent se nobilem matronam et salutarent honoris gratia: ea vero, Senecae causa, haec officia praestari sibi concessit, quin etiam aliis praestitit, studio nepotis, et eo consilio, ut hac *ambitione* Noster quaestura potiretur.

Modestia. Pudor, timiditas, Gall. *réserve*.

Rustica. i. e. quae inelegans, aspera, rustica dicitur.

Alliga. Pro *te alliga*, *alligare*.

Habitum. Intell. lugubrem, ob filii exsilium.

Finem. Non tantum limites quos dolori nimio impositos velit, sed exitum.

Cuius ego etiam spectator fui. Haud dubie in navigatione, in reditu ex Aegypto, quam adierat ut avunculum suum, praefectum huic regioni, conveniret.

Naufraga. Id est, naufragio proxima, quippe cuius navis *exarmata* (§. 6), i. e. armamentis spoliata, ferebatur.

iacent! Si huic illa simplex admirandis virtutibus contigisset antiquitas, quanto ingeniorum certamine celebraretur uxor, quae oblita imbecillitatis, oblita etiam firmissimis metuendi maris, caput suum periculis pro sepultura obiecit, et dum cogitat de viri funere, nihil de suo timuit? Nobilitatur carminibus 4
omnium, quae se pro coniuge vicariam dedit; hoc amplius est, discrimine vitae sepulcrum viro quaerere: maior est amor, qui pari periculo minus redimit. Post hoc nemo miratur, quod per sedecim annos, quibus maritus eius Aegyptum obtinuit, nunquam in publico conspecta est; neminem provincialem domum suam admisit: nihil a viro petiit, nihil a se peti passa est. Itaque loquax, et ingeniosa in contumelias 5
praefectorum provincia, in qua etiam qui vitaverunt culpam, non effugerunt infamiam, velut unicum sanctitatis exemplum suspexit: et quod illi difficillimum est, cui etiam periculosi sales placent, omnem verborum licentiam continuit, et hodie similem illi, quamvis nunquam speret, semper optat. Multum erat, 6

Si huic illa..... antiquitas. Si eam felicitatem habuisset ut antiquorum temporibus viveret, quum tot undique virtutes, ut modestae et simplices efflorescebant, sic candidos miratores nanciscebantur.

Firmissimis metuendi maris. Formidandum etiam summae constantiae viris mare.

Nobilitatur. Alcestin dicit, Peliae filiam, loco Admeti mariti morti se obiicientem (*pro coniuge vicariam se dantem*) ut a Graecis, e. c. Euripide, dramate nobilissimo, quod superest, et a Romanis, e. c. Ovid. (Trist. lib. V, el. 14, vs. 37; Pont. lib. III, el. 1, vs. 106), carminibus nobilitatam. Narrat et Apollodor. lib. I, 9, 15.

Maior..... redimit. Vehementior ille est amor qui pro re minima et levissima maximis sese periculis obiicit: amat illa procul dubio, quae, ut vitam coniugis servet, vitam ipsa suam in discrimen mittit; sed ille amat magis quae, ne mortui coniugis cinerem amittat, mortem adire non timet.

Loquax et ingeniosa Confirmatur hoc indicium, et ab Herodiano Hist. lib. IV, cap. 9, 2, ed. Wolf. pag. 160. qui Alexandrinos φιλοσκώμμονας appellat: locus tamen class. est apud Flavium Vopiscum in Saturnino, cap. 7 et 8 (p. 233, 234, Tom. II, Histor. August. hip.) ubi et Imper. Hadriani epistola. Aegyptiorum naturam et indolem declarans, exstat.

si per sedecim annos illam provincia probasset: plus est, quod ignoravit. Haec non ideo refero, ut eius laudes exsequar, quas circumscribere est, tam parce transcurrere: sed ut intelligas, magni animi esse feminam, quam non ambitio, non avaritia, comites omnis potentiae et pestes, vicerunt; non metus mortis eam, exarmata navi naufragium suum spectantem, deterruit, quo minus exanimi viro haerens, quaereret, non quemadmodum inde exiret, sed quemadmodum
7 efferret. Huic parem virtutem exhibeas oportet, et animum a luctu recipias, et id agas, ne quis te putet partus tui poenitere. Ceterum quia necesse est, quum omnia feceris, cogitationes tamen tuas subinde ad me recurrere, nec quemquam nunc ex liberis tuis frequentius tibi obversari (non quia illi minus cari sint, sed quia naturale est, manum saepius ad id referre quod doleat), qualem me cogites, accipe: laetum et alacrem velut optimis rebus; sunt autem optimae, quum animus omnis cogitationis expers operibus suis vacat, et modo se levioribus studiis oblectat, modo ad considerandam suam universique na-
8 turam, veri avidus insurgit. Terras primum, situmque earum quaerit; deinde conditionem circumfusi maris,

Plus est, quod ignoravit. Nam honestae feminae ea maxima laus est, ignorari.

Circumscribere. In angustum deducere, ideoque aliquid ab iis detrahere, invidiosum esse in eius laudes.

Comites..... pestes. Quae mala perpetuo potentiam comitantur et corrumpunt.

Exarmata. Vid. p. 102, not. ult.

Ne quis te putet partus tui poenitere. Quod crederetur, si filiae exemplum non sequerere, si non filiae animis parem fortitudinem exhiberes.

Obversari (non quia..... quod doleat), qualem, etc. Post *obversari* vulgo duo puncta, post *doleat* punctum: at quum hic sensus nondum absolutus sit, ac manens haereat velut in suspenso, hanc phrasim *non quia..... quod doleat* uncis includendam existimavi, postposito commate.

Levioribus studiis. Eloquentiae scilicet ac poesi. Hinc ad physicen transit et metaphysicen.

Terras..... spatium. Animadverte quam accurate orbis cuncta perlustret, leviora primum tangens, de-

cursusque eius alternos et recursus: tunc quidquid inter caelum terrasque plenum formidinis interiacet, perspicit, et hoc tonitribus, fulminibus, ventorum flatibus, ac nimborum nivisque et grandinis iactu tumultuosum spatium: tum peragratis humilioribus ad summa prorumpit, et pulcherrimo divinorum spectaculo fruitur, aeternitatisque suae memor, in omne quod fuit, futurumque est omnibus saeculis, vadit.

hinc ad maiora, altioraque transiliens, et eodem modo stylum erigens, simplicem principio, mox cultum et elegantem, tum magnificum et in Ciceronianas phrases efflorescentem.

Ad summa. Nempe Deum, rerum naturam et mentem humanam, et quas ipsi leges ab aeterno Deus et rerum natura dedere.

Digitized by Google

Digitized by Google

L. ANNAEI SENECAE

AD MARCIAM

CONSOLATIO.

LIBER VNVS.

ARGVMENTVM

Consolationis huius duae partes praecipuae sunt. Prior quidem pars tum laudibus Marciae continetur, ut viam sibi muniat Seneca ad eam consolandam, atque ut luctus pertinaciam molliat frangatve, tum rationibus generalioribus afferendis, ut placidius ferat fata sua aspera. Ac primum laudibus extollit Marciae fortitudinem animi, virtutes ac merita de patre Cordo Cremutio, ideoque de Romanorum historia studiisque, patris quidem libris historicis iisque praeclaris de bellis civilibus, non sine periculo conservatis. Quae quum memoret, mala etiam, quae iam ante passa erat, quam filius Metilius a vita discederet, praeterire nec potuit, nec voluit, ut sibi ne deesset occasio docendi, quantopere curae sibi sit Marciae luctus, quem quomodo depelli oporteat, affert consilium suum. Dolorem neque leniter, nec verborum lenociniis mitigandum, sed aperte et vi frangendum esse. Idcirco nova deinde usus ratione, non praeceptis, sed exemplis in utramque partem, quum pertinacis tum facilis luctus in medium propositis, suasit Marciae, ut Liviam, uxorem Caesaris Augusti, quae amisso Druso filio, qui in Germania exstinctus erat, se consolandam Areo philosopho mariti tradiderat, potius imitaretur, quam Octaviam eiusdem Augusti sororem, quae Marcello e Virg. Aen. *lib. VI* fin. *notissimo, morte praematura functo, pertinacissime omnibus se subduxerat consolationibus, cap. I–VI. Ingeniose admodum et perquam apposite Arei allocutioni ad Liviam in rem suam praesentem conversae ea omnia indidit, quibus luctus certe contumacia domari posset, cap. IV,* 3—6. *Sin autem luctum praeferat Marcia, se libenter quidem cum ea lucturum promittit: sed inter omnes, pergit noster, constat, luctu nihil profici. Neque tamen hoc ita intelligendum esse, perinde quasi omnia suorum desideria reiicienda essent: sint tantum modica, ideoque amoveantur imaginationis insinuationes et opinionum commenta, suadet, ne desideria immodice augeantur. Natura enim requirit luctum modicum: documento sunt ferae. Immodicum autem non esse secundum naturam, docet, quippe varium et decrescens successu temporis, cap. VII, VIII: imo proficisci a mollitie nostra et*

incogitantia, ut mala quotidiana aliorum ad nos putemus non pertinere, nec ea bona, quibus utamur, in adventitiis atque commodatis ad punctum temporis ducamus: quum tamen omnia mutationibus sint obnoxia, cap. IX. Porro mortalem et ipsam esse, et hominem ideoque animantium omnium infirmissimum genuisse monet; multas tamen ex eo voluptates percepisse, easque meliores esse, quam si nullae contigissent. Iam etsi malevoli solatii genus sit, malorum habere socios et multos infeliciores esse, tamen exempla huius notae eo nomine ut utilia affert, quod fuisse docent, qui lenierint aspera facta placide ferendo: L. Sylla, Xenophon, etc., cap. XVI. Quin etiam ipsae feminae exempla eiusmodi suppeditaverunt, Lucretia, Cloelia, Corneliae, ad cap. XVII. Vbique locorum itaque mala bonis sunt mixta: sed Marciae plura bona adsunt, quum liberos adhuc et neptes habeat. Accedit, quod fata talia humanae sortis sint, parentibus ante nota, quam liberos procreent: exemplum est navigatio in locum amoenissimum, Syracusas, quae et mala et prospera esse potest, ad cap. XIX. Inde a cap. XIX sequitur posterior pars, quae solatiis continetur. Ac primum desiderium eius, quem dileximus, tolerabile quidem per se apparet, sed opinione fit intolerabile: facilius futurum, si putaverimus, desideratos amicos peregre abiisse, quos aliquando consequamur praemissos. Deinde monet, ne praesidium putet in filio amisso esse: prodesse enim hoc tempore orbitatem, quippe divitiarum avidos potentiores conciliantem. Tum, pergit, quum detrimenta tua te non moveant; nec est, quod primo filii detrimenta, quod decessit, te movere possint, ut qui nullis amplius ntalis afficitur in magnam et aeternam tranquillitatem et pacem evectus. Sequitur inde, mortem esse felicitatem summam, quae bonis viris contingere possit. Qua occasione data mortis encomium adiungit, cap. XIX, XX. Nec angere te potest, quod non tam diu vixerit, quam potuisset, quum tamen primum nescis, an filio longior vita expedierit, omnibus quippe rebus mutationi subiacentibus: deinde cogita animi mille labes et corruptelas atque casus, quibus vita humana exposita est, e. c. incendia, ruinas, morbos, exsilium, carceres, etc. Ipsum tibi patrem proponas, hominem egregium, qui ob unum aut alterum liberius dictum in Scianum accusatus vitam inedia finire coactus est. Ad haec filius tuus bene ideoque diu vixit: laudes Metilii, XXIII, XXIV. Proinde luctum minuas aut tollas: Metilius enim in locis superioribus summa felicitate fruitur cum Scipionibus, Catonibus, etc. et cum avo suo, cuius

allocutio ad filiam Marciam egregia, qua eam solatur et erigit; et magno ore ad supera illa et coeli spectacula vocat, consolationi nostrae finem imponit.

Marcia, gratiosa, docta et dives matrona Romana, ad quam haec Consolatio missa fuit, filia A. Cremutii Cordi, qui quum in historiis suis Brutum laudasset et Cassium nominasset, ut posteri deinceps nominavere, ultimum Romanorum, *accusatus in Senatu fuit ann. V. C.* 777, (*sive secundum Tacitum* 778) *et, necquicquam acta causa, imperatoris iam et Seiani intellecto odio, inedia vitam finiit* (vid. ad *cap. I*, §. 2). *Saevitum post auctoris necem in ipsos libros, et igne absumpti in foro romano sunt, quod liberos et excelsos et Romanos vere spiritus nuntiabat; mox tamen, Caii imperio, rursus emersere in lucem damnata et publice concremata opera. Vid. Tac. Annal. IV, cap.* 35. *Quod ad Marciam ipsam pertinet, illa plures annos luxerat mortem patris, sedaverat hunc luctum, quum subito filius eius, Metilius optimae spei vir* (*conf. cap. XXIV*), *morte matura eriperetur. Quem quum tres annos continuos iam luxisset pertinacissime, solatia matri praeparanda sibi proposuit Noster. De tempore, quo haec Consolatio scripta sit, nihil certi definiri potest. Lipsio tamen probabile fuit, sub Claudio, et post exsilium Senecae scriptam esse. Sub Tiberio enim auctum hunc Metilium honoribus verisimile haud esse: sub Caio Caligula igitur factum, qui et alia acta Tiberii rescidit et nominatim A. Cremutii Cordi scripta lectitari permisit: quod eodem isto cap. I tangitur, neque igitur ante potuit haec Consolatio edi, praesertim inveterato dolore, ut loquitur, et triennali illo lapsu. Quibus quid obiiciam, non habeo. Addi potest, nostrum cap. XXII,* 1, *ad Claudium respexisse hisce verbis: Aut sera eoque foedior luxuria invasit, etc.*

Digitized by Google

Digitized by Google

L. ANNAEI SENECAE

AD MARCIAM

CONSOLATIO.

LIBER VNVS.

I. Nisi te, Marcia, scirem tam longe ab infirmitate muliebris animi, quam a ceteris vitiis recessisse, et mores tuos velut antiquum aliquod exemplar adspici, non auderem obviam ire dolori tuo, cui viri quoque libenter haerent et incubant, nec spem concepissem, tam iniquo tempore, tam inimico iudice, tam invidioso crimine, posse me efficere, ut fortunam tuam absolveres. Fiduciam mihi dedit exploratum iam robur animi, et magno experimento approbata virtus tua. Non est ignotum, qualem te in personam patris

I. Arg. Laudat eius animum moresque et merita in patris memoriam, ut sibi viam muniat ad Marciam consolandam. Deinde non molliter ostendit se acturum esse, sed remedia violenta adhibiturum. Eadem fere methodo usum esse Nostrum vidimus in Consolatione ad Helviam matrem, cap. II.

Iniquo tempore..... absolveres. Spectat ad diuturnitatem doloris, qui tantum aberat, ut minueretur, ut aevo vires sumpsisset, ideoque exigua spes erat eam in viam reductum iri; illa enim ipsa iudex quasi sedebat inimica atque infesta omni allocutioni, si qui fortunam excusare voluissent, adversus quam crimen semper urgebat invidiosum non sine opprobratione reprehensionis, filii tantae spei sibi ablati.

Non est ignotum, etc. Cf. infra c. XII. Egregie haec de A. Cremutio Cordo narrantur Tacito Annal. lib. IV, cap. 34, 35. Sueton. Tib. 61. Dio Cass. quoque, lib. LVII, cap. 24, ad ann. 777 V. C. (seu 778 secundum Tacitum), hac re memorata, addit,

tui gesseris, quem non minus quam liberos dilexisti, excepto eo, quod non optabas superstitem: nec scio an et optaveris. Permittit enim sibi quaedam et contra bonum morem magna pietas. Mortem A. Cremutii Cordi, parentis tui, quantum poteras, inhibuisti. Postquam tibi aperuit, inter Seianianos satellites illam unam patere servitutis fugam, non favisti consilio eius, sed dedisti manus victa, fudistique lacrimas; palam et gemitus devorasti quidem, non tamen hilari fronte texisti: et hoc illo saeculo, quo magna pietas
3 erat, nihil pie facere. Vt vero aliquam occasionem

Marciam Crem. Cordi filiam, ad quam haec Consolatio missa est, aliosque sua exemplaria historiae de Augusti rebus a patre compositae, ob quam a Seianianis accusatus erat: *quod editis annalibus* (Taciti verbis utor), *laudatoque M. Bruto, C. Cassium Romanorum ultimum dixisset*, celasse et post mortem Tiberii sub Caligula edidisse.

Contra bonum morem. A natura praescriptum, ut parentes ante liberos moriantur.

Aperuit. Bona lectio; cf. cap. XXII, 4 et 5; *apparuit* est e socordia librarr.; ipsa enim Marcia nihil advertit consilium patris, priusquam ille sua sponte iudicium fecisset, se mori velle. Mox: *fudisti lacrimas: palam et gemitus devorasti. Palam* omnes scripti habent; *clam* in edd. nonnullis, Lipsio probante, pietatem filiae metumque tyranni praetexens. Sed distinctione post *lacrimas* facta, sensus sibi constat et auctoritas codd. Devorare enim gemitus ille dicitur, qui luctum vult obruere lacrimis suppressis; cf. Consolat. ad Helv. c. XVI, 6: *volumus eum interim obruere et devorare gemitus.* Domi itaque lacrimas profudit, ut mortem patris inhiberet, palam vero seu publice sibi temperavit a lacrimis.

Seianianos. Accusabant Satrius Secundus, et Pinarius Natta, Seiani clientes. Tacit. loc. laud.

Nihil pie facere. Atrox saeculi ingenium antithesi pingit. Dedi *pie* pro *impie* ex coniectura mea tam certa, ut mihi persuadeo, ut audaciae crimine absolutum iri sperem ab aequis arbitris. Sensus autem τὸ *pie* manifesto postulat: *Pia in patrem fuisti, ne tristitia quidem tua publice celata; res periculosa nostro saeculo, quo pia fuisses, si hilarem te praebuisses.* Nam pius ille vulgo est qui ob defunctum parentem lacrimas lacrimis continuat; at si morte felix ille est, vetat pietas in fletus erumpi: atqui sic se res habebat, Tiberio imperante, felicesque iure clamari poterant quibus tot et tantorum scelerum contemplatio, irruente morte auferebatur. Facile vides, vulgatam lectionem *nihil impie facere* nullum sensum commodum promere. Nihil enim est, quod interponas, ut tertium quid τὸ pie facere, et impie facere. Proinde qui τὸ *impie* tuetur, saeculo Tiberii pietatem assignat contra historiae fidem. — Sic Ruhkopf; alius tamen

Digitized by Google

mutatio temporum dedit, ingenium patris tui, de quo sumtum erat supplicium, in usum hominum reduxisti, et a vera illum vindicasti morte, ac restituisti in publica monumenta libros, quos vir ille fortissimus sanguine suo scripserat. Optime meruisti de romanis studiis; magna illorum pars arserat: optime de posteris, ad quos veniet incorrupta rerum fides, auctori suo magno imputata: optime de ipso, cuius viget vigebitque memoria, quamdiu fuerit in pretio, Romana cognosci; quamdiu quisquam erit, qui reverti velit ad acta ma-

sensus occurrit: *Magna enim pietas erat nihil impie facere*, scilicet, *non dolorem supprimere, imo non laetitiam simulare, quum pater a tyranno crudelissimo oppressus fuisset. Lagrange*, in metaphrasi gallica: *Et cela, dans un siècle où la plus grande marque de piété filiale était de ne pas se montrer dénaturé.* Et putat ille his verbis Vibium Serenum innui, qui rerum novarum patrem accusavit in Senatu, miseriarum ac saevitiae exemplum atrox, ad quod etiam istius saeculi viri obstupuere, quum hinc pater sisteretur paedore ac squalore obsitus et catena vinctus, perorante filio, hinc iuvenis multis mundiitiis alacrique vultu, iudex simul et testis, falsa narraret de Galliis pecunia corruptis et rerum novarum machinatione. Vid. Tacit. Ann. IV, cap. 28. Haec posterior interpretatio utpote quae cum vulgata editione congruat, et per se optimum sensum praebeat, antetponenda nobis videtur.

Mutatio temporum. Titi Labieni, Cordi Cremutii, Cassii Severi scripta, senatusconsultis abolita, requiri et esse in manibus lectitarique permisit (Caligula). Sueton. Calig. cap. 16.

A vera vindicasti morte. Nam haec mors vera, totum perire, neque ullum vitae suae testimonium reliquere quod apud posteros peiatet ac laudetur.

Publica monumenta. Id est, bibliothecas. Quod Tacitus loc. laud. pluribus tribuit, id Noster uni filiae assignat, honoris causa.

Sanguine suo. Quoniam propter commentarios suos, *de civilibus bellis, et de bello Philippensi* accusatus obiit. Sub Augusto scripserat, et illo audiente recitata, Sueton. Tib. cap. 61, Aug. cap. 35.

Illorum pars arserat. Librorumne quos Cremutius conscripserat, an studiorum? Vtrumque intelligi potest eumdemque sensum praebet: namque hic *studia* idem sonat ac opera quibus romani litterati student: atqui quum ea essent opera Cremutii ut magna dici possent romanarum litterarum seu studiorum pars, vere magna illorum studiorum pars arsit quum illius libri in flammas coniecti sunt. Sic interpretatur *Lagrange*: *Vous avez rendu le plus grand service aux lettres romaines; la plupart de leurs monumens avaient été consumés par les flammes.*

Magno imputata. Quae tanti constitere.

Digitized by Google

iorum ; quamdiu quisquam, qui velit scire, quid sit vir Romanus, quid subactis iam cervicibus omnium, et ad Seianianum iugum adactis, indomitus sit homo, ingenio, animo, manu liber. Magnum mehercule detrimentum respublica ceperat, si illum ob duas partes pulcherrimas in oblivionem coniectum, eloquentiam et libertatem, non eruisses. Legitur, floret, in manus hominum, in pectora receptus, vetustatem nullam timet. At illorum carnificum cito scelera quoque, quibus solis memoriam meruerunt, tacebunt. Haec magnitudo animi tui vetuit me ad sexum tuum respicere,

Ingenio, indole, manu, liber. Ad hunc locum *Ruhkopf: manu*, quoniam mortem sibi ipse conscivit: *ingenio*, ob scriptionem et stylum. Lipsius tamen *manu* explicat de scriptione et stylo. A *Ruhkopfii* partibus stat Noster *Lagrange*, qui sic vertit: *Conserva son génie et son ame dans l'indépendance, et s'ouvrit, par son courage, un chemin à la liberté.* Nos cum Lipsio tamen Senecam putamus, de Annaliuin scriptore dicentem, ad ipsius mortem non respexisse: Libere Cordus sensit (ingenio), egit (indole), scripsit (manu).

Partes. Hanc lect. Lipsius cum libris aliquot praetulit τῷ *artes* (quae vulgata erat lectio), quum libertas non bene inter *artes* censeatur. Sed quia *ars* et dicitur de virtute quacunque, quam quis sibi paraverit studio, hoc loco etiam *artes* defendi possunt: libertas enim designat sententias et cogitationes liberi eiusdemque doctrina expoliti hominis. At parum refert: itaque nihil mutavi.

Vetustatem nullam timet. Tamen illa immortalitas, quam hic Cordo divinavit Noster vana fuit. Iniuria enim temporum nec huius praeclaris monumentis pepercit. Periere autem omnia, praeter fragmenta quaedam ap. Senecam patrem, Suasoria VII, pag. 44, 47, ed. Gronov. (39 sq. Bip.) Breviora sane, quam de quibus decernere tuto aliquis valeat.

Quibus solis memoriam meruerunt, tacebunt: I. e. evanescent, non apparebunt, non noscentur, quem usum loquendi exemplis illustravit I. F. Gronov. ad Liv. IX, cap. 6. Est lectio MSS. Erasmi caet. At Pincianus et Muretus *tacebuntur* et Grut. *iacebunt*, dederunt.

Haec magnitudo animi tui. Quamnam ille ait magnitudinem? Num hanc iam laudavit, aut aliquo modo memoravit? Minime quidem, sed ipsius specimina prodidit. Nonne enim illa femina magno animo fuit quae, ubi nullum iam patri iter ad libertatem vidit, nisi mortem, pia filia et gemens, gemitus tamen devoravit, neque obstaculo illi fuit quominus liber evaderet? nonne illa fortis, quae, amisso parente aeternum moerens, eum tamen non secuta est, et in id se reservavit, ut, servatis iis libris quos flamma excindi tyrannus mandaverat, si non patris corpus, at ingenium certe a nece eriperet, et

Digitized by Google

vetuit ad vultum, quem tot annorum continua tristitia, ut semel obduxit, tenet. Et vide quam non surrepam tibi, nec fucum facere affectibus tuis cogitem. Antiqua mala in memoriam reduxi: et vis scire hanc quoque plagam esse sanandam? ostendi tibi aeque magni vulneris cicatricem. Alii itaque molliter agant, et blandiantur; ego confligere cum tuo moerore constitui, et defessos exhaustosque oculos, si verum audire vis, magis iam ex consuetudine, quam ex desiderio fluentes, continebo, si fieri potuerit, te favente remediis tuis; sin minus, vel invita; teneas licet et amplexeris dolorem tuum, quem tibi in filii locum superstitem fecisti. Quis enim erit finis? omnia in supervacuum tentata sunt; fatigatae allocutiones amicorum: auctoritates magnorum et affinium tibi virorum; studia, hereditarium et paternum bonum, surdas aures, irrito ac vix ad brevem occupationem proficiente solatio, transeunt: illud ipsum naturale remedium temporis, quod maximas aerumnas quoque

mortuo alteram vitam, immortalem vitam daret?

Tot annorum. Vid. Argumentum huius Consolat.

Obduxit. Gallice: *couvrir d'un nuage.*

Non surrepam tibi. Non per ambages aggrediar dolorem tuum vincere, non furtim et te inscia animo tuo illabar, sed candide quem casum defles exponam tibi offeramque ante oculos. Gallice optime transferretur: *Vois combien j'aborde franchement la question.*

Fucum facere. I. e. fallere, falleudo blandiri: sic Erasm. al. Alii libri *furtum facere*, i. e. Lipsio interprete: non clam aut astu insinuare me statui, et in pectus admissus quasi furto et insidiis dolorem tollere. Quum vero τὸ furtum facere significet, et furari et clam aliquid facere, quorum neutrum huc facit, exempla locutionis eo sensu, quem Lipsius innuit, desidero.

Fluentes pro *stillantes*: nam proprie *fluunt* lacrimae, *stillant* oculi.

Teneas licet, etc. Comparat hoc loco Lipsius Platonem Tom. VII, p. 303 Bip.

Filii. Nempe Metilii quem amiserat.

Studia. Quae sunt tibi *hereditarium.....bonum.* Fuit itaque Marcia litteris bonis erudita.

Occupationem. Avocamentum a dolore. Consol. ad Helv. c. 16, med. ad Polyb. c. 36, 3.

7 componit, in te una vim suam perdidit. Tertius iam praeteriit annus, quum interim nihil ex primo illo impetu cecidit: renovat se, et corroborat quotidie luctus, et iam sibi ius mora fecit, eoque adductus est, ut putet turpe desinere. Quemadmodum omnia vitia penitus insidunt, nisi, dum surgunt, oppressa sint: ita quoque haec tristia et misera, et in se saevientia, ipsa novissime acerbitate pascuntur, et fit infelicis animi prava vo-
8 luptas dolor. Cupissem itaque primis temporibus ad istam curationem accedere; leviore medicina fuisset oriens adhuc restinguenda vis: vehementius contra inveterata pugnandum est. Nam vulnerum quoque sanitas facilis est, dum a sanguine recentia sunt: tunc et uruntur, et in altum revocantur, et digitos scrutantium recipiunt: ubi corrupta in malum ulcus veterarunt, difficilius curantur. Non possum nunc per obsequium, nec molliter assequi tam durum dolorem: frangendus est.

Tertius..... annus. Ex morte filii. det lib. V, cap. 21, p. 296 sq. Bip. tandem tamen et ferrum candens commendat.

Iam sibi ius mora fecit. Eleganter vertit Lagrange: *Le temps semble lui donner des droits; elle a gagné tant de terrain, qu'elle regarderait comme une honte de reculer.*

Ita quoque..... dolor. Sotion (s Sotades in prima Gesn. ed.) apud Stobaeum Serm. CVI: ἡ λύπη παρ' οἷς ἂν τρέφεται καὶ αὔξεται, παρ' ἐκείνοις ἡδέως καὶ μένει.

Cupissem itaque primis temporibus..... est. Cf. Cons. ad Helv. c. 1, 2, ubi aliter sentire videtur, ac hoc loco. Sed *primis temporibus* h. l. noli acrius urgere. Neque nimis recenti dolori occurras nisi lenibus medicamentis, ne remediis aliis irritetur, neque veteri, ne innovetur. Epist. 63.

Nam vulnerum quoque sanitas facilis est. A. Corn. Celsus saniora sna-

Tunc et uruntur. Ad profluvium sanguinis impediendum.

In altum revocantur. Igne adhibito contracta vulnera, ut tententur et deinde melius coëant emplastrorum ope.

Scrutantium. Scrutari est *sonder la plaie.*

Veterarunt. Gronov. e MSS. restituit. Antea legebatur apud al. et ap. Erasm. *se verterunt.* Τὸ *veterarunt* maiorem vim habere quam *se verterunt* quivis intelliget. Coniecturam *inveterarunt* recte repudiavit Gron.

Non possum nunc per obsequium, nec molliter assequi..... est. Sensus cuique manifestus est. Sed in voce

II. Scio, a praeceptis incipere omnes qui monere aliquem volunt, et in exempla desinere. Mutari hunc interim morem expedit. Aliter enim cum alio agendum est. Quosdam ratio ducit, quibusdam nomina clara opponenda sunt, et auctoritas, quae liberum non relinquat animum ad speciosa stupentem. Duo 2
tibi ponam ante oculos maxima, et sexus et seculi tui, exempla: alterius, feminae, quae se tradidit ferendam dolori: alterius, quae pari affecta casu, maiore damno, non tamen dedit longum in se malis suis dominium, sed cito animum in sedem suam reposuit. Octavia et Livia, altera soror Augusti, altera uxor, amiserunt filios iuvenes, utraque spe futuri principis certa. Octa- 3
via Marcellum, cui et avunculus et socer incumbere coeperat, in quem onus imperii reclinaret, adole-

assequi haeserunt Lipsius ad h. l., et D. W. Triller. Obss. critt. IV, 17. p. 414. Lipsius suspectum habet, nulla medela adhibita, Triller. proponit: *aggredi*; *attrectare*: *prosequi*: prius tamen praefert, τῷ *assequi* repudiato: languet enim nimis ex eius iudicio. Dissentio. *Assequi* enim dicitur, ut notum est, de eo, qui aliquem occupat fugientem. Iam quum de medela mali molli loquatur, equidem haud intelligo, quomodo langueat verbum mollius in re molli adhibitum.

II. Anc. Octavia, tanquam exemplum, quod sequi possit, ante oculos ponitur. Exempla Marciae ante oculos ponere mavult quam praecepta, propterea quod haec a pluribus (cap. I et IV) iam prolata sunt, sed frustra.

Quosdam ratio ducit. His praecepta conveniunt; quod enim rectum et virile ratio pronuntiat, ergo et praecipit, id statim recipiunt et exsequuntur: caeteros exempla magis movent.

Speciosa. Quae speciem magnam habent, et statim ac visa sunt animum movent et quodammodo ferunt; ut clarorum virorum clara facta, magna in morte dolor moderatus, etc.

Maiore damno. I. iactura, quum Drusus et annis et rebus gratis maior et insignor esset.

Marcellum. Octavia minor C. Marcello nupta, cui et filium M. Marcellum peperit, qui avunculi sui Augusti gener mortuus est, decimum septimum annum agens, optime spei iuvenis, a. V. C. 731. Dio Cass. LIII, 30, 33. Intpp. ad Virgilii Aen. VI, 861 sq. et quae fusius nos ad Consol. ad Polyb.

Incumbere. Fiduciam ponere tantam, ut *onus imperii in eum reclinaret* Augustus. Cf. Horat. Lib. I, od. 12, vs. 45, 46. Vellei. Paterc. II, 93. Tac. Ann. lib. I, cap. 2.

Reclinaret. Lipsius e coni. dedit *reclinare*. Sed vulg. bene habet.

Digitized by Google

scentem animo alacrem, ingenio potentem; sed et frugalitatis continentiaeque in illis aut annis aut opibus non mediocriter admirandum; patientem laboris, voluptatibus alienum, quantumcunque imponere illi avunculus, et (ut ita dicam) inaedificare voluisset, laturum. Bene legerat nulli cessura ponderi fundamenta. Nullum finem, per omne vitae suae tempus, flendi gemendique fecit: nec ullas admisit voces salutare aliquid afferentes. Ne avocari quidem se passa est. Intenta in unam rem et toto animo affixa, talis per omnem vitam fuit, qualis in funere, non dico, non ausa consurgere, sed allevari recusans, secundam orbitatem iudicans, lacrimas mittere. Nullam habere imaginem filii carissimi voluit, nullam sibi fieri de illo mentionem. Oderat omnes matres, et in Liviam maxime furebat, quia videbatur ad illius filium transisse sibi promissa felicitas. Tenebris et solitudini familiarissima, ne ad fratrem quidem respiciens, carmina

Continentiaeque. Non quod simili nos voce vocamus *continence*, sed temperantia in opum usu, gulae deliciis: qui se continet, huius est continentia, quidquid illud sit a quo tangendo se continet.

Frugalitatis continentiaeque admirandum. Poëtice et ad Graecorum imitationem dictum, facta vocis unius cuiuslibet, ut *parte*, Ελλείψει. At nihil iam in scribendo intentatum aut inausum novi styli affectatores relinquebant.

Legeret. I. elegerat: moneo, ne quis emendet *iecerat*, quod iam occupavit Latinus Latinius (Bibliothec. sac. et profan. Romae. 1677.) Male, ut fere omnia, quae Italus ille attulit ad Senecam emendandum.

Nullum finem... tempus... Mortua est a. V. C. 743. Dio Cass. lib. LIV, cap. 35. Filio ergo superstes plus undecim annos.

In funere. Filii nempe. At quaeras forsan quid sit hic funus, utrumne mors ipsam, an quae mortem sequuntur ferales pompae. Vtrumque; unam, sed laxi sensus et indefinitae amplitudinis vocem consulto Annaeus usurpavit, ut omnia una exprimeret quae ad dolendum tam ineluctabiliter sollicitant, mortem nempe et exsequias.

Lacrimas mittere. Aliis in locis et quidem frequentioribus multo idem foret quod *effundere*: hic pro *omittere*, *perdere* positum est.

Oderat omnes matres... Liviam.... Dio Cass. LIII, 33 fin. narrat, Liviam suspectam mortis Marcelli fuisse, quippe filiis suis Druso et Tiberio praelati.

celebrandae Marcelli memoriae composita aliosque studiorum honores reiecit, et aures suas adversus omne solatium clausit: a solemnibus officiis seducta, et ipsam magnitudinis fraternae nimis circum lucentem fortunam exosa, defodit se, et abdidit. Assidentibus liberis, nepotibus, lugubrem vestem non deposuit, non sine contumelia omnium suorum, quibus salvis orba sibi videbatur.

III. Livia amiserat filium Drusum, magnum futurum principem, iam magnum ducem. Intraverat pe-

Studiorum honores. Libellos in eius honorem compositos. Credidere quidam hoc in loco aut Senecam more suo μετωρίζοντα illustris feminae dolorem in maius extulisse, aut non meminisse praelectum Augusto a Marone librum sextum Aeneidos cuius in fin. (vs. 861-886) laudes Marcelli continentur (Vid. Donat. vit. Virgil. §. 47, pag. 166, ed. *Heyne*). At, quod optime notavit *Ruhkopf*, minime necessarium video ita rigide interpretari, quasi noster negaret Virgilium lib. VI Augusto et Octaviae praelegisse. Loquitur enim Seneca de carminibus, elegiis etc. in Marcelli mortem compositis, matrique oblatis, non de episodiis huius notae. Imo Donatum inter et Nostrum facile convenit. Nam quid ait Donatus? *Quae quum recitationi interesset, ad illos de filio versus*, tu Marcellus eris, *defecisse fertur, atque aegre refocillata, dena sestertia pro singulo versu Virgilio dari iussit.* Quid Annaeus? *Studiorum honores reiecit.* h. e. *non admisit*, non recepit. Poëtarum versus et solatia audiit, legit forsan, at solatium non habuit; suavissimi laudatoris carmen et non fictum moerorem magno remuneravit, at moerorem non deposuit. Tum nota nusquam tentasse Virgilium aliquid solatii dare; cum amantissima matre flevit, laudavit, neque unam vocem iecit qua se dolori tanto parem innuat: etiamsi alia omnia contumax matris dolor respuisset, placere tamen debuit.

Officiis. Nimirum salutationum, conviviorum et honorum Marcelli memoriae publice decretorum.

Magnitudinis fraternae.... exosa: si Donato et Servio fides habenda sit, interdum saltem fratri adfuit.

Liberis. Duabus Marcellis earumque filiis. vid. Stemma Octavii Augusti confectum ab Ernesti post eius Edit. Sueton.

III. Ann. Livia exempli causa memorata.

Drusum, magnum futurum principem ducem. Ab. a. V. C. 742 bella gessit in Germania usque ad Albim progressus. Mortuus est in castris aestivis ad Rhenum a. V. C. 745. Dio Cass. LIV, 32; LV, 1, ubi Intpp. Consol. ad Polyb. 34 fin. *Principem* i. Caesarem (namque supra, II, 2, dixit utraque spe futuri principis certa) Seneca h. l. innuit, Augustum inclinasse magis in Drusum vel ob ingenium mitius, vel (quae suspicio fuit) ut suum filium.

nitus Germaniam, et ibi signa Romana fixerat, ubi vix ullos esse Romanos notum erat. In expeditione victor decesserat, ipsis illum hostibus aegrum cum veneratione et pace mutua prosequentibus, nec optare quod expediebat audentibus. Accedebat ad hanc mortem, quam ille pro republica obierat, ingens civium provinciarumque, et totius Italiae desiderium, per quam, effusis in officium lugubre municipiis coloniisque, usque in urbem ductum erat funus triumpho
2 simillimum. Non licuerat matri, ultima filii oscula gratumque extremi sermonem oris haurire. Longo itinere reliquias Drusi sui prosecuta, tot per omnem Italiam ardentibus rogis, quasi toties illum amitteret, irritata, ut primum tamen intulit tumulo, simul et illum et dolorem suum posuit: nec plus doluit quam aut honestum erat Caesari, aut aequum matri. Non desiit itaque Drusi sui celebrare nomen, ubique illum

Victor. Bona lectio. Mss. et edd. e.c. Erasm. tuentur. Grou. ed. omisit.

Municipiis. Idem tradidit Suet. Claud. 1; Tib. 7 fin.

Ingens civium.... coloniisque. Multa Corn. Tacit. similia his habet, quum Germanici reliquiis redditos per totam Italiam honores narrat, hoc praesertim in loco: *Atque ubi colonias transgrederentur, atrata plebes, trabeati equites, pro opibus loci, vestem, odores, aliaque funerum solennia cremabant. Etiam quorum diversa oppida, tamen obvii et victimas atque aras Diis Manibus statuentes lacrimis et conclamationibus dolorem testabantur. Consules.... et senatus ac magna pars populi complevere viam, dimissi, et ut cuique libitum flentes,* Annal. Lib. III, c. 2.

Longo itinere. Ab urbe Ticino Romam. Tacit. Annal. III, 6 init.

Ardentibus rogis, in honorem Drusi extructis, ideoque Cenotaphiis. Similia narrat Tacit. de funere Germanici. Annal. III, 2.

Tumulo, mausoleo, quod Augustus sibi suisque struxerat inter Flaminiam viam ripamque Tiberis. Sueton. August. 100.

Plus....quam.... honestum erat Caesari) *Non enim eadem decora principibus viris, et imperatori populo, quae modicis domibus aut civitatibus*, Tac. Annal. lib. III. cap. 6. *Caesari* autem notandum de femina dici, quod nusquam adverti. Certe neque ulla unquam ex imperantium domo mulier Caesar vocata fuit, et Livia, quo die Tiberius principatum obtinuit (Tacit. Annal. Lib. I, cap. 8), in Augustae nomen adsumpta est.

sibi privatim publiceque repraesentare, et libentissime de illo loqui, de illo audire: quum memoriam alterius nemo posset retinere ac frequentare, quin illam tristem sibi redderet. Elige itaque, utrum 3
exemplum putas probabilius. Si illud prius sequi vis, eximis te numero vivorum: aversaberis et alienos liberos et tuos ipsumque, desiderans; triste matribus omen occurres: voluptates honestas, permissas, tanquam parum decoras fortunae tuae reiicies, invisam habebis lucem, et aetati tuae, quod non praecipitet te quamprimum et finiat, infestissima eris: quod turpissimum alienissimumque est animo tuo, in meliorem noto partem, ostendes te vivere nolle, mori non posse. Si ad hoc maximae feminae te exemplum ap- 4
plicueris, moderatius ac mitius eris in aerumnis, nec te tormentis macerabis. Quae enim, malum, amentia est, poenas a se infelicitatis exigere, et mala sua augere? Quam in omni vita servasti morum probitatem

Quum memoriam alterius (Marcelli), *nemo posset retinere ac frequentare.* Quum de usu nunc satis noto τοῦ *frequentare memor.* (i. frequenter alicuius meminisse) dubitarunt Viri docti, et Muretus reposuit *posset retentare*; Gronov. exempla quaedam attulit ad hanc omnium Mss. et edd. vett. lectionem stabiliendam.

Aversaberis.... ipsumque desiderans: Mureto haec lectio debetur, Gronovio probante: *desiderans* enim (cuius loco *desiderabis triste* antea erat) in Mss. aliquot invenitur et sensus sic optime procedit: quum eius memoriam frequentare refugis, eum et aversari videris aliis. Incisum feci post *ipsumque*, ut sensus clarior esset, maiori inciso facto, Mureto et Gronovio auctoribus, post *desiderans*. Sequentia spectant ad superstitionem veterum notam, ex occursu omina capientium. Aliorum tentamina huius loci omitto.

Aetati tuae, h. e. iuventuti tuae.

Te finiat. Audacius quam melius, pro vitae tuae finem imponat.

Mori non posse. Non eam vim animi et fortitudinem habere ut necem tibi ipsa consciscas.

Applicueris, moderatius ac mitius eris in aerumnis. Lipsius, Erasmum secutus et Mss., negationem *non eris* eliminavit e textu. Recte. Livia enim remansit in aerumnis, sed mitior et moderatior.

Quae enim, malum, am.) *Malum*, interiectionis loco positum, indignantium vocem esse constat.

et verecundiam, in hac quoque re praestabis; est enim quaedam et dolendi modestia. Illum ipsum iuvenem dignissime quietum semper nominans cogitansque facies, et meliore pones loco, si matri suae, qualis vivus solebat, hilaris et cum gaudio occurrat.

IV. Nec te ad fortiora ducam praecepta, ut inhumano ferre humana iubeam modo, ut ipso funebri die oculos matris exsiccem: ad arbitrum tecum veniam: hoc inter nos quaeretur, « utrum magnus esse » debeat, an perpetuus dolor. » Non dubito, quin Liviae Augustae, quam familiariter coluisti, magis
2 tibi placeat exemplum. Illa te ad suum consilium vocat: illa in primo fervore, quum maxime impatientes ferocesque sunt miseriae, se consolandam Areo phi-

Dignissime quietum..... facies: e. Lipsii cod. quocum et reliqui codd. conspirare videbantur, recepit Gronov., qui *faciet* mutavit in *facies*. Antea: *dignissimum quiete*; *semper nominans cogitansque faciet*: Erasmus: *dignissime quietum, quem semper nominatum cogitatumque faciet*. Quum dignissime quietus sit, talem facies, etc.—*Illum ipsum iuvenem... facies*, i. Gronovio interprete: illum qui merito quietus ac minime infestandus est, semper talem (amoto insano, querulo atque inquietante luctu) appellando vel commemorando ac menti repraesentando quietum facies: sic demum vere illi placidam quietem, quam mortuis nostris optamus, dabis. Tò *quietum* accipiendum, quasi bis positum esset, more antiquis praesertim argute ac brevius locutis frequenti.

IV. Ang. Arei, qui Augusti Philosophus erat, consolatio ad Liviam facta fingitur.

Nec te ad fortiora..... Stoicorum Consol. ad Polyb. 37, 3. Et scio inveniri quosdam etc. Consol. ad Helv. c. 16, 1; de Clem. II, 5; in quo loco egregie de Stoicorum apathia disputatur.

Arbitrum, qui inter nos decidat, iudicet.

Non dubito... coluisti Livia mortua est a. V. C. 782. (D. Cass. LVIII, 2).

Se consolandam Areo philosopho v. s. p. Sic est ap. Erasm. Pincianus dederat: *se consilio Arei philosophi v. s. p.*, e membranis, quae habebant: *e consulareo philosophi viri sui p.* Vnde Schottus Obss. V, 14, p. 222, fecit: *se consilio Arei ph.* (sc. amici) *v. s. p.* Praetulit tamen coniecturam suam alteram: *se consolandam Areo ph. v. s. p.* Si Erasmum inspexisset, verum invenisset sine coniectando. — *Areo philosopho viri sui.* Iam inde a Scipionum tempore nobiliores principesque adiunxisse sibi philosophos poëtasque, plerumque graecos natione, in quorum consuetudine et amicitia viverent, est res notissima. Quem morem et Augusto observatum

losopho viri sui praebuit, et multum eam rem profuisse sibi confessa est: plus quam populum Romanum, quem nolebat tristem tristitia sua facere: plus quam Augustum, qui subducto altero adminiculo titubabat, nec luctu suorum inclinandus erat: plus quam Tiberium filium, cuius pietas efficiebat, ut in illo acerbo et defleto gentibus funere, nihil sibi nisi numerum deesse sentiret. Hic, ut opinor, aditus illi fuit, hoc principium apud feminam opinionis suae custodem diligentissimam: «Vsque in hunc diem, 3
» Livia (quantum quidem ego sciam, assiduus viri
» tui comes, cui non tantum quae in publicum emit-
» tuntur, nota sunt, sed omnes quoque secretiores
» animorum vestrorum motus) dedisti operam ne
» quid esset, quod in te quisquam reprehenderet.
» Nec id in maioribus modo observasti, sed in mini-
» mis, ne quid faceres, cui famam, liberrimam prin-
» cipum iudicem, velles ignoscere. Nec quidquam

esse et aliunde et hoc loco scimus. Hic Areus, Philosoph. Stoicus, Alexandrinus fuit, Augusto et Maecenati familiaris: ille tantopere eum aestimavit, ut expugnata Alexandria (a. V. C. 724) in oratione graeca ad Alexandrinos habita diceret, se iis parcere etiam propter Areum civem, eundemque amicum suum. Dio Cass. LI, 16, ubi cf. Intpp. Fabric. Bibl. Gr. Vol. III, p. 540 Harl.

Altero adminiculo. Druso fratre Tiberii, qui solus supererat.

Nisi numerum, unus tantopere solabatur, ut duorum vice esset. Cons. ad Helv. c. 16 fin. *nihil tibi deerit praeter numerum.*

Aditus, i. e. exordium consolationis, *illi* Areo, quod quidem ingeniosum esse confiteamur.

Vsque in hunc diem etc. E Tacito, Suetonio, etc. confirmatur in plurimis haec allocutionis pars Arei ad Liviam, quam et prudentissimam et callidissimam mulierem uxoremque fuisse scimus. Suet. Octav. c. 62: (Augustus) Liviam... abduxit, dilexitque et probavit unice ac perseveranter: coll. Tacit. Ann. V, 1. Quamquam nec desint accusationes perquam invidiosae in eam, ex quibus certe videmus, eius innocentiam morum famae satis ambiguae fuisse. Sic erat suspecta de morte L. ac C. Caesarum (Tacit. Ann. I, 3), de morte Marcelli, de morbo Augusti etc.

Famam, liberrimam principum iudicem) *Famam, l'opinion.* Ovid. Metamorph. lib. XV, vs. 853: *Libera fama tamen, nullisque obnoxia iussis.*

» pulchrius existimo in fastigio collocatis, quam mul-
» tarum rerum veniam dare, nullius petere. Servan-
» dus itaque tibi in hac re tuus mos est, ne quid
» committas, quod minus aliterve factum velis.

V. « Deinde oro atque obsecro, ne te difficilem
» amicis et intractabilem praestes. Non est enim quod
» ignores, omnes hos nescire quemadmodum se ge-
» rant: loquantur aliquid coram te de Druso, an
» nihil, ne aut oblivio clarissimi iuvenis illi faciat in-
» iuriam, aut mentio tibi. Quum secessimus, et in
» unum convenimus, facta eius dictaque, quanto
» meruit suspectu, celebramus: coram te altum nobis
2 » de illo silentium est. Cares itaque maxima volu-
» ptate, filii tui laudibus, quas non dubito quin vel
» impendio vitae, si potestas detur, in aevum omne
» sis prorogatura. Quare patere, immo arcesse ser-
» mones, quibus ille narretur, et apertas aures praebe
» ad nomen memoriamque filii tui: nec hoc grave
» duxeris, ceterorum more, qui in eiusmodi casibus
» partem mali putant, audire solatia. Nunc incubuisti
» tota in alteram partem; et oblita meliorum, fortu-
3 » nam tuam, qua deterior est, adspicis. Non conver-
» tis te ad convictus filii tui, occursusque iucundos,
» non ad pueriles dulcesque blanditias, non ad in-
» crementa studiorum: ultimam illam faciem rerum
» premis. Illi, tanquam parum ipsa per se horrida

Minus aliterve factum. H. e., aut non omnino factum, aut minus diu, minus effuse factum; ut lacrimas quas ant non effudisse aut pauciores effudisse olim optabis.

V. Arg. Orat, ut amicorum solatia benigne accipiat.

Deinde. Rara vox eodem sensu quo *proinde.*

Suspectu. H. e. *admiratione.* Saepenumero iam in Seneca advertimus *suspicere* pro demirari.

Incubuisti in alteram partem. Gallic. *Tu t'es jetée d'un côté.* Standum erat in medio, sapiente laetitiam inter et dolorem temperamento, tu in dolorem tota ablata et effusa es.

Illi..... quidquid..... congeris. Lectio

» sit, quidquid potes congeris. Ne, obsecro te, con-
» cupieris, perversissimam gloriam, infelicissimam
» videri. Simul cogita, non esse magnum, se rebus 4
» prosperis fortem gerere, ubi secundo cursu vita
» procedit: nec gubernatoris quidem artem tranquil-
» lum mare et obsequens ventus ostendit: adversi
» aliquid incurrat oportet, quod animum probet.
» Proinde ne submiseris te, immo contra fige stabilem
» gradum: et quidquid onerum supra cecidit, susti-
» ne, primo duntaxat strepitu conterrita. Nulla re
» maior invidia fortunae fit, quam aequo animo.» Post hoc ostendit illi filium incolumem, ostendit ex amisso nepotes.

VI. Tuum illic, Marcia, negotium actum, tibi Areus assedit; te mutata persona consolatus est. Sed puta, Marcia, ereptum tibi amplius, quam ulla unquam mater amiserit (non permulceo te, nec extenuo calamitatem tuam): si fletibus fata vincuntur, confe-

edd. vett. et MSS. quam bene restituit Gronov. Iac. Durantius Casellius (Var. Lect. libri duo. Lutetiae 1582) emendaverat e libris suis iureiurando adeo interposito, *in illam*: bene a Gronov. repulsus, qui contulit Cons. ad Helv. c. 5: *quidquid illi congesseris.*

Videri. Post hanc vocem quintum caput concluditur a quibusdam editoribus, et a Gallico interprete Lagrange. Sextum vero constat ex iis quae sequuntur, a *simul* usque ad *at enim*.

Nec gubernatoris.... probet. Similia ap. Stobaeum, Sermon. X, Gesn. p. 158, (Schow. p. 381) e Sotionis secundo libro de Ira: *Ὥσπερ δὲ πλοῖα γενναῖα οὐχ ὅσα ἐν εὐδίᾳ πλεῖ, ἀλλ' ὅσα πρὸς χειμῶνα ἀντέχει καὶ σύζεται, οὕτω καὶ ἄνθρωποι ὀργῇ καὶ πένθει ἀντέχοντες μεγάλοι καὶ ἀνδρεῖοι.* Quum plura hanc in rem satis obvia hic congeri possent, haec omitto lubens. Adduxi tamen illa Sotionis propterea, quod Senecae praeceptorem fuisse narrant.

Ne submiseris... gradum....) Tu ne cede malis, sed contra audentior ito. Virg. Aen. lib. VI, 95.

Nulla re..... animo. Odium in Fortunam nihil magis excitat, ideoque misericordiam tibi conciliat aliorum hominum, quam aequabilitas et robur animi.

Nepotes. Sc. ex Druso, Germanicum, Claudium, Livillam.

VI. Ang. Moerore nihil proficitur.

Sed puta, etc. Egregie ad communem matrum affectum haec sunt attemperata, sese luctuosissimas et omnium miserrimas exclamantium.

Conferamus. Sc. fletus. Alii *con-*

Digitized by Google

ramus; eat omnis inter luctus dies, noctem sine somno tristitia consumat; ingerantur lacerato pectori manus, et in ipsam faciem impetus fiat; atque omni se genere
2 saevitiae profecturus moeror exerceat. Sed si nullis planctibus defuncta revocantur, si sors immota, et in aeternum fixa, nulla miseria mutatur, et mors tenet quidquid abstulit; desinat dolor, qui perit. Quare regamus, nec nos ista vis transversos auferat. Turpis est navigii rector, cui gubernacula fluctus eripuit, qui fluctuantia vela deseruit, permisit tempestati ratem; at ille vel in naufragio laudandus, quem obruit mare clavum tenentem et obnixum.

VII. « At enim naturale desiderium suorum est. » Quis negat, quamdiu modicum est? nam ex discessu, non solum amissione carissimorum necessarius morsus est, et firmissimorum quoque animorum contractio. Sed plus est, quod opinio adiicit, quam quod natura imperavit. Adspice mutorum animalium quam

fleamus, quam lectionem praeferam, modo exemplis idoneis adstruere possem usum loquendi.

Ingerantur..... impetus fiat. Quae omnia signa summi doloris solemnia tunc erant. Seneca Tragicus, Troad. Act. I, vs. 84 sqq.

Perit. Qui inutilis est, et perditur.

Transversos. Transverso impetu correptos. Solemnis illa vox ad vim turbinis designandam aut fortunae ineluctabilis rapidissimum cursum. Laber. in Prolog. vs. 1 et 2: *Necessitas, cuius* transversi *cursus impetum Multi effugere voluerunt, pauci potuerunt.*

At ille. Rhodius gubernator de quo ep. LXXXV fin. ex Telete Pythagoreo. Vid. Stobaei serm. CVI.

VII. Anc. Desiderium suorum est quidem naturale, sed sit modicum: immodicus enim luctus naturalis non est.

Morsus, dolor.

Contractio. Laudat Lipsius Aristotelis illud: dolor frigus est: a frigore autem contractio. Cic. Tuscul. Dispp. I, 37, p. 55 Wolf.

Opinio. Gallic. verte, *l'illusion, l'imagination.* Nimirum discedente amico aut diem supremum obeunte, flendi ampla materia est; at si pervigili animo non recordaremur perpetuum quae habebamus, quae amisimus, oculi mox siccarentur; at e contrario novam usque et usque facimus lamentandi materiam, dum causas doloris aut sopitas suscitamus, aut remotas arcessimus, aut quae nusquam exstabant fingimus, in malum nostrum laborantes.

Adspice. Idem fere attulerat Noster de Ira, I, 4, 5.

concitata sint desideria, et tamen quam brevia. Vaccarum uno die alterove mugitus auditur: nec diutius equarum vagus ille amensque discursus est. Ferae quum vestigia catulorum consectatae sunt, et silvas pervagatae, quum saepe ad cubilia expilata redierint, rabiem intra exiguum tempus exstinguunt. Aves cum 2
stridore magno inanes nidos circumfremunt: intra momentum tamen quietae, volatus suos repetunt. Nec ulli animali longum fetus sui desiderium est, nisi homini, qui adest dolori suo, nec tantum quantum sentit, sed quantum constituit, afficitur. Vt scias autem non esse hoc naturale, luctibus frangi, primum magis feminas quam viros, magis barbaros quam placidos eruditaeque gentis homines, magis indoctos quam doctos, eadem orbitas vulnerat. Atqui ea, quae a natura vim acceperunt, eamdem in omnibus servant. Apparet non esse naturale, quod varium est. Ignis omnes aetates, omnium urbium cives, tam viros quam feminas, uret: ferrum in omni corpore exhibebit secandi potentiam; quare? quia vires illi a natura datae sunt, quae nihil in personam constituit. Paupertatem, luctum, ambitionem alius aliter sentit,

Expilata. I. e. direpta, ex quibus catuli a venatoribus ablata sunt.

Adest dolori suo. Id est, spectator doloris sui ita est, ut hunc non solum patiatur, sed efficiat, sed amplificet, vel ei incubet: opinione plurimum adiiciente et augente.

Quantum constituit. Subaudi, *sentiendum.* Homines fingit in hoc consensisse, non quidem lege publica sed arcano quodam pacto, ut ostentaretur dolor adscititius, et ille se miserrimum clamaret cui aut parentes, aut propinquos aut pignora fatum abstulisset.

Varium, instabile, quod mox hunc, mox illum afficit, nec unum tenorem in omnibus observat.

In personam const. Quae ad leges naturae communes spectat; Gall. *les dons de la nature ne sont point personnels.*

Ambitionem. Omnibus scripta editaque olim lectio, a Pinciano mutata in *orbationem*; a Grutero, Iureto et Lipsio in *abitionem* i. mortem (cf. Festus: *abire*). De naturalibus autem loquitur, quae nunquam varia sunt: at ea, quae naturalia non sunt, ut paupertas, luctus, ambitio, diver-

prout illum consuetudo infecit: et imbecillum impatientemque reddit praesumpta opinio de non timendis terribilis.

VIII. Deinde quod naturale est, non decrescit mora: dolorem dies consumit; licet contumacissimum quotidie insurgentem, et contra remedia effervescentem, tamen illum efficacissimum mitigandae ferociae tempus enervat. Manet quidem tibi, Marcia, etiamnunc ingens tristitia, et iam videtur duxisse callum, non illa concitata, qualis initio fuit, sed pertinax et obstinatat: tamen hanc quoque aetas tibi minutatim
2 eximet. Quoties aliud egeris, animus relaxabitur. Nunc te ipsa custodis; multum autem interest, utrum tibi permittas moerere, an imperes. Quanto magis hoc morum tuorum elegantiae convenit, finem luctus potius facere, quam exspectare? nec illum opperiri diem, quo te invita dolor desinat? ipsa illi renuntia.

IX. « Vnde ergo tanta nobis pertinacia in deplora-» tione nostri, si id non fit naturae iussu? » quod nihil nobis mali, antequam eveniat, proponimus, sed, ut immunes ipsi et aliud et pacatius ingressi iter,

sam vim exercent, alio aliter ab iis sollicitato. Bene itaque Gronov. restituit *ambitionem*.

Infecit. Consuetudo nempe cordis intima mutat, et humana in mente aliam affectuum, sensuum, voluntatum quasi compagem inaedificat.

VIII. Arg. Pergit in docendo, luctum non esse naturalem.

Efficacissimum mitigandae ferociae. Ad mitigandam ferociam potentissimum. *Efficax mitigandae* graeca ἔλλειψις est, cuius exempla apud poëtas bene multa, in oratoribus perpauca sunt: at poëtarum more saepe delectari Senecam iam notavimus, nec poëticos tantum spiritus affectare, sed et poëticum stylum.

Duxisse callum. Fit callus in cute, ubi ita illa induruit, ut quam sentiendi facultatem habet, aut hebetetur, aut pereat.

Initio e Lipsii coniectura bona est. Antea *in illo*, quod quo referas, non habes.

Morum tuorum elegantiae. I. e. animi tui firmitati et innocentiae: Propter animi robur eam iam antea laudaverat. cf. Ernesti Clav. Cic. *Elegantia*.

IX. Arg. Si attentiores essemus ad communes casus, qui quotidie ante oculos nostros accidunt, mala nos nec

Digitized by Google

alienis non admonemur casibus, illos esse communes. Tot praeter domum nostram ducuntur exsequiae: de morte non cogitamus; tot acerba funera: nos togam nostrorum ipfantium, nos militiam, et paternae hereditatis succéssionem animo agitamus; tot divitum subita paupertas in oculos incidit: et nobis nunquam in mentem venit, nostras quoque opes aeque in lubrico positas. Necesse est itaque magis corruamus, qui quasi ex inopinato ferimur. Quae multo ante praevisa sunt, languidius incurrunt. Vis tu scire te ad omnes expositam ictus stare, et illa quae alios tela fixerunt, circa te vibrasse? velut murum aliquem, aut obsessum multo hoste locum, et arduum ascensu, inermis adeas, exspecta vulnus, et illa superne volantia cum sagittis pilisque saxa puta in tuum librata corpus. Quoties aut ad latus, aut pone tergum ceciderint, exclama: Non decipies me, fortuna, nec se-

occuparent improvisos, nec pertinaces in deploratione nostri esse mus, sed futura praeciperemus cogitatione.

Aliud et pacatius ingressi iter. Vetus lectio codd. et Erasmi. Antea, *et aliis*: s. *et aliud* in Gron. et Bip. edd.

Tot acerba funera, etc. Calamitates videmus, attamen de rebus laetis nostris tantummodo cogitamus: e. g. de datione togae, quae fieri solebat ab adolescentibus in libera Rep. decimum sextum annum agentibus, sub Caesaribus vero annum decimum quintum agentibus, et ap. Graecos et Romanos Liberalibus solemnibus. Ovid. Fast. III, 771. Praeclare hanc togae dationem explicatam eiusque originem a Graecis docte et eleganter repetitam nuper legimus in prolusione scholastica Boettigeri, inscripta *de Originibus tirocinii ap. Romanos.* 1794. *Vinar.* Initiatos esse mysteriis Liberi, s. liberalibus, pueros eodem die quo togam liberam sumerent, docet Vir ille Cel.

Necesse est itaque, etc. «Praecogitati mali mollis ictus venit». Noster, Ep. 76. Plura loca hanc sententiam enuntiantia collegit Gataker ad Antonin. p. 285, ubi nostrum locum non neglexit.

Languidius incurrunt. Metaphora ducta a telis, quae etenim expresse mox nominantur.

In tuum librata corpus omnium MSS. et edd. vett. lectio, est a Gronov. merito recepta. Alii *vibrata*.

Securam. Bona MSS. lectio. I. M. Heusinger Emendd. p. 24, cum Grutero *securum*, ut generaliorem enuntiationem, praefert.

Digitized by Google

curam aut negligentem opprimes; scio quid pares; alium percussisti, me petisti. Quis unquam res suas, quasi periturus, adspexit? quis unquam nostrum de exsilio, de egestate, de luctu cogitare ausus est? quis non, si admoneatur ut cogitet, tanquam dirum omen respuat, et in capita inimicorum aut ipsius intempestivi monitoris abire illa iubeat? Non putavi futurum! Quidquam tu putas non futurum, quod multis scis posse fieri, quod multis vides evenisse? Egregium versum et dignum audi, qui non e Publio periret:

Vt cogitet. Erasm. habet: *ut de suis cogitet.* Gatak. ad Antonin. pag. 168, 38, hic adhaerens proponit e Scholio MS. *ut de istis, ut suis, cogitet.* Mihi quidem haec additamenta esse videntur, quibus facile supersedemus. Maneo itaque in vulgata lectione.

Non putavi futurum..... Cf. de Ira, II, 31.

Egregium versum et dignum audi, qui non e Publio periret. M.scripti variant: alii dant: *dignum audivi*, s. *audi, qui non e populo heri et*: alii: *dignum, qui non e populo erit*, s. *eritet.* In quibus nullum sensum esse, quivis intelliget. Itaque viri docti in hunc locum emendandum certatim quasi involarunt: quorum qui velit cognoscere infelicia tentamina, is adeat e. c. Ian. Rutgers. Var. lectt. VI, c. 3, p. 550, qui Scriverii quoque emendationem aeque infaustam affert: Sam. Petiti Miscellan. (lib. IX Paris. 1630) III, 15, p. 166. Triller. Obss. Crit. III, 24, p. 252 sqq. etc. I. F. Gronovius, quae in eo erat doctrina et sagacitas egregia, Lipsium et vocularum apices secutus, dedit: *dignum qui non e Publio exiret*, eiecto τῷ *audi.* Discedo tamen ab eius iudicio. Ac *primum* puto, τὸ *audi* esse nexus causa admittendum, quippe a pluribus codd. oblatum: *deinde* vereor, ut recte iudicet Gronov. quod omnino Publium malum auctorem Nostro visum esse autumat; nam et mimographos gravia quoque et severa publice extulisse notum est, et a Nostro adeo plus semel (e. c. ep. 8, 94, tacito tamen eius nomine; 108, de Tranquill. anim. c. II) adducta, quin etiam collecta esse eorum dicta, ne perirent, quoniam in eorum ineptiis, ut Seneca de Tranq. an., c. II ait, nemo facile ea quaesiverit. Sequor itaque nexum litterarumque ductum, et recipio *periret. Heri* enim et *beri*, *peri* a librariis confusa esse constat. I. M. Heusinger Emendd. p. 242, Gronovii emendationem probat. — *Qui non Publio periret.* Et quidem videtur Noster P. Syri scripta magni fecisse, immo et doluisse quod non ex nugatoriis ad maiora et altiora vim illam ingenii transtulisset. Ipse epist. VIII: *Quantum disertissimorum versuum inter mimos iacet! quam multa Publii, non excalceatis, sed cothurnatis dicenda sunt.*

Cuivis potest accidere, quod cuidam potest.

Ille amisit liberos: et tu amittere potes. Ille damnatus est: et tua innocentia sub ictu est. Hic nos error decĭpit, hic effeminat, dum patimur, quae nunquam pati nos posse praevidimus. Aufert vim praesentibus malis, qui futura prospexit.

X. Quidquid est hoc, Marcia, quod circa nos ex adventitio fulget, liberi, honores, opes, ampla atria, et exclusorum clientium turba referta vestibula, clara, nobilis, aut formosa coniux, ceteraque ex incerta et mobili sorte pendentia; alieni commodatique apparatus sunt; nihil horum dono datur: collatitiis et

Cuivis.....potest. Publ. Syr. Sentent., vs. 144.

Sub ictu est. Splendide et vivide dictum pro *in eo est ut pereat*, *cervicem quasi tetendisse videtur feriturο.* Aemulatus est Silius, Punic. VIII, 309, ubi Aemilium de Varronis imprudentia monens Fabius: *expectaturque* sub ictu *Alter Flaminius.*

X. Arg. Ad haec, quae hic nobis sunt, inter adventitia ideoque nobis commodata (οὐκ ἐφ' ἡμῖν, ut Epictetus appellat) munera, numeres. Cf. Cic. Topic. 18. Senec. Consol. ad Helviam, c. V, 1.

Ex adventitio. Non e nobis derivatum, neque ergo nobis intime adhaerens, ut ingenium, sapientia, et optimae indolis dotes: *ipsa etenim virtus pretium est sibi, solaque late Fortunae secura nitet..... Nil opis externae cupiens, nil indiga laudis: Divitiis animosa suis.* (sic fere Claudian. Carm. XVII, de Consul. Manlii Theodori, vs. 1 sqq.)

Ampla. Nam immensam atria ista in magnitudinem patebant, siquidem, teste Vitruvio (de Architectur. lib. VI, cap. 4), *ab pedibus octoginta in pedes centum extendebantur.* Paulo autem pes Romanus Gallico brevior erat.

Exclusorum clientium turba. Famulantium clientium multitudine summopere gloriabantur proceres, et vanitas eorum delectabatur si ipsos multi exspectarent; illi autem aut regis sui (sic patronum tunc vocabant) coenam captaturi saepe aderant, aut de inanibus rebus longiuscule locuturi, aut opem aliquam rogaturi. Saepe vero optimates exspectantium turbam excludebant, aut clam e domo se subducebant; quod suadet Torquato suo Horatius lib. I, epist. V, vss. ultimo: *Et rebus omissis Atria servantem postico falle clientem.*

Alieni..... apparatus, etc. Vitae hic vides comparationem cum dramate satis familiarem apud Veteres. cf. Gatak. ad Antonin. p. 438, 439. Hinc *apparatus*, i. e. res quas his in terris possidemus ad drama vitae bene agendum, a fortuna commodati.

Collatitiis, i. commodatis. Cogites modo exemplum notum Luculli ap. Horat. Epp. I, 6, 40 sqq. cf. Gronov. Obss. IV, 14, edit. *Lipsiae.*

Digitized by Google

ad dominos redituris instrumentis scena adornatur. Alia ex his primo die, alia secundo referentur; pauca usque ad finem perseverabunt. Ita non est quod nos suspiciamus, tanquam inter nostra positi: mutuo accepimus. Vsusfructus noster est, cuius tempus ille arbiter muneris sui temperat: nos oportet in promtu habere, quae in incertum diem data sunt, et appellatos sine queréla reddere. Pessimi est debitoris, creditori facere convicium. Omnes ergo nostros, et quos superstites lege nascendi optamus, et quos praecedere iustissimum ipsorum votum est, sic amare debemus, 3 tanquam nihil nobis de perpetuitate, imo nihil de diuturnitate eorum promissum sit. Saepe admonendus est animus, amet ut recessura, imo tanquam recedentia; quidquid a fortuna datum est, tanquam exemptum auctore possideat. Rapite ex liberis voluptates,

Instrumentis, id est, tabulis, statuis, vestibus.

Nos suspiciamus. I. e. gloriemur, nos magis miremur.

Vsusfructus noster..... Dens *munus* (ludum, scenae spectaculum) edit, est χορηγός. (Wolfii Prolegom. ad Demosth. Orat. Lept. p. LXXXIX). Vid. quae notaverim de *mancipio*, *usucapione* et *usufructu*, Consol. ad Polyb.

Arbiter muneris. Vox illa de deo et fortuna usurpata iam occurrit. Vide de hac phrasi Nostrum, Ep. CXVII, ibique notam.

Pessimi..... *convicium*. Se. mutuo datam pecuniam reposcenti creditori iniuriam facere.

Tanquam exemptum auctore possideat. Scripti: *tanquam exemplum auctore*: *ab auctore*. Col. *exemptum*. Posterius amplector. Sensus: quae Fortuna tibi dederit, periude possideas, ac si nullum dominum (auctorem) haberent, tibique verendum sit, ne statim revertatur auctor suorum reposcendorum gratia. Proinde omni modo fructum ex iis cape. — Sequentia apprime concinunt. Haec et simplicior Nostro sua restituendi ratio est, et scripturae veteri consentaneus. Neque tautologiam increpes: hoc enim est Senecae vitium dulce, at cum Quintiliano loquar, ut brevis videatur, prolixus saepe fit. Gronov. emendat: *tanquam exceptum auctori possideat*: i. ita teneas at auctorem Fortunam scias repetendi eius vindicandique semper liberum ius servasse: formulam iuris hic adhibitam male censens. Cur enim Mss. deseramus? Antea: *tanquam exemplo abiturum possideat*. At codd. lectio contortiore Gronoviana melior est.

Rapite..... *voluptates*. Inculcata praecepta a lyricis, e. c. Horat. III,

Digitized by Google

fruendos vos invicem liberis date, et sine dilatione omne gaudium haurite; nihil de hodierna die promittitur; nimis magnam advocationem dedi: nihil de hac hora. Festinandum est; instat a tergo mors; iam disiicietur iste comitatus, iam contubernia ista sublato clamore solventur. Rapina rerum omnium est. Miseri, nescitis in fugam vivere! Si mortuum tibi filium doles, eius temporis, quo natus est, crimen est; mors enim illi nascenti denuntiata est. In hanc legem datus; hoc fatum ab utero statim prosequebatur. In regnum fortunae, et quidem durum atque invictum pervenimus, illius arbitrio digna atque indigna passuri; corporibus nostris impotenter, contu-

Od. 8, vs. 26: *Dona praesentis cape laetus horae.* Lib. I, Od. 11, 7 et 8: *dum loquimur, fugerit invida Aetas: carpe diem, quam minimum credula postero.* et Epod. XIII, vs. 3: *Rapianus, amice, Occasionem de die.* Inprimis III, od. 29, ubi cf. Boettiger. Aristippi fragm. apud Athen. XII, 11, p. 544, laetitiam esse μονοχρόνον, i. e. unum tempus solummodo habere, praesens verbi ἀπολαύω (fruor): perfectum vero ἀπολελαυκέναι, et futurum ἀπολαύσομαι, (fruar) nihili esse. Senec. Ep. 12. Plutarch. Consol. ad Apollon. p. 321 sq. T. VII Hutten. Epicureos cum Stoicis hac in re sentire per se patet, et a Gatak. in praeloquio ante edit. Antonini de rebus suis docte monitum est.

Advocationem, certam temporis moram, qua amicos advocare possumus: imprimis in usu erat iudicialis sub Caesaribus. Noster saepe utitur: de Ira, I, 16, 12; II, 29; III, 12. Nat. Quaest. VII, 10: de statu et quiete.

Disiicietur. Alii *deficient*. *Disiicietur* maiorem vim habet, eamque hic desideras: ideoque praefero.

Contubernia... solventur. Elegans schema a re militari. Solebant Romani milites, dum in castris in oppido commorabantur, una degere; at ubi proficiscendum aliquo erat, clamore sublato, separabantur, quod vocatum est *solvere contubernia*. Gall. *contubernia* est fere *chambrées*.

Rapina rerum omnium est. Miseri, nescitis in fugam vivere. Sic Erasmus dedit, quod praefero. *In fugam vivere*; quasi fuga harum rerum, quas possideatis, immineat. Similis locutio haec est nota: *in diem vivere*, Ovid. Metam. II, 48, i. hunc diem curare, futuro neglecto. Lipsius concinnitatem quaerens reponit: *Rapina omnia rerum est* (*miseri, nescius?*) *et fuga, vivere.*

Denuntiata. Gronovio suasore et auctoribus nonnullis Mss. recepi: i. condicta, constituta, cum notione minarum. Antea *determinata*: parum apta voce, quippe quae de finibus ordinandis potissimum in usu est.

meliose, crudeliter abutetur: alios ignibus peruret, vel in poenam admotis, vel in remedium; alios vinciet: id nunc hosti licebit, nunc civi; alios per incerta nudos maria iactabit, et luctatos cum fluctibus, ne in arenam quidem aut littus explodet, sed in alicuius ventrem immensae belluae decondet; alios morborum variis generibus emaceratos, diu inter vitam mortemque medios detinebit. Vt varia et libidinosa, mancipiorumque suorum negligens domina, et poenis et muneribus errabit. Quid opus est partes detlere? tota vita flebilis est. Vrgebunt nova incommoda, priusquam veteribus satisfeceris. Moderandum est itaque, vobis maxime, quae immoderate fertis, et in metus, et in dolores humanum pectus dispensandum.

XI. Quae demum ista tuae publicaeque conditionis oblivio est? Mortalis nata es, mortales peperisti: putre ipsa fluidumque corpus, et causis morbisque repetita,

Vel in remedium. Bona lectio codd. e quibus nonnulli adiiciunt: *admotis vel incerta nudos*, s. *vel incertis*, ut Erasm. quae ex sequentibus per socordiam librarr. huc traducta putem. Triller. Obss. critt. p. 456, post infelix tentamen tandem meliores libros exspectandos statuit.

Alios vinciet: id nunc h. l. n. e. Recte Gronov. restituit e codd. optimae notae: deest haec periodus ap. Erasm. Quatuor gravissimis fortunae vexationibus corpus, ait, nostrum patere, iguibus, vinculis, naufragio, morbis.

Decondet. Sic Lips. et Gron. e codd. Antea *detrudet*.

Diu inter vitam m. d. Gronov. e codd. *medios*. Deest ap. Erasm. etc.

Varia. Quae varie vario tempore afficitur, varie sentit, varie iubet. *Varium et mutabile semper Femina*. Gallic. *capricieuse*.

Moderandum.... fertis Lipsius e codd. dedit.

XI. Aug. Iam vero tu et filius mortales nati estis, ideoque sortem humanam communem nacti. Cf. Galak. ad Antonin. p. 131.

Mortalis nata es, etc. Communis in consolando locus, sed firmus. Crantor in libro περὶ πένθους eodem argumento usus est ap. Plut. l. 1. p. 323.

Putre ipsa. Tu ipsa, quae es corpus putre, perpetuis petita morbis.

Causis. Gronov. bene e codd. restituit. Antea *casibus m.* Causa est aliqua lues, uti notum nunc est. Vid. hoc ipso cap. §. 3, *causarium* pro morbidum.

Digitized by Google

sperasti tam imbecillā materiā solida et aeterna gestasse? Decessit filius tuus, id est, decucurrit ad hunc finem ad quem, quae feliciora partu tuo putas, properant. Huc omnis ista quae in foro litigat, in theatris desidet, in templis precatur turba, dispari gradu vadit. Et quae veneraris, et quae despicis, unus exaequabit cinis. Hoc iubet illa Pythicis oraculis adscripta vox: 2 Nosce te. Quid est homo? quodlibet quassum vas, et quodlibet fragile; iactatu, non tempestate magna, ut dissiperis, est opus. Vbicunque arietaveris, solveris. Quid est homo? imbecillum corpus, et fragile, nudum, suapte natura inerme, alienae opis indigens, ad omnem fortunae contumeliam proiectum; quum bene lacertos exercuit, cuiuslibet ferae pabulum, cuiuslibet victima; ex infirmis fluidisque contextum, et lineamentis exterioribus nitidum; frigoris, aestus, laboris impatiens; ipso rursus situ et otio iturum in tabem, alimenta metuens sua, quorum modo inopia, modo copia rumpitur; anxiae sollicitaeque tutelae, precarii spiritus, et male haerentis, quem pavor repentinus adiectusve ex improviso sonus auribus gravis, excutit;

Et quae veneraris.... exaequabit cinis. Omnes una manet nox. Horat. lib. I, od. XXVIII, vs. 15. Lysias in Corinth. Epitaph.; *θάνατος κοινὸς καὶ χειρίστοις, καὶ τοῖς βελτίστοις· οὔτε γὰρ τοὺς πονηροὺς ὑπερορᾷ, οὔτε τοὺς ἀγαθοὺς θαύμαζει.*

Nosce te. Ab Apolline uni ex septem sapientibus responsum, quaerenti quid esset optimum scitu? Aristotel. Rhetoric. II, 21, 13, p. 260, Vol. IV Bip. appellat: publice probatum (*δεδημοσιευμένον*)

Quid est homo? etc. Multa hanc in rem ap. Veteres invenies, e. c. ap. Stobaeum Serm. XCVI. Plutarch. loc. laud. Plin. N. H. VII, init.

Quum bene... pabulum. Milonem Crotoniatem procul dubio cogitavit, qui athletarum omnium celeberrimus quum iam senex voluisset manu arborem in silva scindere, inter trunci fissiles partes ita captus et retentus est, ut nullo modo lacertos retrahere potuerit, et vivus a feris discerptus sit.

Quem pavor repentinus adiectusve ex improviso. Gronov. ex conj. dedit. Codd. parum iuvant. —*Quem pavor*, etc. De iis loquitur qui animo saepe deficiunt; tunc etenim cessat, aut in simillimum letho languorem (*λεθαργίαν*) cadit, non vita ipsa, sed spiritus.

Digitized by Google

3 soli semper sibi nutrimentum vitiosum et inutile. Miramur in hoc mortem unius, quā singulis opus est? Numquid enim ut concidat, res magni molimenti est? Odor illi saporque, et lassitudo, et vigilia, et humor, et cibus, et sine quibus vivere non potest, mortifera sunt. Quocunque se movet, infirmitatis suae statim conscium, non omne caelum ferens; aquarum novitatibus, statuque non familiaris aurae, et tenuissimis causis atque offensionibus morbidum, putre, causarium, fletu vitam auspicatum: quum interim quantos tumultus hoc tam contemptum animal movet! in quantas cogitationes oblitum conditionis suae venit! Immortalia, aeterna volutat animo, et in nepotes pronepotesque disponit; quum interim longa conantem eum mors opprimit, et hoc quod senectus vocatur, pauci sunt circuitus annorum.

Soli.... sibi.... inutile. Obscurus locus, quem de luxu, quo homines corpus suum perdunt, interpretor, memor loci in Consol. ad Helv. 9: vomunt ut edant, edunt ut vomant. Aliae enim animantes numquam alimentorum copia rumpuntur. Lipsius aliter: *Nam aliae animantes et nos et inter se alunt. An hoc vult hominem a se depasci paulatim et ad mortem ire?* Lagrange interpret. *qui n'est que pour ses semblables une nourriture malsaine et dangereuse.*

Miramur.... Quum tot tantaque sint, quae hominis vitam consumant, miramur, unum hominem mori, ad quam (mortem) singula quaedam valent? — Sic Rulikopf perspicue parum. *Lagrange* melius: *nous sommes surpris de la mort d'un homme, quand elle est indispensable pour tous.*

Non omne caelum f. Nostri naturae curiosi inter humanorum corporum virtutes numerant, quod omne caelum ferre valeant, experientia quotidiana approbante.

Causarium, i. morbidum, infirmum: Lipsio debetur haec lectio. Antea *casum*: ap. Erasm. *causaque*, qui in margine notaverat *casurumque.*

Fletu vitam auspicatum. Plinii rursus verba afferemus qui de homine, Hist. Nat. VII, 1: Flens *animal caeteris imperaturum, et a suppliciis vitam auspicatur.*

Longa. Elliptice et audacter, pro *quae in longinquum tempus et a praesenti die remotissimum usque extenduntur.*

Circuitus annorum. Metaphora omnibus in linguis recepta, quum non anni vere circumeant, sed terrae vel solis perennis revolutio annos statuat. Gall. *le cercle des ans*; Graece: περιπλομένων ἐνιαύτων, Homer. Odyss.

XII. Dolor tuus, o Marcia, si modo illi ulla ratio est, utrum sua spectat incommoda, an eius qui decessit? Vtrumne, amisso filio, movet, quod nullas ex illo voluptates cepisti: an quod maiores, si diutius vixisset, percipere potuisti? Si nullas te percepisse dixeris, tolerabilius efficies detrimentum tuum; minus enim homines desiderant ea, ex quibus nihil gaudii laetitiaeque perceperunt. Si confessa fueris percepisse magnas voluptates; oportet te non de eo quod detractum est queri, sed de eo gratias agere quod collegisti. Provenerunt enim satis magni fructus laborum tuorum 2
ex ipsa educatione; nisi forte hi, qui catulos avesque, et frivola animorum oblectamenta, summa diligentia nutriunt, fruuntur aliqua voluptate ex visu tactuque et blanda adulatione mutorum; liberos nutrientibus, non fructus educationis ipsa educatio est. Licet itaque tibi nihil industria eius contulerit, nihil diligentia custodierit, nihil prudentia quaesierit; ipsum

XII. Ang. Igitur gratias age de voluptatibus, quas e filii educatione etc. percepisti.

Vtrum sua spectat, etc. Idem occurrit in Consol. ad Polyb. c. 24.

Si confessa fueris percepisse. Subaud. *te*, quod in soluta oratione omitti omnino rarissimum est: neque hic forsan omissum fuisset, nisi paulo ante eadem fere verba occurrerent.

Frivola animorum oblectamenta. Quorum partem magnam enumerat Martialis, lib. VII, epig. LXXXVII, vss. 1, 3 sqq.: *Si meus aurita gaudet glaucopide Flaccus,..... Publius exiguae si flagrat amore cicadae, Si Cronius simiam cercopithecon amat, Delectat Marium si pernicious ichneumon; Pica salutatrix si tibi, Lause, placet; Si gelidum collo nectit Gallia draconem; Lusciniae tumulum si Thelesina dedit*, etc.

Mutorum, supple animalium. Ea sane innuit, quae modo Martialem exscribentes, nominavimus; nisi forte et de illis mutis et vix humanis hominibus intelligas quos *moriones* appellabant, et quos principes quidam ioci causa nutriebant.

Liberos... educatio est. Quum adeo catulorum nutritores voluptate fruantur, sequitur et parentes eadem frui: nisi illud esset, et hoc quodammodo negari posset. Cuius impeditae constructionis (*nisi... non*) exemplum insigne in Cicer. Orat. pro Milone, XXXI, occurrit: Neque *in his corporibus atque in hac imbecillitate nostra inest quiddam quod vigeat et sentiat, et non inest in hoc tanto naturae, tam praeclaro motu.*

Digitized by Google

quod habuisti, quod amasti, fructus est. « At potuit longior esse, et maior. » Melius tamen tecum actum est, quam si omnino non contigisset; quoniam, si ponatur electio, utrum satius sit, non diu felicem esse, an nunquam, melius est, discessura nobis bona, quam nulla contingere. Vtrumne malles degenerem aliquem, et numerum tantum nomenque filii expleturum habuisse, an tantae indolis, quantae tuus fuit? Iuvenis cito prudens, cito pius, cito maritus, cito pater, cito omnis officii curiosus, cito sacerdos: omnia tam propera. Nulli fere et magna bona, et diuturna contingunt; non durat, nec ad ultimum exit, nisi lenta felicitas. Filium tibi dii immortales non diu daturi, statim talem dederunt, qualis diu effici potest. Ne illud quidem dicere potes, electam te a diis, cui frui non liceret filio. Circui per omnem notorum et ignotorum frequentiam oculis: occurrent tibi passi ubique maiora. Senserunt ista magni duces, senserunt principes; ne deos quidem fabulae immunes reliquerunt, puto, ut nostrorum funerum levamentum esset, etiam divina concidere. Circumspice, inquam, omnes: nullam tam miseram nominabis domum, quae non inveniat in miseriore solatium. Non, mehercule, tam

Si ponatur electio. h. e., *si cui eligendum proponatur.*

Omnis officii curiosus. I. e. cuiusque officii rationes cognitas habens: is, qui quid deceat, cum cura observat, et quae recta putat, diligenter praestat. Cf. Burmann. ad Petron. c. 46. Bene igitur Gronov. tuitus est hanc lectionem contra Lipsium, qui interpolationem suspicans emendat *curio*, Elect. I, 10. Probat hanc lectionem I. M. Heusinger Emendatt. p. 242.

Nisi lenta felicitas. Quae tarde creverit, ut lenta spes sp. Liv. VI, 8, al.

Senserunt principes. Vid. Consol. ad Polyb. cap. XXXIII et sqq.; quorum exemplorum quaedam hic rursus excitat.

Ne deos quidem..... concidere. E Stoicorum disciplina haec esse petita, quivis intelliget: quippe qui omnes fabulas (μύθους) allegorice interpretati sunt, Platonem secuti. Alias tamen noster tantum abfuit, ut superstitionem illam palparetur, ut singulari adeo libello, nunc deperdito, eius insaniam demonstraret. Cf. Tiedemann. II, p. 561 sq. Ceterum et

Digitized by Google

male de moribus tuis sentio, ut putem posse te levius pati casum tuum, si tibi ingentem numerum lugentium produxero; malivoli solatii genus est, turba miserorum. Quosdam tamen referam, non ut scias, hoc solere hominibus accidere (ridiculum est enim, mortalitatis exempla colligere); sed ut scias fuisse multos, qui lenierunt aspera ferendo placide. A felicissimo incipiam. L. Sylla filium amisit, nec ea res aut militiam 6
eius, et acerrimam virtutem in hostes civesque contudit, aut effecit, ut cognomen illud usurpasse salvo videretur, quod amisso filio assumpsit: nec odia hominum veritus, quorum malis illius nimis secundae res constabant; nec invidiam deorum, quorum illud crimen erat, Sylla tam felix. Sed istud inter res non-

deos malis calamitatibusque non caruisse, tota mythologia docet; inspicias modo Apollodorum.

L. Sylla. Felicem (εὐτυχῆ, ἀπαφρόδιτον) appellari se iussit a. V. C. 673, quum Dictator creatus esset et de Mithridate triumphasset. Plutarch. Syll. 34 ib. Intpp. qui tamen nostrum locum neglexere, unicum hac in re. Nam de amisso filio neque Plin. VII, 44 Bip., neque Plutarchus, neque Appian. Bell. Civ. p. 684, Vell. Paterc. II, 27, quidquam tradiderunt. Aurel. Victor adeo addit (de Viris Illustribus, c. 75 fin.): Mario Praeneste interfecto Felicem se edicto appellavit. Et quidem hac sua felicitate tam pueriliter exultavit, ut filiae nomen imponi vellet et Faustam. Et Metellam uxorem quam valde diligebat, quum morbo in vitae discrimen adducta esset, iusserit e domo sua statim efferri, et repudiaverit. Syllam deinde imperatores imitati sunt dum *per principis fortunam* iurari vellent. Accurate de hac re egit Ez. Spanhem. de usu et praestant. Num. Vol. II, Diss. X) p. 72 sqq.; *Bayle* Dictionn. T. IV, p. 371 372, ed. 1740. Ceterum hoc miratione nem facere potest, Senecae tempore, plus C annis post Syllam praeterlapsis, necdum inter viros doctos convenisse de eius ingenio, moribus et consiliis. Spectare autem hoc videtur et ad firmitatem, quin crudelitatem, ac mollitiem ingenii, et ad abdicationem dictaturae, unde diversitas iudiciorum orta sit. Notum enim Iulii Caesaris iudicium est de Syllae abdicatione dictaturae: Sullam nescisse litteras, qui Dictaturam deposuerit (Sueton. c. 77). Huius dicti immemor fuit noster h. l.

Cognomen... assumpsit. Nam Felix non dictus est ante Dictaturae initium, quo tempore filium iam mors absumpserat.

Crimen. Non est scelus, sed materia accusandi et criminandi. Felicissime huic voci consona Claudianus canit, lib. I, in Rufin. Vid. ad de Provid. I, 2.

dum iudicatas habeatur, qualis Sylla fuerit: etiam inimici fatebuntur, bene illum arma sumsisse, bene posuisse; hoc, de quo agitur, constabit, non esse maximum malum, quod etiam ad felicissimos pervenit.

XIII. Ne nimis admiretur Graecia illum patrem, qui in ipso sacrificio nuntiata filii morte, tibicinem tantum tacere iussit, et coronam capiti detraxit, caetera rite perfecit. Palvillus effecit pontifex, cui postem tenenti, et Capitolium dedicanti, mors filii nuntiata est: quam ille exaudisse dissimulans, et solemnia pontificalis carminis verba concepit, gemitu non interrumpente precationem, et ad filii sui nomen, Iove propitiato. Putasses eius luctus aliquem finem esse debere, cuius primus dies, primus impetus ab altaribus publicis, et fausta nuncupatione non abduxit
2 patrem. Dignus mehercule fuit memorabili dedicatione, dignus amplissimo sacerdotio, qui colere deos ne iratos quidem destitit. Idem tamen, ut rediit domum, et implevit oculos, et aliquas voces flebiles misit; et peractis, quae mos erat praestare defunctis, ad Capitolinum illum rediit vultum. Paulus, circa illos

XIII. Anc. Memorantur exempla alia fortitudinis in magnis et improvisis doloribus, Xenophontis nempe, Horatii Pulvilli et Pauli Aemilii.

Ne nimis... perfecit. Xenophontem dicit (Consolat. ad Polyb. XXX, 1.) Filius eius, Gryllus, occisus est in pugna ad Mantineam. Tibicines sacrificantibus ex ritu coronatis adstitisse et cecinisse, res notissima.

Pulvillus: M. Horatius *Pulvillus*: e Livio II, 8 (ad ann. 245, post exactos reges... primo anno) petita sunt, ubi tamen non pontifex, sed Consul appellatur, cui sorte evenit, ut ex more in Capitolio Iovis templum dedicaret. Recedit et in hoc perperam Noster a Livio, quod hic incertum esse dicit: *non crediderit* (*Pulvillus*) *mortem filii, an tantum animo roboris fuerit.*

Pontif. carm. I. e. formulae precationis Deûm, ut ap. Liv. XXXIX, 15, init. solemne carmen precationis. Ernesti Clav. Cic. i. q. mox *nuncupatio.*

Idem tamen. Ornatum ab historia alienum hic facile agnoscas.

Capitolinum. Iureto debetur, Lipsio bene probante. Antea enim: *Capitolium*, nullo sensu. Mox *inclyti regis nomen* Lipsius e codd. firmat: est et ap. Erasm. Lipsius mavult:

Digitized by Google

nobilissimi triumphi dies, quo vinctum ante currum egit Persen, inclyti regis nomen, duos filios in adoptionem dedit: quos sibi servaverat, extulit. Quales retentos putas, quum inter commodatos Scipio fuisset? Non sine motu vacuum Pauli currum populus Roma- 3
nus adspexit; concionatus est tamen, et egit diis gratias, quod compos voti factus esset. Precatum enim se, ut si quid ob ingentem victoriam invidiae dandum esset, id suo potius, quam publico damno solveretur. Vides quam magno animo tulerit? orbitati suae gratulatus est. Ecquem magis poterat movere tanta mutatio? solatia simul atque auxilia perdidit; non contigit tamen tristem Paulum Persi videre.

XIV. Quid nunc te per innumerabilia magnorum virorum exempla ducam, et quaeram miseros? quasi

inclytum. Sed non opus est. — *Capitolinum vultum*. Vultum nempe qui decebat triumphantem, quum curru veheretur magnifico in Capitolium; aut sacra facientem in Capitolio; vultum hilarem alacremque.

Paulus. Celeber ille L. Aemilius Paulus Macedonicus, Africani minoris pater, quem et natu maximum filium adoptandos dedit, illum Scipioni Africani maioris filio, hunc Fabii Maximi filio: susceperat ex Papiria: qua dimissa, in matrimonium duxit alteram, ex qua duos filios genuit retentos, qui tamen mortui sunt, alter diebus quinque ante triumphum patris de rege Macedoniae, Perseo; alter triduo post triumphum. Liv. XLV, 40 fin. a quo dissentit in ordine morientium Plutarch. Aemil. Paul. cap. 5 (p. 248 sq.), et cap. 35 (p. 314 ed. Reisk. Vol. II).

Non sine motu, etc. E Livio l. l. Maiores filii quique in ordinibus suis stipendia iam merentes equis patrem triumphantem comitati sunt, ideoque currum vacuus, altero minorum filiorum iam mortuo, altero aegro.

Invidiae. Sortis nimirum; nam veteres credidere invidam fortunam nimium prosperis rebus semper irasci, ne superbirent elati tot bonis homines, neu se fato maiores arbitrarentur. Hoc praesertim Tragici Graeci iterant, inprimis Aeschyl. in Agamem.

Concionatus..... solveretur. Locus Livii, e quo haec expressa sunt, praeclarus exstat, XLV, 41. Paucis autem diebus post triumphum concionatus est.

Non contigit.... videre. H. e., neque hoc quidem adversarum rerum solatium Perses habuit, ut etc. namque minus acriter rex victus doluisset, si victorem adspexisset ipsa in victoria dolere.

XIV. Arg. Pergit in exemplis afferendis.

Digitized by Google

non difficilius sit, invenire felices? Quota quaeque domus usque ad exitum omnibus partibus suis constitit, in qua non aliquid turbatum sit? Vnum quem-
2 libet annum occupa, et ex eo magistratus cita. Marcum, si vis, Bibulum, et C. Caesarem: videbis inter collegas inimicissimos concordem fortunam. M. Bibuli, melioris quam fortioris viri, duo simul filii interfecti sunt; Aegyptio quidem militi ludibrio habiti; ut non minus ipsa orbitate, auctor eius, digna res lacrimis esset. Bibulus tamen, qui, toto honoris sui anno, ob invidiam collegae domi latuerat, postero die quam geminum funus renuntiatum est, processit ad solita et
3 publica officia. Quid minus poterat, quam unum diem

Magistratus. Consules nempe qui principem locum sortiti, in civitate nomen suum anno imponebant, et in publicos fastus referebantur; quod nec praetoribus, nec tribunis, aliisve qui amplissima munia in republica obibant, concessum.

Marcum. Sic omnes Bibulum nominant, Iul. Caesar, Sueton., aliique; seriores: *L.* Antea: *L.*

Mare.... Bib... Caesarem. Qui Consules fuere anno V. C. 695, ante Ch. N. 59.

Collegas inimicissimos. Nam a Pompeii et optimatum partibus stabat Bibulus; plebi se Caesar addixerat, Marii futurus haeres. Et quum agrariam legem proponenti obstitisset Bibulus, hunc iussit e foro Caesar protrudi, ita ut se domum pulsus ille receperit, neque inde per totum consulatum exierit, imperante Caesare, arbitrioque suo leges faciente et mutante; unde quidam ad illum annum designandum facete dicerent, non *Bibulo, Caesare Coss.*, sed *Iulio, Caesare Coss.*

Duo simul.... habiti. Refert Iul. Caesar, de Bello Civ. III, 110 fin. interfectos esse ab equitibus, qui Ptolemaeum patrem in regnum reduxerant, ideoque dicuntur *Aegyptii milites*, quos Val. Max. IV, 15, Gabinianos appellat, a priore duce Gabinio. Tunc iis praecrat L. Septimius, Dio XLII, 3. Caedes facta est ante civile Pompeianum bellum.

Auctor eius (orbitatis). Int. aegyptium militem. I. est: dignum erat lacrimis, eos Bibulo esse orbitatis auctores, qui magnam partem erant capitis damnati, fugitivi, exsules, praedones, latrones, a quibus indignissime erant interfecti Bibuli filii. Proinde non opus est Lipsiana emend. *auctores.* Sequor hoc iudicium I. M. Heusing. Emendd. p. 242.

Honoris. I. e. consulatus: collega eius erat Iul. Caesar, cui adversabatur. Sueton. Iul. 20. Dio Cass. XXXVIII, 6. Si nostrum audias, ipso hoc consulatus anno hanc caedem factam esse credamus, i. e. a. V. C. 695; sed Val. Max. sequentes,

duobus filiis dare? tam cito liberorum luctum finivit, qui consulatum anno luxerat. C. Caesar, quum Britanniam peragraret, nec Oceano felicitatem suam continere posset, audivit decessisse filiam, publica secum fata ducentem. In oculis erat iam Cn. Pompeius, non aequo laturus animo quemquam alium esse in republica magnum, et modum impositurus incrementis, quae gravia illi videbantur, etiam quum in commune crescerent; tamen intra tertium diem imperatoria obiit munia, et tam cito dolorem vicit, quam omnia solebat.

XV. Quid aliorum tibi funera Caesarum referam? quos in hoc mihi interim videtur violare fortuna, ut sic quoque generi humano prosint, ostendentes, ne eos quidem, qui diis geniti deosque genituri dicantur, sic suam fortunam in potestate habere, quemadmodum

colligamus necesse est factam a. V. C. 703, quum M. Calp. Bibulus Syriae praeesset.

C. Caesar. C. Iulius Caesar: dictator, qui primus Romanorum Britanniam intravit.

Nec Oceano.... continere posset. Namque ultra Oceanum antea ignotam insulam petebat.

Filiam. Iuliam quae Cn. Pompeio nupta erat. Dio Cass. XXXIX, 64. Obiit V. C. 700.

Publica....ducentem. Quippe cuius morte concordia sublata, socer C. Iul. Caesar, et gener Cn. Pompeius divulsi sunt. De qua Lucanus sic, Pharsal. lib. I, vs. in sqq.: *pignora tuncti sanguinis et diro ferales omine taedas Abstulit ad Manes Parcarum Iulia saeva Intercepta manu. Quod si tibi fata dedissent Maiores in luce moras, tu sola furentem Inde virum poteras atque hinc retinere parantem; Armatasque manus excusso iungere ferro, Vt generos soceris mediae iunxere Sabinae*. Traiectus in Britanniam factus est an. V. C. 699. Dio Cass. XXXIX, 50. Britannia itaque iam relicta filiae mortem audivit, quippe quae, ut supra diximus, an. V. C. 700 obiit.

In oculis erat iam Cn. P. Observabat eum.

Non aequo..... magnum. Lucan. Pharsal lib. I, vs. 125: *Nec quemquam iam ferre potest Caesarve priorem Pompeiusve parem*. Ceterum tò *magnum* forsan alludit ad Pompeii celeberrimum cognomen, qui revera ut potentia et felicitate, ita ingenio et victoriis Magnus fuit.

XV. Arg. Exempla Caesarum.

In hoc. Hoc consilio, propterea, ut.

Qui diis... dicantur. E Virgil. Aen. IX, 642, ubi: *Dis genite et genitore Deos*. Genus Caesarum a Diis deductum fuisse, ipsos in Deos relatos

2 alienam. Divus Augustus amissis liberis, nepotibus, exhausta Caesarum turba, adoptione desertam domum fulsit. Tulit tamen fortiter, tanquam eius iam res ageretur, cuius quum maxime intererat, de diis neminem queri. Tib. Caesar et quem genuerat, et quem adoptaverat, amisit: ipse tamen pro rostris laudavit filium, stetitque in conspectu posito corpore, interiecto tantummodo velamento, quod pontificis oculos a funere arceret, et flente populo Romano non flexit vultum: experiendum se dedit Seiano ad latus stanti,
3 quam patienter posset suos perdere. Videsne quanta

esse post mortem, erat usus et opinio vulgaris. Inde apotheoses Caesarum. Herodian. IV, 1.

Divus Augustus.... fulsit. Quum filia Iulia (*liberis*) et *nepotes* C. et L. Caesar, filii M. Agrippae et Iuliae (a. V. C. 755. Dio Cass. LV, 11, 12; Sueton. Octav. 65) mortui essent, Tiberium adoptavit et Drusum.

De diis.. queri, quatenus ipse futurus esset inter Deos.

Tib. Caesar Tiberii Neronis et Liviae filius, etc. qui ab Augusto adoptatus et Iuliae matrimonio in spem summam sublatus, tandem post patrem mortuum, ann. V. C. 767, post Ch. N. 14, imperio potitus est.

Quem genuerat. Tiberius amisit *filium* Drusum e Vipsania Agrippina a. V. C. 775. Tacit. Ann. IV, 8. Dio Cass. LVII, 22.

Quem adoptaverat. Germanicum nempe (hunc amisit a. V. C. 772. Dio Cass. LVII, 18. Tacit. Ann. II, 69 sq.); hunc adoptaverat, sed iubente Augusto; namque eum et Augusto et Romanis valde amatum, et militia clarum pertimescebat, et suspicabatur imperium ei ab avo delatum fore; et omnes annalium veterum scriptores in hoc consentiunt. Quocirca neque difficile filii mortem ferre debuit malus imperator, et mirum a Seneca haec tam tristia exempla et ad allevandos dolores nihil facientia excitari.

Velamento etc. Erat enim sacer, ideoque eum arceri voluerunt aspectu funesto. Recte sic explicat Lipsius ad h. l. et ad Tacit. Annal. IV, 12 init. Intpp. ad Dion. Cass. LIV, 28, qui causam velamenti interiecti ignorare se confitetur. In omni autem antiquitate hic mos obtinuit, ut sacra cum laetitia et castu atque puritate facieudo, omnia excluderent quae vel deos abalienare, aversos reddere, vel laetitiam illam minuere possent. Inde illud: favete linguis (Horat. Od. III, 1 init.), εὐφημεῖτε. verbis male ominatis abstinete.

Suos perdere, ideoque et Seianum. Astutia mira in viro erat, qua duplex finis simul attingebatur: namque et populo magnanimum se et sui perpetuum compotem iactitabat; et Seianum commonebat nullum sibi dolorem fore, si amicum perderet, proinde ne unquam res novas moli-

copia virorum maximorum sit, quos non excepit hic omnia prosternens casus, in quos tot animi bona, tot ornamenta publice privatimque congesta erant? Sed videlicet it in orbem ista tempestas, et sine dilectu vastat omnia, agitque ut sua. Iube singulos conferre rationem: nulli contigit impune nasci.

XVI. Scio quid dicas: « Oblitus es feminam te con- » solari; virorum refers exempla. » Quis autem dixerit naturam maligne cum muliebribus ingeniis egisse, et virtutes illarum in arctum retraxisse? Par illis, mihi crede, vigor, par ad honesta (libeat!) facultas est; laborem doloremque ex aequo, si consuevere, patiuntur. In qua istud urbe, dii boni, loquimur? In qua regem Romanis capitibus Lucretia et Brutus deiecerunt: Bruto libertatem debemus, Lucretiae Brutum; in qua Cloeliam, contempto hoste et flumine, ob insignem audaciam tantum non in viros transcripsimus: equestri insidens statuae, in sacra via, celeberrimo loco, Cloelia exprobrat iuvenibus nostris

retur contra principem cui nulla vita aliorum in pretio erat.

Excepit. Non praeterivit.

Et sine dilectu vastat.... sua. Metaphora a torrente ducta; cui similis comparatio haec ex Horatio, lib. III, XXIX, II, 33 sqq.: ...*caetera fluminis Ritu feruntur, nunc medio alveo Cum pace delabentis Etruscum In mare, nunc lapides adesos Stirpesque raptas et pecus et domos Volventis una.*

XVI. Ars. Exempla mulierum mala sua constanter passarum.

Libeat! Modo ipsis libeat honesta exsequi.

Par illis.... patiuntur. De his cf. poeta recens, *Legouvé*, in eximio opusculo: *le Mérite des Femmes.*

Istud. Sc., naturam maligne cum muliebribus ingeniis egisse. Erat autem haec communior fere antiquitatis opinio; quum enim mulieres inde a primis aevi annis in arctum coactae, et consuetudine a viris plerumque separatae et ideo ancillarum nutricumque suarum commercio traditae ideoque male doctae ac corruptae in gynaeceis viverent; praesertim apud Graecos (Romanae enim liberaliore vivendi genere usae sunt); fieri aliter vix poterat, quam ut ille contemptus increbresceret.

Romanis capitibus. Quasi imminentem: scil. Tarquinium Superbum.

Lucretia. Res notae e Livio I, 58 sqq. II, 13, ubi et statuam equestrem in Cloeliae honorem positam in summa sacra via memorat. Plin. N. H. XXXIV, 13 Bip.

pulvinum ascendentibus, in ea illos urbe sic ingredi,
2 in qua etiam feminas equo donavimus. Quod tibi si vis exempla referri feminarum, quae suos fortiter desideraverunt, non ostiatim quaeram: ex una tibi familia duas Cornelias dabo, primam Scipionis filiam, Gracchorum matrem. Duodecim illa partus, totidem funeribus recognovit; et de ceteris facile est, quos nec editos, nec amissos civitas sensit; Ti. Gracchum, et Caium, quos etiam qui bonos viros negaverit, magnos fatebitur, et occisos vidit et insepultos; consolantibus tamen miseramque dicentibus: Nunquam, inquit, non felicem me dicam, quae Gracchos peperi.
3 Cornelia Livii Drusi, clarissimum iuvenem, illustris

Pulvinum. In lectica: mollitiem taxat.

Primam Scipionis.... matrem. Cf. ad Consolationem ad Helviam, XVI, 4.

Tib. Gracchum..... insepultos. Quorum prior a Patribus interfectus et in Tiberim proiectus fuit; posterior, quum seditione exorta in foro, eum Opimii consulis mercenarii milites persequerentur, a servo quodam interfectus est, qui postea ipse sibi manus conscivit; caput rescissum a militibus fuit, et ad consules reportatum qui auri pondus magnum ei promiserant qui reportaret; cadaver in Tiberim proiectum est.

Cornelia Livii Drusi. Scilicet C. Liv. Drusi uxor, Marci autem mater bene e codd. omnibus restituit Lipsius. Fuit hic C. Livius Drusus Marci pater, tribuni pl., de quo sermo est. Cf. Index hist. Ernesti ad Ciceron. — *Cornelia*. E Livio (libr. LXXI, nunc deperdito; vid. Epit. et Freinshem. supplem.) haec desumta videntur. M. Livius Drusus, tribun. pl. a. V. C 662, ut Senatui potestatem a C. Graccho ereptam restitueret, plebem sibi conciliaturus leges tulit et de frumento plebi dando, et, Gracchos sequens, de agris dividendis Italicis Siculisque, denique de iure civitatis cum sociis italicis communicando: at in iis ipsis, ait Vellei. Paterc. II, 13, 2, quae pro Senatu moliebatur, Senatum habuit adversarium: quippe qui tum easdem ob causas ei restitit, ob quas Gracchos represserat, tum auctoritati suae et securitati metuit. Proinde diversa eum factio per fraudem interemit, incertum a quo; Livio l. l. Nostro, Sueton. (Tiber. 3) testibus. Cicero tamen Nat. Deor. III, 33, Q. Varium eius percussorem appellat (Ernesti Ind. Hist.) Ex his, quae commemoravi, et ex Plin. N. H. XXVIII, 41, et Aur. Vict. de illustr. vir. 66, diversos de eius morte rumores fuisse patet. Cicero eum saepe laudat et Senecae iudicium de Druso confirmat: e. c. de Offic. I, 30, 9. (cf. Wezel. Exc. 8, ad Cicer. Brut. 298 sq.) Frater eius C. Drusus, cuius filius ille Drusus erat, qui post

Digitized by Google

ingenii, vadentem per Gracchana vestigia, imperfectis tot rogationibus, intra penates interemptum, suos amiserat, incerto caedis auctore: tamen et acerbam mortem filii, et inultam, tam magno animo tulit, quam ipse leges tulerat. Iam cum fortuna in gratiam, Marcia, reverteris, si tela, quae in Scipiones, Scipionumque matres ac filios exegit, quibus Caesares petiit, ne a te quidem continuit. Plena et infesta va- 4
riis casibus vita est, a quibus nulli longa pax, vix induciae sunt. Quatuor liberos sustuleras, Marcia: nullum aiunt frustra cadere telum, quod in confertum agmen immissum est. Mirum est, tantam turbam non potuisse sine invidia damnove praetervehi? At hoc iniquior fortuna fuit, quod non tantum filios eripuit, sed elegit. Nunquam tamen iniuriam dixeris, ex aequo cum potentiore dividere: duas tibi reliquit filias, et harum nepotes: et ipsum quem maxime luges, prioris oblita, non ex toto abstulit. Habes ex illo duas filias; si male fers, magna onera; si bene, magna solatia. In hoc te perduxit, ut illas quum videris,

praelium Philippense se interfecerat, Vellei. II, 71, 3, pater Liviae uxoris Augusti.

Tulit..... tulerat. In duplici huius vocis sensu parum digne cavillari videtur Noster.

Scipiones. Spectat haud dubie ad P. Corn. et eius fratrem Cn. Scipiones in Hispania praeliantes interemtos. Liv. XXV, 34, 36. Lipsius cogitavit de Scipione Africano maiore, qui Linterni obiit, et contulit Consol. ad Polyb. cap. XXXIII, 3.

Exegit. e codd. recepit Gronov. Antea *egit*.

Sustuleras. De feminis hoc dicitur, quamvis non satis proprie; nam pater solus, posito humi infante, eum tollebat, si educare eum et enutrire vellet.

Aiunt. Nonnulli MSS. ap. Pincian. et Schottum (Obss. III, 40, p. 180) habent *amat*, i. e. solet. Parum refert, utrum praeferas; prius est: proverbio dicitur.

Elegit. Indole et ingenio praestantissimum, et qui propinquorum decus maximum et auxilium erat.

Ex aequo cum potentiore dividere. Etenim ex quatuor liberis, duos tantum fortuna, quae, utpote potentior, omnes eripere valeret, abstulit, duas autem filias reliquit, ex aequo dividens.

Digitized by Google

admonearis filii, non doloris. Agricola, eversis arboribus, quas aut ventus radicitus evulsit, aut contortus repentino impetu turbo perfregit, sobolem ex illis residuam fovet, et amissarum semina statim plantasque disponit; et momento (nam ut in damna, ita ad incrementa rapidum veloxque tempus est) adolescunt amissis laetiora. Has nunc Metilii tui filias in eius vicem substitue, et vacantem locum exple. Vnum dolorem geminato solatio leva. Haec quidem natura mortalium est, ut nihil magis placeat, quam quod amissum est; iniquiores sumus adversus relicta, ereptorum desiderio: sed si aestimare volueris, quam tibi valde fortuna, etiam quum saevierit, pepercerit, scies te habere plus quam solatia. Respice tot nepotes, duas filias.

XVII. Dic illud quoque, Marcia: « Moveret me, si » esset cuique pro moribus fortuna; nunquam mala » bonos sequerentur: nunc video, exempto discri» mine, et eodem modo malos bonosque iactari. Grave » est tamen, quem educaveris iuvenem, iam matri, » iam patri praesidium ac decus, amittere. » Quis

Agricola. Lipsius bene comparat Teletem (ap. Stobaeum Serm. CVI, p. 495 Gesn.). Οὐ γὰρ ὀρθῶς φησὶ βουλευομένους ὁ Στίλπων· τὸ, διὰ τοὺς ἀπογενομένους τῶν ζώντων ὀλιγωρεῖν· γεωργὸς οὐ ποιεῖ τοῦτο. οὐδὲ ἂν τῶν δένδρων ξηρόν τι γένηται, καὶ τὰ ἄλλα προσεκκόπτει· ἀλλὰ τῶν λοιπῶν ἐπιμελόμενος πειρᾶται τὴν τοῦ ἐκλελοιπότος χρείαν ἀναπληροῦν. Esse autem potuit ut librum Telelis pythagorei περὶ περιστάσιων remiuisceretur noster. Teles vixit circa tempora Stilponis, quem *nuper* (πρώην) quaedam dixisse ille affert. Stilpo floruit circ. Ol. 116, Demetrio Poliorcete et Ptolemaeo Sotere regibus. Obiter haec moneo, quum ap. Fabr. Bibl. Graec. Vol. I, p. 876 Harles. neglecta video.

Nepotes. Ex filiabus: quod iam dixit antea, cap. sup. §. 4.

XVII. Arg. Grave quidem est, liberos suos amittere, sed humana scis sorte coniunctum.

Si esset... pro moribus fortuna. Si qui hominis mores, ea fortuna esset, si mores bonos bona fortuna sequeretur, mala malos.

Praesidium ac decus. Quae tutamini et ornamento sunt, saepe iuncta invenias. Horat. lib. I, Od. 1, vs.

Digitized by Google

negat grave esse? sed humanum est. Ad hoc genita es ut perderes, ut perires, ut sperares, metueres, alios teque inquietares, mortem et timeres et optares, et quod est pessimum, nunquam scires cuius esses status. Si quis Syracusas petenti diceret: Omnia incommoda, omnes voluptates futurae peregrinationis tuae ante cognosce, deinde ita naviga. Haec sunt quae mirari possis; videbis primum ipsam insulam ab Italia angusto intercisam freto, quam continenti quondam cohaesisse constat: subitum illo mare irrupit, et 2

Hesperium Siculo latus abscidit;

deinde videbis (licet enim tibi avidissimum maris verticem stringere) stratam illam fabulosam Charybdim, quamdiu ab austro vacat; at si quid inde vehementius spiravit, magno hiatu profundoque navigia sorbentem. Videbis celebratissimum carminibus fon- 3

2: *O et praesidium et dulce decus meum.* Item lib. II, Od. XVII, vss. 3 et 4: *Maecenas mearum Grande decus columenque rerum.*

Humanum. Quod humanae naturae est, quod homini nulla non hora imminet. Similiter Tullius: *Si quid humanitus acciderit.*

Status. I. in qua conditione, fortuna esses, quum omnes res nostrae variae sunt et vacillant. *Stares*, quae lect. ap. Lipsium occurrit, nihili est, bene docente Gronovio.

Hesperium Siculo latus abscidit. Versus exstant ap. Virgil. Aen. III, 418: pontus — Hesperium etc. Italiam ac Siciliam motu terrae diremtas dicit poëta ex opinione antiquitatis vulgari, quam abbotem Fortis, hominem italum, naturae diligentem exploratorem, perperam explosisse miror.

Stringere stratam illam fabulosam Charybdim. q. ab a. v.; at... Lipsius e codd. dedit. Antea *stringere illam*; al. ut Erasm.: *restringere fretum illam*.... Lipsio adsentior. Pro: *at* legere mavult e suo cod. *verum*. — *Stratam* i. e. quietam, quod et ipsum in Erasmi editione est.

Charybdim..... vacat. Vides hoc ipsum ap. Virg. III, 684 sq. Rupem esse Charybdim apud Promontorium Pelorum navigantibus austro vel noto versus eam abreptis periculosam constat. E regione in littore Italiae est Scylla.

Sorbentem. Iam Homerus Odyss. μ, 426, memoravit.

Videbis..... Arethusam. Vt finxerunt Pindar. Nem. I, 1; Virg. Eclog. X, 1 et 4 (ubi vid. Heyn.), nostratem Voltaire, Henriad. IX fin. Fabulam de congressu Alphei et Arethusae narrat Paus. V, 7, p. 26 sq. T. II Facii. Alphei amorem fugiens

tem Arethusam, nitidissimi ac perlucidi ad imum stagni, gelidissimas aquas profundentem: sive illas ibi primum nascentes invenit, sive immersum terris flumen integrum subter tot maria, et a confusione peioris undae servatum, reddidit. Videbis portum quietissimum omnium, quos aut natura posuit in tutelam classium, aut adiuvit manus, sic tutum, ut ne ma-
4 ximarum quidem tempestatum furori locus sit. Videbis ubi Athenarum potentia fracta; ubi tot millia captivorum, ille, excisis in infinitam altitudinem saxis, lautumius carcer incluserat; ipsam ingentem civitatem, et laxius turritam quam multarum urbium

Arethusa in Siciliam abiit, ubi in Syracusarum parte, Insula dicta, in fontem mutata esse narratur. Cf. Nostri Nat. Qu. III, 26; VI, 8.

Portum. Maiorem dictum, et Ciceroni et aliis celebratum, ad 80 stadia patentem atque etiamnunc bonum. Minor portus Laccius dicebatur. Dorvill. ad Chariton. p. 282.

Videbis..... incluserat. Sermo est de expeditione infausta Atheniensium ducibus Alcibiade, Nicia, Demosthene, etc. in Siciliam facta, Ol. XCI, 1. Vltima in pugna Syracusanis et Lacedaemoniis coniunctis (namque victi iterum atque iterum Siculi auxilium a Lacedaemoniis petiverant, qui eis subinde quatuor millia hominum et optimum ducem Gylippum miserant), capti sunt non pauciores septem millibus Graecis; quae clades eum in modum Athenarum opes et potentiam afflixit et infregit, ut et huic Peloponesiaci belli tristis eventus recte tribuatur, neque immensum damnum ullo modo posthac Athenienses reparaverint.

Lautumius c. A Pinciano est: recte. Sic enim carcer ille appellatur. *Naulius* vulgati habebant, unde Muretus fecit *nobilis.* Scripti: *naulius naulinus:* unde Lipsius fecit *nativus* i. a natura factus.

Ille excisis..... incluserat. Qui in pugna navali ad Syracusas capti erant, eorum magna pars in lapidicinis Syracusarum, quibus nomen erat Latomiis s. Lautumiis (λιθοτομίαις) per septuaginta dies stipata vixit, post divendita. Thucyd. VI, 1 sq. VII, 87, de latomiis, de quibus et Cicero egit in Verr. I, 5, V, 27. Dionysius hunc locum profundum et amplum, hodieque exstantem, ad ordinarium carceris usum accommodari iussit. Cf. Perizon. ad Aelian. V. H. XII, 44. Suspicatur *Lagrange* de miro hoc carcere agi qui *Dionysii auris* propterea nuncupabatur quod in coni formam ita aedificatus erat, ut quidquid hic captivi loquerentur, sive tyrannidem exsecrati, sive fugam machinantes, distinctissime audiret. Perperam, nostro arbitrio.

Ingentem civitatem. Cic. in Verrem, de signis, cap. 52: *Ea tanta est urbs ut ex quatuor urbibus maximis constare dicatur.*

Laxius turritam. (I. moenibus, in quibus turres olim crebrae erant,

fines sint; tepidissima hiberna, et nullum diem sine interventu solis. Sed quum omnia ista cognoveris, gravis et insalubris aestas hiberni caeli beneficia corrumpet. Erit Dionysius illic tyrannus, libertatis, iustitiae, legum exitium, dominationis cupidus etiam post Platonem, vitae etiam post exsilium; alios uret, alios verberabit, alios ob levem offensam iubebit detruncari; arcesset ad libidinem mares feminasque, et inter foedos regiae intemperantiae greges parum erit, simul binis coire. Audisti quid te invitare possit, quid absterrere: proinde aut naviga, aut resiste. Post hanc denuntiationem, si quis dixisset intrare se Syracusas velle, satisne iustam querelam de ullo, nisi

cincta laxius quam.....) e scriptis recte recepit Lipsius: qui et proponit *laxius terminatam*. Praefero codd. lectionem. Antea *laxius territorium*.

Nullum diem sine interventu solis. Idem Plinius de insula et urbe Rhodo quam ob hoc Syracusis iungit, Hist. natur. lib. II, cap. 62: Rhodi et Syracusis nunquam tanta nubila obduci, ut non aliqua hora sol cernatur. Caeterum de Syracusis multus est Cic. in Verrem: plura vero petentes adeant Cluveri Sicil. antiq.; Dorvillii Sicula etc.

Dionysius. Minorem dicit, tyrannum Syracusarum ab Ol. CIII, 1 ad CIX, 2. Quae noster hic breviter perstrinxit, fusius tractata sunt a Diod. Sic. XV, 74. Plutarch. Dionis (T. V ed. Reisk.) et Timoleontis (T. II Reisk.) Vitt.

Dominationis cupidus etiam post Platonem. Subaud. *visum* aut *auditum*. Nam scientiae et philosophiae inanis affectator, Platonem e Graecia bis arcessivit et benigne excepit; sed neque ipsius monitis ullo modo obsecutus est, et eum publice postea vendidit. Senec. Ep. 47. Menag. ad Diog. Laërt. III, 19, pag. 146.

Vitae post exsilium. Timoleon Corinthius tyrannum Corinthum misit, ubi ludum litterarium aperuisse narratur. Wessel. ad Diod. XVI, 70.

Parum erit simul bonis coire. Nefandi concubitus genus quod excogitavere voluptatibus omnibus fessi homines, pudet explicare. Martialem tantum ad haec exscribemus qui lib. XII, epigr. XLIII, vss. 5, 8, 9: *Sunt illic Veneris novae figurae Quo symplegmate quinque copulentur; Qua plures teneantur a catena*; et Suetonium, Tiber. cap. 43: *Secessu vero Capreensi, etiam sellarium excogitavit, sedem arcanarum libidinum: in quam undique conquisiti puellarum et exoletorum greges, monstrosique concubitus repertores, quos spintrias appellabat, triplici serie connexi, invicem incestarent se coram ipso, ut aspectu deficientes libidines excitaret.*

Resiste. Hic idem ac mane, siste.

de se, habere posset, qui non incidisset in illa, sed prudens sciensque venisset? Dicit omnibus nobis natura: Neminem decipio; tu si filios sustuleris, poteris habere formosos, poteris et deformes; et si fortasse tibi multi nascentur, esse ex illis aliquis tam servator patriae, quam proditor poterit. Non est quod desperes tantae dignationis futuros, ut nemo tibi propter illos maledicere audeat; propone tamen et tantae futuros turpitudinis, ut ipsi maledictum sint. Nihil vetat illos tibi suprema praestare, et laudari te a liberis tuis: sed sic te para, tanquam in ignem positura, vel puerum, vel iuvenem, vel senem. Nil enim ad rem pertinent anni: quoniam nullum non acerbum funus est, quod parens sequitur. Post has leges propositas, si liberos tollis, omni deos invidia liberas, qui tibi nihil spoponderunt.

XVIII. Ad hanc imaginem agedum totius vitae introitum referamus. Syracusas visere deliberanti tibi, quidquid delectare poterat, quidquid offendere, exposui; puta nascenti me tibi venire in consilium: intratura es urbem diis hominibusque communem, omnia complexam, certis legibus aeternisque devin-

Incidisset. Incidere est forte fortuna ferri, inscius et invitus pervenire in aliquam rem.

Propone. I. e. animo finge tam turpes liberos ut, etc.

Vt ipsi maledictum sint. I. e. ut nomina eorum loco maledicti sint. I. M. Heusing. Emendd. p. 243, coni. vi oppositi *ut ipsis* (vel *ipsa his*) *maledictum sis.* Erasm. *ut ipsis maledictum sit*: alii *ut ipsis maledicta sint.* Vulgata bene se habet.

In ignem positura..... iuvenem. Imitatio Virgilii, vel si non imitatio, mira concordantia: *Impositique rogis iuvenes ante ora parentum.* Georgic. lib. IV. vs. 476; idem quoque occurrit, Aeneid. lib. VI, vs. 308.

Invidia. Odio, aut iis obtrectationibus quas, si iustae essent, odium Deorum sequeretur. Nam invidiae atque odii idem est sensus, nisi quod invidia illius est, quem odere (*l'odieux*), odium illius qui odit.

VIII. Arg. In vita nostra bona malis mixta.

Intratura es urbem..... communem. I. mundum, e decretis Stoicorum, ut supra monuimus.

ctam, indefatigata caelestium officia volventem. Videbis illic innumerabiles stellas, miraberis uno sidere omnia impleri, solem quotidiano cursu diei noctisque spatia signantem, annuo aestates hiemesque aequaliter dividentem. Videbis nocturnam lunae successionem, a fraternis occursibus lene remissumque lumen mutuantem, et modo occultam, modo toto ore terris imminentem, accessionibus damnisque mutabilem, semper proximae dissimilem. Videbis quinque sidera diversas agentia vias, et in contrarium praeci- 2

Indefatigata caelestium officia volventem. B. e., qua in urbe indefatigati volvuntur siderum orbes, quasi impositis muniis sidera libenter perfungantur.

Vno sidere. I. sole. Conf. Cic. Tusc. 1, 28.

Nocturnam lunae successionem. Lunam quae nocte succedit soli.

Fraternis..... mutuantem. Dianam a fratre Phoebo lucem mutuari fingit, poëtarum fabulas etiam in naturalibus rebus explicandis secutus. Hic cum fabula congruit ipsa scientia; notum est enim lunae non propriam esse lucem, quippe quam a sole, luminis fonte perpetuo inexhaustoque, mutuetur.

Occultam. Aut lunae *defectus*, aut nimborum, qui eius aspectum eripiunt, meram intercalationem designat.

Toto ore.... imminentem. Id est plenam. Pro *toto ore* saepius *toto orbe*; sed prius, utpote magis poëticum, pro Nostri more magis est.

Accessionibus damnisque. Varias hic Lunae φάσεις describit, quam videmus temporibus certis crescere et minui. Porro *accessiones* pro *incrementa* dixit, quod Lunae aliquid videatur accedere, dum capit incrementa; *damna* vero decrescentem lunam perspicue designant.

Proximae dissimilem. Nunquam eadem per duas noctes lunae facies adspicitur; ergo singula accessio illius dissimilis est quae pridie praecessit aut quae postridie secutura est, quod paucioribus verbis usus Noster dicit, proximae dissimilis est.

Quinque sidera. Planetas nempe, (ita nuncupatos a Graeco verbo πλανᾶσθαι, deerrare) quos septem veteres vulgo numeravere, nam Mercurio, Venere, Marti, Iovi, Saturno, hinc Solem, hinc Lunam iungebant. Norunt hodie vel Astronomicῶν parum gnari quam temere ista et quam immerito dicta fuerint, Solis et Lunae a planetarum numero exulantium locum occupavisse Terram et novum sidus *Herschellium*; quibus demum, ineunte seculo hoc nostro, quatuor accessere, ita ut pro septem iam undecim numerentur.

In contrarium..... nitentia. I. proprio suo motu feruntur contra illum primum motum, quo caelum praeceps fertur. Nam caeli motus ex Occidente in Orientem est; planetae vero et sidera omnia in Occidentem vergere videri quis nescit?

piti mundo nitentia: ex horum levissimis motibus fortunae populorum dependent, et maxima ac minima perinde formantur, prout aequum iniquumve sidus incessit. Miraberis collecta nubila, et cadentes aquas, 3 et obliqua fulmina, et caeli fragorem. Quum satiatos spectaculo supernorum in terram oculos deieceris, excipiet te alia fortuna rerum, aliterque mirabilis. Hinc camporum in infinitum patentium fusa planities; hinc montium magnis et nivalibus surgentium iugis erecti in sublime vertices; deiectus fluminum, et ex uno fonte in Orientem Occidentemque defusi amnes, et summis cacuminibus nemora nutantia, et tantum silvarum cum suis animalibus, aviumque concentu dissono. Varii urbium situs, et seclusae nationes locorum difficultate, quarum aliae se in erectos subtrahunt montes, aliae ripis, lacu, vallibus, palude circumfunduntur; adiuta cultu seges, et arbusta sine cultore fertilia, et rivorum lenis inter prata discursus, et amoeni sinus, et littora in portum recedentia, sparsae tot per vastum insulae, quae interventu suo 4 maria distinguunt. Quid lapidum gemmarumque ful-

Ex horum..... incessit. Astrologiam nostro ut Stoico, qui et sideribus animas tribuebat, easque divinas, non repulsam vides; sed miraberis forsan planetis solis eam vim tribui, ut futura denuntient; at noster, postquam de quinque planetis dicere incepit, vocem *sidus* generaliter sumptam vel hic adhibet. Praeterea omnibus sideribus vim in fata hominum tribuit, de Provident. I, 2; Quaest. Nat. II, 32. Dubitat tamen Ep. 97.

Obliqua fulmina. Epitheton solemne ad fulmen quod oblique et confragosis lineis (*en biseau*) cadit. Lucanus Pharsal. lib. I, vss. 150 sqq.: *Qualiter expressum ventis per nubila fulmen..... Emicuit, rupitque diem, populosque paventes Terruit, obliqua perstringens lumina flamma.*

Et ex uno fonte.... amnes. Danubius et Rhenus dici videntur, quorum hic in occasum, ille in Orientem diversus fertur. Claudianus certe, quem hic Lipsius laudat, eamdem opinionem falsam fovet: *Prominet Hercyniae confinis Rhaetia silvae, Quae se Danubii iactat Rhenique parentem.* Cf. Mannertis (*Geographie der Griechen und Romer*, T. III) disquisitiones egregiae.

Sparsae... per vastum insulae inter-

Digitized by Google

gor, et inter rapidorum cursum torrentium aurum arenis interfluens, et in mediis terris medioque rursus mari nitentes ignium faces, et vinculum terrarum Oceanus, continuationem gentium triplici sinu scindens, et ingenti licentia exaestuans? Videbis his inquietis et sine vento fluctuantibus aquis immani et excedenti terrestria magnitudine animalia, quaedam gravia et alieno se magisterio moventia, quaedam velocia, concitatis perniciora remigiis, quaedam haurientia undas, et magno praenavigantium periculo

ventu suo. Horat. lib. I, Od. XVI, vss. ult. et penult. *Interfusa nitentes Vites aequora Cycladas.*

Et inter rapidorum..... interfluens. Celebratissimi apud veteres eo nomine amnes haud pauci, v. g. Hermus, et Pactolus, in Lydia; in Hispania Tagus, de quo Martialis lib. I, Epigramm. L, vs. 15: *Aestus serenos aureo franges Tago.* Lib. X, Epigr. XCVI, vs. 3: *Auriferumque Tagum sitiam.* Lib. XII, Epigr. III, vs. 3: *Auriferi de gente Tagi*, et sexcentis in locis.

Nitentes ignium faces. E. c. Vulcaniarum, s. Liparaearum insularum.

Triplici sinu scindens. Intellige: mediterraneo, arabico, persico. Terram enim veteres putabant esse insulam (Strabo I, p. 12 Siebenkees), et maria esse partes Oceani, eiusque quasi sinus, quibus gentes inhibebantur, quominus una serie habitarent.

Licentia exaestuans. Redundans et in terras effluens. Lagrange interpretatur: *dant les irruptions ne connaissent aucun frein.*

Excedenti terrestria magnitudine animalia. Hanc lectionem Gronovius fecit ex Lect. MSS. *excedenti terrentia magnitudine.* Antea *et fidem exc. magn. terrentia.* — Omnibus notum terrestrium animalium, quae quidem ingentissima sunt, caput nunquam ultra quindecim pedes supra terram exsurgere; balenae vero et cete aliquando in ducentorum pedum longitudinem excrescunt.

Quaedam gravia..... moventia. Dat Lipsius e Plin. Nat. Hist. l. IX, cap. 88, amicitiae exemplum balaenae et musculi.

Quaedam velocia..... remigiis. Spectant ista ad Delphinum piscem quem vocant ociorem volucre, acriorem telo. Vid. Plin. Hist. Nat. lib. IX, cap. 7 ed. Bip.

Quaedam haurientia undas..... efflantia. De physetere (quem et nos simillimi sensus nomine appellamus *souffleur*) hic agitur. De eo Strabo Geograph. lib. III, cap. 2, p. 387 Siebenk.; p. 214 ed. Amstel. 1707: *A flando dicti, qui quum efflant eminus intuentibus, species quaedam nubis in columnae formam coactae videntur.* Quae autem aliquando pericula navigantibus suscitaverit idem alio loco (lib. XV, pag. 1055 ed. Amsteld. 1707) docet: *Plurimum eos turbaverunt physeterum magnitudines fluctum maximum et confertim cum caligine tanta ex sufflationibus suis*

efflantia. Videbis hic navigia, quas non novere terras, quaerentia. Videbis nihil humanae audaciae intentatum, erisque et spectatrix, et ipsa pars magna conantium; disces docebisque artes, alias quae vitam instruant, alias quae ornent, alias quae regant. Sed istic erunt mille corporum et animorum pestes, et bella, et latrocinia, et venena, et naufragia, et intemperies caeli corporisque, et carissimorum acerba desideria, et mors, incertum facilis, an per poenam
6 cruciatumque. Delibera tecum, et perpende quid velis; ut in illa venias, per ista exeundum est. Respondebis, velle te vivere? quidni? Immo, puto, ad id non accedes, ex quo tibi aliquid detrahi doles. Vive ergo ut convenit. Nemo, inquis, nos consuluit. Consulti sunt de nobis parentes nostri: qui quum conditionem vitae nossent, in hanc nos sustulerunt.

XIX. Sed ut ad solatia veniam, videamus primum quid curandum sit, deinde quemadmodum. Movet

excitantium, ut proxima etiam quaeque conspici non possent. Adde et cf. Plin. N. Hist. lib. IX, cap. 3.

Nihil humanae audaciae intentatum. Horat. lib. I, Od. III, vs. 25: *Audax omnia perpeti Gens humana;* et id quidem loquitur postquam de navigandi arte sermo incidit: et paulo post: *Nil mortalibus arduum est.*

Et spectatrix et ipsa pars magna. Vt Virgilius Aeneid. lib. II, vs. 5: *Quaeque ipse miserrima* vidi, *Et quorum* pars magna *fui.*

Corporum animorumque pestes. Morbi et vitia.

Intemperies corporis. H. e. mala temperies, corporalium partium prava mixtio, etc. Interpr. *Lagrange*: *des maladies épidémiques et particulières.*

Mors, incertum..... cruciatumque. Elliptice pro, mors, quae an facilis futura sit, an dolorum et poenarum comitantibus stimulis expavescenda, in ancipiti est.

Respondebis etc. I. e. cur non respondebis, te velle vivere? At tui luctus continui probe memor, muto sententiam, et vix puto, te vitam, quae nunquam malis suis caret, non praelaturam esse, quum aliquid, i. filium, tibi ex ea detrahi doles.

XIX. Arg. Ad solatia pergit, quae secundam Consolationis partem constituunt. Refellit luctum, qui desiderium mortui eiusque defensionem praetexit: opinio enim lugentes fallit, nec mors inter mala numeranda est. Eadem refutaverat in Cons. ad Helv. 14 seq.

lugentem desiderium eius, quem dilexit. Id per se tolerabile apparet. Absentes enim abfuturos, dum viverent, non flemus, quamvis omnis usus illorum nobis et conspectus ereptus sit. Opinio est ergo, quae nos cruciat; et tanti quodque malum est, quanti illud taxavimus. In nostra potestate remedium habemus. Iudicemus illos abesse, et nosmetipsi non fallamus; dimisimus illos; immo consecuturi praemisimus. Mo- 2
vet et illud lugentem: « Non erit qui me defendat, » qui a contemptu vindicet! » Vt minime probabili, sed vero solatio utar, in civitate nostra plus gratiae orbitas confert, quam eripit. Adeoque senectutem solitudo, quae solebat destruere, ad potentiam ducit, ut quidam odia filiorum simulent, et liberos eiurent, et orbitatem manu faciant. Scio quid dicas: « Non » movent me detrimenta mea; etenim non est dignus

Id per se... apparet. Genus quoddam doloris desiderium est; sed is dolor haud difficile ferendus.

Taxavimus. *Taxare* est alicuius rei pretium statuere; Gallic. *oter.* Sic pretium fictitium rebus omnibus quae in vita sunt nos damus, et has minime deflendas constituimus, has mediocriter, has immodice, arbitrio potius nostro quam e rerum natura et recta aestimatione.

Nosmetipsi non fallamus. Antea deerat *non.* E codd. Erasmus et Lipsius recte praeferunt addi *non.* Lipsius pro *fallamus* proponit *fallemus.* Revera non fallemus nos, quandoquidem et in peregrinatione sunt et vivunt.

Praemisimus. Ep. 99: *quem putas periisse, praemissus est.* Comparat idem Lipsius egregium locum Antiphanis Comici (ap. Stobaeum, Serm. 121, p. 524).

Minime probabili. Quod probare quidem non debes, quo te laetum maxime evadere turpe foret.

Eiurent. Egregia Gruteri suspicio est, quam reduxi, Lipsio auctore. Antea *servent*, nullo sensu.

Vt minime... faciant. Spectat ad hereditatum captationes, quae inprimis sub Caio, Claudio et Nerone principibus florebant. Ditiores quidem auctoritatem et securitatem sibi comparabant sponte et ultro orbos se faciendo (*manu faciendo*), ideoque cuique potentiori, quin vel principibus (dicti tales heredipetae, Petron. 124) spem iniiciendo fore ut diti hac hereditate potiantur.—*Manu faciant*; phrasim hanc valde amatam Senecae et paene uni familiarem notat Lipsius et confert de Brev. c. 3; de Ira III, c. 11; de Benef. VI, c. 4; Ep. LIX.

Digitized by Google

» solatio, qui filium sibi decessisse, sicut mancipium, » moleste fert; cui quidquam in filio respicere, prae- » ter ipsum, vacat. » Quid igitur te, Marcia, movet? utrum, quod filius tuus decessit; an, quod non diu vixit? Si, quod decessit, semper debuisti dolere; semper enim scisti mori. Cogita, nullis defunctum malis affici; illa quae nobis inferos faciunt terribiles, fabulam esse; nullas imminere mortuis tenebras, nec carcerem, nec flumina flagrantia igne, nec oblivionis amnem, nec tribunalia, et reos, et in illa libertate tam laxa ullos iterum tyrannos. Luserunt ista poëtae, et vanis nos agitavere terroribus. Mors omnium dolorum et solutio est et finis: ultra quam mala nostra non exeunt; quae nos in illam tranquillitatem,

Cogita, etc. Quis hic Stoicum agnoscit? Inde enim a Zenone Stoici tantum aberant, quod iam supra monui, ut mythologiam reiicerent, ut omni studio eam allegorice explicare laborarent. Caeterum haec omnia, quae memorat Sen., e poëtis, e. c. Virgilio Aen. VI, notissima sunt.

Fabulam esse. Gronov. e codd. reduxit. Pendet enim oratio a verbo *cogita*. Cf. Ep. 81. Pincianus dederat: *ista fabulas esse.* Erasm. *fabula est.*—*Fabulam esse.* Horat. lib. I, Od. IV: *Fabulaeque manes.* Et Cicero in Cluentiana: *Nam nunc quidem quid illi tantum mali mors attulit? Nisi forte ineptiis et* fabulis *ducimur, ut existimemus illum apud inferos impiorum supplicia perferre.* Ad id pertinet Callimachi πολυθρύλλητον epigramma, quo colloquium fingitur duos inter homines, quorum alter de morte et inferis alterum interrogat:

Ω Χαρίδα, τί τὰ νέρθε; πολὺ σκότος.
Αἱ δ' ἄνοδος τί; Ψεῦδος. Ὁ δὲ Πλούτων; μῦθος· ἀπωλόμεθα.

Et quidem ea opinio ita apud cunctos Senecae temporibus recepta erat, ut pueri etiam *esse aliquid Manes infernaque regna* non crederent (Vid. Iuven. Sat. II, vs. 149) et in theatris publice ista iactarentur.

Carcerem, i. e. Erebi claustra; *flumina flagrantia*, Phlegetontem; *oblivionis amnem*, Lethen; *tribunalia*, sc. Minois, Rhadamanthi, Aeaci; *tyrannos*, Plutonem, Proserpinam.

Nec tribunalia, et reos, et in illa libertate tam laxa ullos iterum tyrannos. Ex Colon. cod. ap. Graterum recepit Gronov. *et... et*, i. e. nec... nec... cf. Gronov. Obss. II, 14.

Ultra quam mala nostra non exeunt. In quam mala nostra, quae vitam totam circumstetere et vexavere, non perveniunt. Haud rigide verborum sensus exigendus est: nam proprie magis diceretur: *ultra vitam* mala nostra non exire, vel, ad mortem usque non exire.

In illam tranq..... reponit. Idem

Digitized by Google

in qua, antequam nasceremur, iacuimus, reponit. Si mortuorum aliquis miseretur, et non natorum misereatur. Mors nec bonum nec malum est. Id enim potest aut bonum aut malum esse, quod aliquid est; quod vero ipsum nihil est, et omnia in nihilum redigit, nulli nos fortunae tradit. Mala enim bonaque circa aliquam versantur materiam. Non potest id fortuna tenere, quod natura dimisit; nec potest miser esse, qui nullus est. Excessit filius tuus terminos, intra quos servitur. Excepit illum magna et aeterna pax; non paupertatis metu, non divitiarum cura, non libidinis per voluptatem animos carpentis stimulis incessitur; non invidia felicitatis alienae tangitur, nec suae premitur, nec conviciis quidem ullis verecundae aures verberantur; nulla publica clades prospicitur, nulla privata; non sollicitus futuri pendet ex eventu, semper in deteriora dependenti. Tandem ibi constitit, unde nil eum pellat, ubi nil terreat.

XX. O ignaros malorum suorum, quibus non mors

Plinius: *nec magis a morte sensus ullus aut corpori aut animae quam ante natalem.* Vid. Nostr. in Ep. LIV.

Mors etc. Haec fusius pertractavit Cic. Tusc. I, 5 sqq. Sibi non constat Noster in hac expositione. Si enim iis, quae alias posuit, constitisset, mors procul dubio bonum, quin optimum esset, quod expeti potest: accedit, quod qui in nihilum redactus sit, neque pace frui potest. Nec Antoninus eandem semper sententiam secutus est, II, 17; V, 4, 13; IV, 21, ubi cf. Gatak.

Quod vero ipsum nihil est. Sic in Troadum choro: « Post mortem nihil est, *ipsaque mors nihil.* »

Omnia in nihilum redigit. His plane contraria reperias infra cap. XXIV, et XXV ubi immortales animas esse docet.

Mala enim... materiam. Ὑλην oppouit nihilo. Iam quum animus deletus, in nihilum redactus sit, nihil neque malum, neque bonum sentire potest. Cic. Tusc. I, 34 sqq.

In deteriora dependenti. Sic Erasmus habet: praefero. Lipsius coni. *rependenti.* Sed Erasmi lectio hac coniectura melior est. Vitam enim hic tanquam miseram pingit.

XX. ARG. Laudes mortis. Cf. Cic. Tusc. Disputt. I, 47 sqq. Laudationes quidem mortis exstitere in antiquitate plures, nunc omnes illae quidem deperditae. Inprimis celebres fuere Cyrenaicus Hegesias, et ante eum inter Rhetores Alcidamas. Cic. Tusc. I, 34, 48.

ut optimum inventum naturae, laudatur! quae sive felicitatem includit, sive calamitatem repellit, sive satietatem aut lassitudinem senis terminat, sive iuvenile aevum, dum meliora sperantur, in flore deducit, sive pueritiam ante duriores gradus revocat; omnibus finis, multis remedium, quibusdam votum, de nullis melius merita, quam de his ad quos venit antequam
2 invocaretur. Haec servitutem invito domino remittit; haec captivorum catenas levat; haec e carcere deducit, quos exire imperium impotens vetuerat; haec exsulibus in patriam semper animum oculosque tendentibus, ostendit nihil interesse inter quos quisque iaceat; haec, ubi res communes fortuna male divisit, et aequo iure genitos alium alii donavit, exaequat omnia; haec est, quae nihil quidquam alieno fecit arbitrio; haec est, in qua nemo humilitatem suam sensit; haec est, quae nulli paruit; haec est, Marcia,
3 quam pater tuus concupivit. Haec est, inquam, quae efficit, ut nasci non sit supplicium; quae efficit, ut non concidam adversus minas casuum, ut servare animum salvum ac potentem sui possim. Habeo quo appellam. Video istic cruces non unius quidem generis, sed aliter ab aliis fabricatas; capite quidam conversos in terram suspendere, alii per obscoena stipitem egerunt, alii brachia patibulo explicuerunt. Video fidi-

Deluxit. Bona lectio. Lipsius coni. *eluxit.*

Huec est, quam pater tuus concupivit. Inedia vitam finiit.

Quo appellam. Portum nempe.

Alii per obscoena stipite egerunt. Clarius nullus id supplicii horridum genus descripsit quod vocamus *empater*. Tam patet varias cruces fuisse, et quod nos proprio nomine *crucem* appellamus, id *patibulum* fuisse. Ut omnibus de his vere sentias, Iusti Lipsii quaedam exscribemus, e Lib. de Cruce: *Patibulum*, ait ille, *id proprie est, in quo suffixus homo expanditur transverso tamen signo; crux vero, quum in erecto simplicique stipiti affigitur vel infigitur: nam, stipitem per obscoena agere, nihil aliud est quam quod Graeci dicunt* ανολοπίζειν, *id est, palo infigere, sive, vulgi verbo*, impalare.

Digitized by Google

culas, video verbera; et membris et singulis articulis singula machinamenta; sed video et mortem. Sunt istic hostes cruenti, cives superbi: sed video istic et mortem. Non est molestum servire, ubi, si dominii pertaesum est, licet uno gradu ad libertatem transire. Contra iniurias vitae, beneficium mortis habeo. Cogita, quantum boni opportuna mors habeat, quam multis diutius vixisse nocuerit. Si Cn. Pompeium, decus istius firmamentumque imperii, Neapoli valetudo abstulisset, indubitatus populi Romani princeps excesserat. At nunc exigui temporis adiectio fastigio illum suo depulit. Vidit legiones in conspectu suo caesas; et ex illo praelio, in quo prima acies senatus fuit, quam infelices reliquiae sunt, imperatorem ipsum superfuisse! vidit Aegyptium carnificem, et sacrosanctum victoribus corpus satelliti praestitit: etiamsi incolumis

Contra iniurias vitae beneficium mortis habeo. Vulgata lectio bonum sensum fundens. Sed Erasm. *coram te iura vitae beneficio m. h.* Libri: *Coram te iura vitae beneficio*: aut *vita beneficio*. Inde fecit Lipsius: *cunctante, s. morante vita beneficio mortis abeo*. Triller. Obss. IV, 25, emendat: *Coram te iura vitae et necis. Ab eo cogita*. Nihil decido.

Si Cn. Pompeium, etc. Multi Veteres hoc tangunt: e. c. Cic. Tusc. I, 35. Vellei. Pat. II, 48. Dio Cass. XLI, 6; ad a. V. C. 705. Pompeius ex urbe in Campaniam processerat, ubi, Senatu magistratibusque secum congregatis, bellum facilius gesturum se speraverat. Eo tempore in hunc morbum Neapoli comitatus incidisse videtur.

Exigui temporis depulit. Lucan. Pharsal. lib. VIII, vss. 27 sqq: *Sic longius aevum Destruit ingentes animos, et vita superstes Imperio; nisi summa dies cum fine bonorum Affuit, et cleri praeverit tristis letho.*

Ex illo praelio Id non nominat, sed norunt omnes Pharsaliam.

Prima acies senatus fuit. Optimates cum Pompeio pugnabant, ergo senatorum pars melior fugientem ex Italia in Graeciam secuta erat, et Pharsaliae dimicavit. *Prima acies*, etc. hic autem duplicem sensum habet: scil. ut vulgo significat, pugnae frontem (*la première ligne*) tenuisse patricios; deinde, eos conspicuos maxime fuisse inter Pomp. partium robora, quod nos vocaremus *la première ligne*.

Aegyptium carnificem: Nempe Achillam (Dio Cass. XLII, 4).

Satelliti. Pinciani est quod adoptavit Lipsius. Libri fere omnes *satietati*. Septimiam autem intelligit, Romanam et ipsius Pompei bello pertaedo militem. Itaque Imperatoris illius velut stipator aut satelles fuerat.

fuisset, poenitentiam salutis acturus: quid enim erat turpius, quam Pompeium vivere beneficio regis? M. Cicero si eo tempore, quo Catilinae sicas devitavit, quibus pariter cum patria petitus est, concidisset, liberata Republica, conservator eius; si denique filiae suae funus secutus fuisset, etiam tunc felix mori potuit. Non vidisset strictos in civilia capita mucrones; nec divisa percussoribus occisorum bona, ut etiam de suo perirent; non hastam consularia spolia vendentem; nec caedes, nec locata publice latrocinia,
7 bella, rapinas, tantum Catilinarum. Marcum Catonem si a Cypro et hereditatis regiae dispensatione redeuntem mare devorasset, vel cum illa pecunia, quam afferebat civili bello stipendium, nonne illo bene actum foret? hoc certe secum tulisset, neminem ausurum coram Catone peccare. Nunc annorum adiectio paucissimorum virum libertati, non suae tantum, sed publicae natum cōëgit, Caesarem fugere, Pompeium

Regis. Nempe Ptolemaei pueri. Cicero l. c. de Pompeio haec eadem fere exposuit, at nisi fallor, multo pulchrius, parum cogitans et de se olim hoc dici posse.

M. Cicero, etc. Haec de Cicerone declamatorie nimis elata sunt. Nam inter primores proscriptos occisus est, triumviris Antonio, Lepido, Octavio (a. V. C. 711. Dio Cass. XLVII, 8), deinde et strictos acie Pharsalica in civium capita mucrones, et bona divisa ac subhastata ipsius etiam Pompeii, etc., viderat, Lipsio bene animadvertente. Cf. Cic. Tusc. I, 35, fin.

Non vidisset, etc. Meminisse ista iubent Taciti in Agricol. cap. XLV, socerum felicem clementia, quod morte cita ante diem raptus, tot et tanta reipublicae vulnera non adspexisset.

De suo, sc. ut ipsi praemium suae mortis essent.

Hastam, quam Caesar pro aede Iovis Statoris in foro posuit: hasta Iuliana: Epp. Cic. IX, 10; XV, 17. De off. II, 8 et 22.

Tantum Catilinarum. I. e. tot uno tempore Catilinas.

Marcum Catonem, etc. Ptolemaeus Romanos haeredes reliquerat: eam ob rem M. Cato Clodio auctore in Cyprum missus est. Dio Cass. XXXVIII, 30; ad ann. V. C. 693: Conf. XXXIX, 22.

Pompeium sequi. Pompeium Cato secutus est, non quidem eo consilio ut victorem Pompeium pateretur reipublicae libertati insidias tendere,

sequi. Nihil ergo mali immatura mors attulit illi, omnium etiam malorum remisit patientiam. « Nimis 8
tamen cito periit, et immaturus. Primum, puta illum superfuisse; comprehende quantum plurimum procedere homini licet; quantulum est? Ad brevissimum tempus editi, cito cessuri loco venienti in pactum hoc prospicimus hospitium. De nostris aetatibus loquor, quas incredibili celeritate convolvi constat; computa urbium secula; videbis quam non diu steterint, etiam quae vetustate gloriantur. Omnia humana brevia et 9
caduca sunt, infiniti temporis nullam partem occupantia. Terram hanc cum populis, urbibusque, et fluminibus, et ambitu maris, puncti loco ponimus, ad universa referentes: minorem portionem aetas nostra quam puncti habet, si tempori comparetur omni; cuius maior est mensura quam mundi: utpote quum ille se intra huius spatium toties remetiatur. Quid ergo interest id extendere, cuius quantumcunque fuerit incrementum, non multum aberit a nihilo? uno modo multum est, quod vivimus, si satis est. Licet mihi viva-

sed quia in tanto rerum omnium tumultu minus scelesta sequi optimum erat. Haec itaque iterabat: *Me milite vincat, Ne sibi se vicisse putet.* (Luc. Phars. lib. II).

Illi. e codd. receperunt Erasm. Lipsius, Gron. Pincianus dederat: *Metilio.*

Ad brevissimum tempus editi, cito cessuri loco venienti in pactum hoc prospicimus hospitium. Locus varie tentatus est: sed vulgatam teneam, dum meliora edocear e codd. Lipsius interpr.: Nos cito abimus, aliis velut diversorium relinquimus, pariter et eadem lege abituris.

Tempori omni. Quod *aeternitas* postea appellatum fuit. Nondum Senecae tempora illa vox absolute et de temporum omnium universalitate sumebatur; sed alicui voci semper iuncta occurrebat quae perennis dicebatur.

Cuius maior.... remetiatur. Puerilis, neque veritate nixa, subtilitas. Quis ferat duo comparari tam diversa quam mundus, corporum omnium summa, et tempus quod non modo non corporale est, sed ne est quidem, nisi in illius mente qui hoc concipit. Probat tamen Lipsius dicens: Nam mundus in tempore volvitur, revolvitur; atque, ut ait philosophus quidam, tempus motus quietisque mensura est.

Licet mihi vivaces, etc. Dedi e

ces et in memoriam traditae senectutis viros nomines, centenos denosque percenseas annos; quum ad omne tempus dimiseris animum, nulla erit illa brevissimi longissimique aevi differentia, si inspecto quanto quis vixerit spatio, comparaveris quanto non vixerit. Deinde non immaturus decessit; vixit enim quantum debuit vivere. Nihil enim illi iam ultra supererat. Non una hominibus senectus est, ut ne animalibus quidem. Intra quatuordecim quaedam annos defatigantur, et haec illis longissima aetas est, quae homini prima; dispar cuique vivendi facultas data est; nemo nimis cito moritur, qui victurus diutius quam vixit, non fuit. Fixus est cuique terminus: manebit semper ubi positus est, nec illum ulterius diligentia aut gratia promovebit; scit libenter illum ulterius diligentiam ex consilio perdidisse. Tulit suum,

Metasque dati pervenit ad aevi.

Lipsii codice, mutata una vocula *vaces*, ex qua Lipsius fecit *vates*, infeliciter.

Intra quatuordecim annos defatigantur. Hoc nec Senecae tempore mirationem facere poterat, quum insectum, quod Plin. N. H. XI, 43 Bip. Hemerobion appellat, notum esset, volucre quadrupes, nec ultra unum diem vivens (Cf. Cic. Tusc. I, 39. ex Aristotele): quod ad Ephemera Germanis dicta *Eintagflige* pertinere videtur, in quibus sunt, quae intra aliquot horarum spatium nasci, vivere, mori constat.

Prima. I. pueritia.

Manebit semper..... Tulit suum. Vulgatam dedi, coniecturis omissis: libri valde variant: in Lipsiano haec tantum: *Manebit semper ubi positus est, nec illum ulterius diligentia ex consilio perdidit, sed tulit suum*: omissis *aut gratia promovebit*; *scit libenter illum ulterius diligentiam*; quam omissionem facile gignere potuit confusio ex eorumd. verborum *illum ulterius diligent.* orta. Pro *ex consilio perdidisse*, Lipsius legit, *et consilio perduxit*, sive *perduxerit*. Cf. Grut.

Scit, etc. Haec et quae sequuntur usque ad τὸ *perdidisse* ita depravata sunt, ut neque a quoquam emendari possint, neque ullum sensum legenti praebeant.

Tulit suum. Ante *tulit* vox *ille* subaud. Sed quis ille? homo nempe aliquis de quo in iis sermo erat quae depravata sunt. *Suum* vero pro *fatum suum*, aut *suum tempus*, tempus nempe quod ipsi praefixum et destinatum a natura erat. Gallic. diceretur optime, *sa part*.

Metasque..... aevi. Hemistichium ex Aeneid. Virg. X, vs. 472, desumtum est.

Non est itaque quod sic te oneres: Potuit diutius vivere. Non est interrupta eius vita, nec unquam se annis casus interiecit; solvitur quod cuique promissum est. Eunt vi sua fata, nec adiiciunt quidquam, nec ex promisso semel demunt; frustra vota ac studia sunt. Habebit quisque quantum illi dies primus adscripsit; ex illo, quo primum lucem vidit, iter mortis ingressus est, accessitque fato propior; et illi ipsi, qui adiiciebantur adolescentiae anni, vitae detrahebantur. In hoc omnes errore versamur, ut non putemus ad mortem, nisi senes inclinatosque iam vergere; quum illo infantia statim, et iuventa, omnisque aetas ferat. Actura opus suum fata nobis sensum nostrae necis auferunt, quoque facilius obrepat mors, sub ipso vitae nomine latet. Infantem in se pueritia convertit; pueritiam pubertas, pubertatem iuventus, iuventutem senectus abstulit. Incrementa ipsa si bene computes, damna sunt.

XXI. Quereris, Marcia, non tam diu vixisse filium tuum, quam potuisset? Vnde enim scis, an diutius illi expedierit? an illi hac morte consultum sit? Quem invenire hodie potes, cuius res tam bene positae sunt

Te oneres. Animum dolore iam labentem doloris novi pondere praegraves.

Non est interrupta. H. e. ad finem suum pervenit, finem quidem ab initio non maximo distantem intervallo. *Interrupta* esset si pauciores annos quam decrevere dii, pauciores horas duraret.

Eunt vi sua fata. Lectio Pincian. bona est. Antea *eunt, ut sua fata.*

Actura opus suum fata nobis. Ex coni. Lipsii certe, qui tamen in textu *agunt* pro *actura* habet. Veteres edd. habent *Augurii* vel *Auguria opus.....* nullo sensu.

Infantem.... convertit. I. e. infans seu infantia in pueritiam convertitur: mixtis nimirum hominisque reique nominibus. Plerique dicerent, *ex infante puer fit*, etc., vel convertitur in pueritiam infantia, etc.

XXI. Arg. Igitur non queri debemus vitae brevitatem.

Hodie. Ad tempora, in quibus scripsit, periculosa spectat (XIX, 2): quamquam de omni humana conditione satis commode dici potest.

et fundatae, ut nihil illi, procedenti tempore, timendum sit? Labuntur humana, ac fluunt; neque pars vitae nostrae tam obnoxia aut tenera est, quam quae maxime placet. Ideoque felicissimis optanda mors est, quia in tanta inconstantia turbaque rerum, nihil nisi quod praeteriit, certum est. Quis tibi recepit, illud pulcherrimum filii tui corpus, et summa pudoris custodia inter luxuriosae urbis oculos conservatum, potuisse ita morbos evadere, ut ad senectutem formae illaesum perferret decus?

XXII. Cogita animi mille labes; neque enim recta ingenia, qualem in adolescentia spem sui fecerant, usque in senectutem pertulerunt, sed interversa plerumque sunt. Aut sera eoque foedior luxuria invasit, et coëgit dehonestare speciosa principia, aut in popinam ventremque praecoquis summa illis curarum fuit, quid essent, quid biberent. Adiice incendia, ruinas, naufragia, lacerationes medicorum ossa vivis legentium, et totas in viscera manus demittentium, et non simplici dolore pudenda curantium; post haec exsilium: non fuit innocentior filius tuus, quam Ru-

Obnoxia. I. e. caduca.

Recepit. In se recepit, h. e. promisit.

Inter luxuriosae urbis oculos. Oculos non temere dixit, quum flagitii principium sit adspicere et adspici, et his temporibus nuda corpora saepe prodirentur, in ludis praesertim et in balneis publicis.

XXII. Aug. Corruptio enim seculi aliaque mala vel optimis ingeniis metuenda sunt.

Praecoquis (i. a pueritia proiectis in luxuriam, immaturis luxuriis) *summa illis curarum*, e Mss. dedit Grou. qui copula *et* a Lipsio, ante *summa* inseri iubente, reiecta, τὸ *illis* tuetur, nescio, an satis recte. Aut eleganter παρέλκει, ait, aut more veterum saltem transpositum est, pro *aut illis in popinam*, etc. Vereor, ut omnia sana sint. Antea *proiectis.*

Ossa vivis legentium. Lagrange: *lorsqu'ils désossent un homme vivant.* Vulgo *ossa legere* de iis tantum dicitur qui mortui igne concremati sunt, quum e busto cineres et ossa ducuntur. Noster, ut vita morti similis iudicetur aut potius mortium multarum continuatio, *ossa* ait viventis legi.

Rutilius. P. Rutilius Rufus damnatus est ab equitibus, quod in

Digitized by Google

tilius; carcerem: non fuit sapientior, quam Socrates; voluntario vulnere transfixum pectus: non fuit sanctior, quam Cato. Quum ista perspexeris, scies optime cum his agi, quos natura, quia illos hoc manebat vitae stipendium, cito in tutum recepit. Nihil est tam fallax, quam vita humana; nihil tam insidiosum; non mehercule quisquam accepisset, nisi daretur insciis; itaque si felicissimum est non nasci, proximum puta, brevitate vitae defunctos, cito in integrum restitui. Propone illud acerbissimum tibi tempus, quo Seianus patrem tuum clienti suo Satrio Secundo congiarium dedit. Irascebatur illi ob unum aut alterum liberius dictum, quod tacitus ferre non potuerat, Seianum in cervices nostras nec imponi quidem, sed escendere. Decernebatur illi statua in Pompeii theatro

Asia quaestor provinciales a publicanorum iniuriis defenderat. Smyrnae in exilio vixit: a Sylla revocatus non recessit Romam. Ernesti Ind. Hist. Cic.

Stipendium. Elegans metaphora quam duxit a re militari, dum vitam nostram expeditioni annorum multorum tacite comparat. Simile aliquid supra vidimus, quum dixit hoc eod. lib. *contubernia solvi.*

Satrio Secundo. Qui Cordum Seiani iussu postulavit; non solus, nam accesserat Pinarius quidam Natta.

Congiarium dedit. Congiarium appellabatur donum quo milites imperator munerabatur, dehinc quo vel milites vel cives qui in imperio altiorem locum occupabant. (Si quid fusius de congiariis scire velis, cf. Taciti nostri volum. IV, pag. 260 sqq., ubi de congiariis ab Anco Martio rege ad Constantium usque imperatorem dissertatio est). Quum autem accusatori pars bonorum concederetur, dici aliquo modo potest fuisse Cremutii Cordi bona congiarium Satrio.

Ob unum aut alterius liberius dictum. Hinc irae, haec culpa Cremutii vere fuit, non quod Cassium et Brutum laudavisset: id quidem odio suo impotens tyrannus praetexit, id scelesti accusatores clamitavere, *novum ac tunc primum auditum crimen* (sic fere Tacit. Annal. lib. IV, cap. 34); sed altius vulnus non imperio, non imperatori, sed ipsi Seiano illatum, Seiano ultum ibat, et optimam defensionem quum paravisset Cordus, relinquendae vitae tamen certus erat (idem, eod. loco), neque eum in modum loquebatur ut ipsum patres, sed ut posteri absolverent.

Quod. Coniunctio est, non pronomen.

Seianum... escendere. Optime *de la Bletterie*, in Notis ad Tacitum, verba Cordi excitans et vertens, pro *escendere* Gallice scripsit *grimper.*

ponenda, quod exustum Caesar reficiebat. Exclamavit Cordus: « Tunc vere theatrum perire. » Quis ergo non rumperetur, supra cineres Cn. Pompeii constitui Seianum, et in monumentis maximi imperatoris consecrari perfidum militem? consecratur subscriptione, et acerrimi canes, quos ille, ut sibi uni mansuetos, omnibus feros haberet, sanguine humano pascebat, circumlatrare hominem, et illum imperatum, inci-
4 piunt. Quid faceret? si vivere vellet, Seianus rogandus erat; si mori, filia; uterque inexorabilis: constituit filiam fallere. Vsus itaque balneo, et quo plus virium poneret, in cubiculum se quasi gustaturus

Quem frustra confutandum suscipit *Lagrange* cuius ista est metaphrasis: *Séjan ne se contente pas d'être porté sur nos têtes, il veut y marcher.* In hoc tamen sagax et verus *Lagrange*, quod τὸ *imponi* ad hunc modum referat quo vehebantur Romani in lecticis. Ipse noster epistol. CX: *Lectica formosis imposita calonibus.* Alio loco: *quos* supra capita hominum supraque turbam *delicata lectica suspendit.* At nescit usu iam tritum id vocabulum esse, et pro *ad potestatem magnam emergere* vulgo dictum; *supra cervices imponi*, ab aliquo nempe, ab imperatore, a militaribus viris, etc. Multi ergo aiebant a Caesare Seianum supra Romanorum capita imponi: *Minime, ait Cordus, ipse escendit.* Eodem verbo praeterea innuebatur quam humili e loco in tantum dignitatis creverat.

Supra cineres Cn. Pompeii. I. super defunctum Pompeium attolli, et eius loco suffici et statui Seianum, quasi illo iam spreto. Lipsius cavet, ne *cineres* proprie capias, quippe qui in Aegypto iacebant. Plutarch. vit. Pompeii, c. 80. Reisk. T. III, p. 869. Fuerat tamen sepulcrum eius in Albano a Cornelia exstructum: Plut. loc. laud.

Perfidum e libris priscis reposuit Lipsius. Antea *pessimum.*

Consecratur subscriptione. E Gronovii coniectura certa. Statua perfidi militis non consecratur solum, sed quo sanctior esset, additur sollennibus dedicationis accusatio Cremutii Cordi.

Imperatum (intell. ad mortem), Gronovio auctore assumsi. Recte enim ille contendit, non excusationem Cremutii, sed supinam negligentiam viri illustris et oris liberi sub huiusmodi tyrannis fuisse, ad haec esse *imparatum* (sic olim ut ap. Erasm. legebatur, et sic legit *Lagrange*).

Quo plus virium poneret. I. e. deponeret, quo maior sui defatigandi copia esset. Gronov. e codd. nonnullis et edd. vett. ante Erasm. recte reduxit. Antea: *quo plus imponeret.* I. M. Heusinger Emendd. p. 243, Gronovio non assentitur. Ita vero haec verba praeponenda fuissent, ait, prioribus: *usus..... balneo*, vel copula omitti debuisset. Nec eo consilio in

contulit: et dimissis pueris, quaedam per fenestram, ut videretur edisse, proiecit; a coena deinde, quasi iam satis in cubiculo edisset, abstinuit; alteroque die, et tertio idem fecit. Quarto, ipsa infirmitate corporis faciebat indicium. Complexus itaque te, « Ca- 5
» rissima, inquit, filia, et hoc unum tota celata vita,
» iter mortis ingressus sum, et iam medium fere te-
» neo. Revocare me nec debes, nec potes. » Atque ita lumen omne praecludi iussit, et se in tenebris condidit. Cognito consilio eius, publica voluptas erat, quod e faucibus avidissimorum luporum educeretur praeda. Accusatores, Seiano auctore, adeunt consulum tribunalia; queruntur mori Cordum, interpellantes quod coëgerant; adeo illis Cordus videbatur effugere. Magna res erat in quaestione, an morte rei prohibe- 6
rentur; dum deliberatur, dum accusatores iterum adeunt, ille se absolverat. Videsne, Marcia, quantae

cubiculum se contulit, ut plus virium ponderet, sed ut omnes custodes ministrosque falleret. Scripsit, opinor, Seneca: *quo pluribus imponeret.*

Visus itaque..... contulit. Multa sudatione in balneo exinanitum eius corpus (Ep. 86, Plin. N. H. XXIX, 1); post balneum ovum aut mulsum leviter sumsisse, *gustasse* (Plin. N. H. VII, 54 Bip.) videbatur: sequi debebat coena.

Tota celata vita, i. te quae hoc unum in omni vita a me celata es, moneo, ne quid emendes.

Et iam medium fere teneo. Lipsius ad Plin. N. H. XI, c. 118, respiciens interpretatur. Est ibi: Homini non ante septimum diem letalis iuedia: durasse et ultra undecimum plerosque certum est. Sed vid. Harduin. ad Plin. loc. qui in mendo cubat. Neque opus est, ut haec ad observationes naturae curiosorum exigamus, sed ad sensum Cordi, quippe qui animadvertit, sibi non magnum vivendi spatium superesse. Tò *medius* enim non solum ap. poëtas de iis dici constat, quae post principia sunt.

An morte rei prohiberentur. Est lectio cod. Lipsii, quam equidem ceteris praefero; bonum etiam sensum fundit. Codices vehementer variant. Hinc locus coniecturis variis sollicitatus est, iude a Mureto usque ad Triller. Obss. IV, 10, p. 352 sqq. Qui autem delatores Cordum ad mortem deposcebant damnari, iidem tribunalia Coss. adierunt, ut impedirent ne Cordus mortem sibi adscisceret. Verendum enim iis erat, ne praemium accusationis perderent, Cordo maiestatis reo ante damnationem mortuo. Cf. Tacit. Annal. IV, 20, ibique Lipsius; et IV, 30.

iniquorum temporum vices ex inopinato ingruant? fles quod alicui tuorum mori necesse fuit? paene non licuit.

XXIII. Praeter hoc, quod omne futurum incertum est, et ad deteriora certius, facilius ad superos iter est animis cito ab humana conversatione dimissis; minus enim faecis ponderisque traxerunt: antequam obducerent, et altius terrena conciperent, liberati, leviores ad originem suam revolant, et facilius, quidquid est illud obsoleti illitique, eluunt. Nec unquam magnis ingeniis cara in corpore mora est; exire atque erumpere gestiunt, aegre has angustias ferunt, vagi per omne sublime, et ex alto assueti humana despi-
2 cere. Inde est quod Plato clamat: Sapientis animum totum in mortem prominere, hoc velle, hoc meditari, hac semper cupidine ferri in exteriora tendentem. Qui tu, Marcia, quum videres senilem in iuvene prudentiam, victorem omnium voluptatum animum, emendatum, carentem vitio, divitias sine avaritia, parentia vitia, situmque omnis mortalis aevi excutiunt: c. XXV, §. 1. Gronov. hanc lectionem codd. adstipulantibus dedit. Antea: *quidquid est illud, absoluti transfluunt.* Τὸ *eluunt* est Gronov. coniectura, ut mihi videtur, certa, eaque facta e *fluunt*: fluit, fluunt, eluit, eluunt in codd. interdum confunduntur.

Paene non licuit. Patri, Lipsio interprete. Abrupte nimis dictum.

XXIII. Anc. Quo maturius igitur boni moriuntur, eo meliore sorte utuntur.

Facilius ad superos iter, etc. In his facile Pythagoricorum et Platonicorum doctrinam agnoscas; cf. Virgil. Aen. VI, 724 sq. Cum Nostro sentit Cic. somnio Scipion. c. 3, ubi et de origine animarum e stellis et caelo sermo est, sicuti hoc loco. Cf. Macrob. in Somn. Sc. 10.

Obducerent. Gronovius e Cod. ap. Gruter. et Edd. ante Erasm. bene recepit. Intell. faecem pondusque. Ante *obducerentur.*

Quidquid est illud obsoleti illitique eluunt, h. e. expurgant se et inhae-

Plato. in Phaedone T. I, Bip. pag. 144, 145: Οτι τῷ ὄντι οἱ φιλοσοφοῦντες θανατῶσιν. Inprimis p. 153 d. καὶ τὸ μελέτημα αὐτὸ τοῦτό ἐστι τῶν φιλοσόφων, λύσις καὶ χωρισμὸς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος — Cic. Tusc. I, 30, fin. *tota* enim *philosophorum vita*, ut ait idem (Plato), *commentatio mortis est.*

honores sine ambitione, voluptates sine luxuria appetentem, diu tibi putabas illum sospitem posse contingere? Quidquid ad summum pervenit, ad exitum prope est. Eripit se aufertque ex oculis perfecta virtus; nec ultimum tempus exspectant, quae in primo maturuerunt. Ignis quo clarior fulsit, citius exstin- 3
guitur; vivacior est, qui cum lenta difficilique materia commissus, fumoque demersus, ex sordido lucet; eadem enim detinet causa, quae maligne alit: sic ingenia quo illustriora, eo breviora sunt. Nam ubi incremento locus non est, vicinus occasus est. Fabianus ait, quod nostri quoque parentes videre, puerum Romae fuisse, statura ingentis viri; sed hic cito decessit; et moriturum brevi nemo non prudens dixit; non poterat enim ad illam aetatem pervenire, quam praeceperat. Ita est indicium imminentis exitii maturitas, et appetit finis, ubi incrementa consumpta sunt.

Ab exitu prope est. Lipsius sic dedit ex omnibus MSS., mutato τῷ *ad exitum* in *ab ex.*, Gronovio tamen dissentiente, qui τό *ad exitum* retinendum statuit: *prope* enim, ait, adverbium, non praepositionem esse, ideoque semper dici intellectu praepositionis. Malim exempla adduxisset. Antea: *ad exitum properat.* — *Quidquid ad summum..... ad exit. prope est.* Lucan., Pharsal. lib. I, 70: *Summisque negatum Stare diu.*

Vivacior. Vitae tenacior.

Commissus. Indicatur, et multoties, hic pugna quaedam ignem inter et materiam eam quam ignis corripit.

Ex sordido lucet. E sordido lucidus fit.

Quo illustriora, eo breviora. Τό *eo* omittit cod. Lipsii, ex more Taciti, quem tamen noster haud frequentare solet.

Fabianus. Papirius Fab., philosophus stoicus et orator. cf. Senecae patris praef. ad II libr. Controvers. A Plinio maiore (v. Harduini Index), vir rerum naturae peritissimus vocatur: sub Tiberio floruit, Nostri familiaris: Ep. 40, 58, 100, etc. Scripsit *de animalibus, civilia*, et libros *causarum naturalium* nunc deperditos. Ex his libris posterioribus haec desumta esse videntur. Quae hic Fabianus dixit, et antea Cato Censorius (de quo cf. Corn. Nepos et Plutarch. Vol. II, Reisk.) in libro ad Filium *de validis* posuit: *senilem iuventam praematurae mortis esse signum*; Plinio, H. N. VII, 52, Bip. auctore.

Quam praeceperat. Cuius mores, ingenium, studia omnia ante adoptaverat quam ad eam pervenisset.

Appetit. Neutraliter pro *appetitur.*

Appetit..... consumpta sunt. Duas in

XXIV. Incipe virtutibus illum, non annis aestimare: satis diu vixit; pupillus relictus, sub tutorum cura usque ad decimum quartum annum fuit, sub matris tutela semper; quum haberet suos penates, relinquere tuos noluit. Adolescens statura, pulchritudine, cetero corporis robore castris natus, militiam recusavit, ne a te discederet. Computa, Marcia, quam raro liberos videant, quae in diversis domibus habitant; cogita, tot illos perire annos matribus, et per sollicitudinem exigi, quibus filios in exercitu habent: scies multum
2 patuisse hoc tempus, ex quo nihil perdidisti. Nunquam a conspectu tuo recessit; sub oculis tuis studia formavit, excellentis ingenii, et aequaturi avum, nisi obstitisset verecundia, quae multorum profectus silentio pressit. Adolescens rarissimae formae, in tam magna mulierum turba viros corrumpentium, nullius spei se praebuit; et quum quarumdam usque ad tentandum pervenisset improbitas, erubuit, quasi pec-

partes sponte scinditur omnium rerum quas quidem novimus duratio, aliam per quam capiuntur incrementa et ad summum properatur; aliam per quam in langnorem vergitur et dissolutionem. Inter aetates illas duas, tertiam agnoscas licet, cuius tempora, res eodem in statu manent et perstant; at quies illa oculos fallit, et revera per ipsum id tempus ista aut crescunt, aut labuntur. Ergo ubi incrementorum desiit tempus, incipit declinatio.

XXIV. Anc. Laudes Metilii, filii Marciae.

Incipe..... aestimare. Exstat elegans epigramma in adolescentuli obitum, quo de morte dicitur: *Dotes dum numerat, credidit esse senem.* Sic Martialis de Scorpo aurigatore nobilissimo dixerat prior: *Dum palmas numerat, credidit esse senem.*

Cogita tot perire annos etc. Vetigit haec iam supra Noster, cap. 19, 1. Conf. Ep. 65.

Sollicitudinem retinui. Gronov. defendit Pinciani lectionem *solitudinem*: quem tamen hic argutari facile est intellectu.

Avum. Nempe Cremutium Cordum.

Verecundia. Qua factum ut nihil ederet, nec ingenii sui in publico faceret copiam.

Improbitas. H. e. *impudicitia.* Alquando enim *probus* pro *sanctus*, *castus*; *improbus* pro *nequam*, *impudicus*, invenire est, in Martiale inprimis, v. g. lib. I, epigramm. v: *Lasciva est nobis pagina, vita proba est.* Lib. XI, epigramm. CII: *Tanta tibi est animi probitas orisque, So-*

Digitized by Google

casset, quod placuerat. Hac sanctitate morum effecit, ut puer admodum dignus sacerdotio videretur, materna sine dubio suffragatione; sed ne mater quidem nisi pro bono candidato valuisset. Harum in contemplatione virtutum filium gere, tanquam si nunc ille tibi magis vacet. Nunc nihil habet quo avocetur, 3 nunquam tibi sollicitudini, nunquam moerori erit. Quod unum ex tam bono filio poteras dolere, doluisti; caetera exempta casibus, plena voluptatis sunt, si modo uti filio scis, si modo quid in illo pretiosissimum fuerit, intelligis. Imago duntaxat filii tui periit, et effigies non simillima: ipse quidem aeternus,

phroni. Vt mirer fieri te potuisse patrem. E contrario lib. V, epigramm. LXXVIII: *Nec de Gadibus improbis puellae vibrabunt sine fine prurientes Lascivos docili tremore lumbos.* Eo autem, ut ad phrasim totam redeamus, pravitatis mores romani devenerant ut saepissime viros ultro petereut feminae, teste vel Ovidio qui Amorum, I, VIII, 44: *Aut si rusticitas non vetat, ipsa rogat.*

Quasi peccasset, quod placuerat. Quasi id ipsum, placuisse, culpa esset; quasi flagitii conscius sibi esset, dum flagitii cupidinem alicui iniecisset.

Puer admodum. Fortasse agitur de fratribus arvalibus, quorum collegio pueros patrimos et matrimos Patriciorum et Caesarum adscribi honos erat, ut docte expositum est in: *Gli atti e monumenti de' fratelli arvali*, Romae 1795, 4. Lipsius tamen eum augurem aut pontificem fuisse putavit, adducto Tacit. Hist. I, 77, de Othone: *et recens ab exilio reversos nobiles adolescentulos avitis ac paternis sacerdotiis in solatium recoluit*, et Livio, XXXIII: *Q. Fabius Maximus augur mortuus est admodum adolescens*; XLII, *Cn. Domitius, oppido adolescens, sacerdos lectus*, Propter loc. de Ira, III, 3c, §. 2, dubito de Lipsii explicatione.

Sed ne mater—valuisset, i. e. nec illa suffragationem atque auctoritatem suam adhibuisset pro filio, nisi et ipsa certa fuisset, eum hoc honore dignum esse.

Filium gere. I. ita habe, tene. Est lectio codd. qua reiecta emendat Lips. *filio iungere.* Antea: *Se te gere.*

Quod unum.....dolere. Vnus in te ex tam pio et sancto filio dolor manere poterat, mora nempe ipsius: atqui is iam tibi incubuit dolor: nequaquam igitur iam dolendum tibi est.

Caetera. Scil. *vitae tempora*, aliudve quidpiam non absimile.

Si modo uti filio scis. Modo filio recte gaudere scias Quid autem *filio recte gaudere est?* Quam filius procul a te atque oculis tuis immotam et aeternam beatitudinem possidet, ea laetari; non te amoribus tuis urbatam respicere, sed illum votorum omnium compotem.

Imago duntaxat..... non simillima.

meliorisque nunc status est, despoliatus oneribus
4 alienis, et sibi relictus. Haec quae vides ossa circumvoluta nervis, et obductam cutem, vultumque, et ministras manus, et cetera quibus involuti sumus, vincula animorum tenebraeque sunt. Obruitur his animus, offuscatur, inficitur, arcetur a veris et suis, in falsa coniectus; omne illi cum hac carne gravi certamen est, ne abstrahatur et sidat; nititur illo, unde dimissus est; ibi illum aeterna requies manet, e confusis crassisque pura et liquida visentem.

XXV. Proinde non est, quod ad sepulcrum filii tui curras; pessima eius et ipsi molestissima istic iacent ossa cineresque: non magis illius partes, quam vestes aliaque tegumenta corporum. Integer ille nihilque in terris relinquens fugit, et totus excessit; paulumque supra nos commoratus, dum expurgatur, et inhaerentia vitia situmque omnis mortalis aevi excutit,

Corpus enim autumat repraesentationem animi crassam et imperfectam esse; minime autem eorum opinionem tuetur qui in corporeis rebus nil veri esse contendunt.

. *Nervis.* Error solemnis apud veteres, pro *musculis.*

Vincula animorum. Idem dixit, inter alios, Themistius pulchre: *Corpus Graeci δέμας dicunt, tanquam in eo anima δεδεμένη, hoc est illigata sit.* Plura addit dignissima lectu in Stobaei Serm. CXIX. Vid. et Macrob. I, in Somn. Scip. c. 10.

Obruitur his animus. Similiter Horat. lib. II, Sat. II, 78: *Corpus onustum Hesternis vitiis animum quoque praegravat una Atque affligit humo divinae particulam aurae.*

Sidat. Mergatur profundo, et ut ait fere Persius Sat. III, v. 34: *Alto Demersus, summa rursus non bullit in unda.*

Nititur illo. Illo adverbium est: *nititur* pro *ire conatur* positum est. Unde sensus: Eum in locum evolare et reverti conatur, quem ut relinqueret coacta olim a natura aut a Deo est. Hunc locum *caelum* esse patet.

XXV. Ano. Filius felix est ad excelsa sublatus.

Dum expurgatur. Quam bene cum Christianae fidei dogmatibus congruant ista, nullus non advertet. Academici quidem animas credidere post obitum lustrari, sed ut in terras reverterentur; at hic Annaeus eas sic a pristinae vitae sordibus repurgari tradit, ad caelum mox et beatitudinem summam emersuras.

Vitia situmque omnem mortalis aevi. Ipse noster supra cap. 23, §. 1: *faex et pondus* Ciceronis Somnium Scipionis et Nat. Quaest. Senec. I, praef. hic contendisse iuvabit.

deinde ad excelsa sublatus, inter felices currit animas, excipitque illum coetus sacer, Scipiones, Catonesque, utique contemptores vitae, et mortis beneficio liberi. Parens tuus, Marcia, illic nepotem suum (quamquam illic omnibus omne cognatum est) applicat sibi, nova luce gaudentem, et vicinorum siderum meatus docet, nec ex coniecturis, sed omnium ex vero peritus, in arcana naturae libens ducit. Vtque ignotarum urbium monstratus hospiti gratus est, ita sciscitanti caelestium causas, domesticus interpres. In profunda terrarum permittere aciem iuvat; delectat enim ex alto relicta respicere. Sic itaque, Marcia, te gere, tanquam sub oculis patris filiique posita, non illorum quos noveras, sed tanto excellentiorum, et in summo locatorum: erubesce quidquam humile aut vulgare, et mutatos in melius tuos flere. In aeterna rerum pervasta et libera spatia dimissos, non illos interfusa maria discludunt, nec altitudo montium, aut imae valles, aut incerta vada Syrtium; tramites omnia plani, et ex facili mobiles, et expediti, et invicem pervii sunt, intermixtique sideribus.

Inter felices currit animas. Senec. Tragic., Troad., act. I, vs. 158 : Elysii Nemoris tutis *errat* in umbris : *Inter*que *pias* felix *animas* Hectora quaerit.

Scipiones, Catonesque. Eadem heroum enumeratio in Callistr. odario de Harmod. et Aristog. : Φίλταθ' Ἁρμόδι', οὔ τί που τέθνηκας, Νήσοις δ'ἐν μακάρων σέ φασιν εἶναι, Ἵνα περ ποδώκης Ἀχιλεὺς Τυδείδην τέ φασιν Διομήδεα.

Vicinorum siderum. Non quorumdam, at omnium: iam enim astra omnia oculis tuis proxima sunt.

Monstratus. Indicatio.

Libera spatia. Gallic. *l'espace, le vide.*

Syrtium. Hoc nomine primum rupes appellavere quae sub undis ita latebant, ut naves iis impingerentur et illiderentur. Deinde partes maris quae iis rupibus infames erant Syrtes nominatae sunt; et duo potissimum distinguebantur, ambae in Africa, Syrtis maior, Syrtis minor.

Tramites omnia. I. e. per omnia, noto loquendi more : nisi forsan construendum sit : *Omnia sunt tramites*, etc. Lipsius em. *omnium*, sc. animarum, recte a Gronov. repressus, qui suo libro *tramites* abesse notat.

XXVI. Puta itaque ex illa arce caelesti patrem tuum, Marcia, cui tantum apud te auctoritatis erat, quantum tibi apud filium tuum, non illo ingenio, quo civilia bella deflevit, quo proscribentes in aeternum ipse proscripsit, sed tanto elatiore, quanto est ipse sublimior, dicere: Cur te, filia, tam longa tenet aegritudo? Cur in tanta veri ignorantia versaris, ut inique actum iudices cum filio tuo, quod in taedium versus vitae, ipse ad maiores se recepit suos? Nescis quantis fortuna procellis disturbet omnia? quam nullis benignam facilemque se praestiterit, nisi qui minimum cum
3 illa contraxerant? Regesne tibi nominem felicissimos futuros, si maturius illos mors instantibus subtraxisset malis? An Romanos duces, quorum nihil magnitudini deerit, si aliquid aetati detraxeris? an nobilissimos viros clarissimosque ad ictum militaris gladii composita cervice formatos? Respice patrem atque avum
4 tuum. Ille in alieni percussoris venit arbitrium. Ego

XXV. Ano. Pater felicitatem filii ibi commorantis praedicans inducitur.

Non illo ingenio, etc. Reminiscaris, quae de Cordo, auctore historiae de bello civili, qui Triumviros *proscribentes*, inprimis Lepidum et Antonium (Augusto enim pepercit), ipse *proscripsit*, i. e. infamiae posterorum tradidit, supra allata sunt.

Quod in taedium versus vitae. Sic Erasm.: at codd. *quod in te domus status in te ipse ad maiores recepit suos.* Edd. priscae cum Frobeniana priore: *quid in te domus status vitae.* Inde Lipsius fecit: *quod sine taedio, satur vitae ipse ad.* Gronov.: *quod vitae demonstratus ipse se ad.* Lectio vulgata nihili est. Recte enim Lipsius observat: *Atqui nullum Metilio vitae taedium erat: nec tale antea tetigit*; et ipse proponit: *quod sine taedio, satur vitae, ipse*, etc. Lipsii adeo codex τὸ *quod..... vitae* prorsus praetermisit. Ne cum Lipsio et Gronovio auctorem, non librarii socordiam emendare videar, manum abstineo a loco hoc corrupto.

Nisi qui minimum cum illa contraxerant. Iis quibus rarissimus congressus cum illa fuit, qui ipsius familiares nunquam fuere, quorum opes, dignitatem, voluptates nec secunda amplificavit nec adversa in deterius commutavit.

Regesne..... subtraxisset malis. Plurimi enim uno plus vixerunt die quam illis vivendum fuit.

An Romanos duces. Vt Scipio prior, Marius, Pompeius, XX, 4 sq.

Respice patrem, me Cordum, et

nihil in me cuiquam permisi, et cibo prohibitus ostendi quam magno me iuvat animo scripsisse. Cur in domo nostra diutissime lugetur, qui felicissime moritur? Coimus in unum omnes, videmusque, non alta nocte circumdati, nil apud vos, ut putatis, optabile, nil excelsum, nil splendidum: sed humilia cuncta, et gravia, et anxia, et quotam partem luminis nostri cernentia? Quid dicam, nulla hic arma mutuis furere con- 4
cursibus, nec classes classibus frangi, nec parricidia aut fingi, aut cogitari, nec fora litibus strepere dies perpetuos; nihil in obscuro, detectas mentes, et aperta praecordia, et in publico medioque vitam, et omnis aevi prospectum eventumque? Iuvabat unius seculi me facta componere, in parte ultima mundi, et inter paucissimos gesta: tot secula, tot aetatum contextum et seriem, quidquid annorum est, licet visere; licet surrectura, licet ruitura regna prospicere: et magnarum

avum tuum, qui civili bello aut proscriptione periisse videtur.

Quam magno me iuvat animo scripsisse. Sic Erasm. et plerique codd. Lipsius, ex sua coniect., *q. mag. an. scripsissem* Post *ostendi* punctum posuit Rukkopf, ut τὸ *quam.... scripsisse* membrum orationis per se constituerent, addita mirationis nota. Sed nec ullis MSS. aut codd. sic scriptum est, nec sensui convenit, quum tunc nihil sit in phrasi expressum quod *ostenderit.*

Coimus in unum (locum) *omnes* (avus, pater, filius), *videmusque*, *non alta nocte circumdati*, *nil apud.* Sic tres Palatini et omnes editi ante Erasm., Pincianusque. Et Colon. *videmus non alta nocte.* Cur vulgatum: *videmusque vos alta nocte circumdari*, praetulerint Lipsius et Gronov. equidem non video: praesertim quum mox sequitur: *quotam partem luminis nostri cernentia.* Quare in textum reduxi eo libentius, quod videram et I. M. Heusingerum Emendd. p. 243, 244, hanc eandem sententiam tuitum esse.

Quotam. Idem valet quod *quantulam.*

Classes classibus frangi. Navales pugnas commemorat.

Omnis aevi prospectum, eventumque. Malim *eventum*; in quibusd. enim MSS. *venientium* reperitur; in aliis *venientis.* Sensus patet: Et omnia tempora et omnium temporum eventus prospici; unicum quid et idem his verbis expressum: nam saecula omnia prospicere, nihil aliud est quam id prospicere quod per saecla omnia eveniet.

In parte ultima mundi. Quum novem orbibus vel globis connexa esse

5 urbium lapsus, et maris novos cursus. Nam si potest tibi solatio esse desiderii tui commune fatum, nihil quo stat loco stabit; omnia sternet, abducetque secum vetustas, nec hominibus solum (quota enim ista fortuitae potentiae portio est), sed locis, sed regionibus, sed mundi partibus ludet; tot supprimet montes; et alibi rupes in altum novas exprimet; maria sorbebit, flumina avertet; et commercio gentium rupto, societatem generis humani coetusque dissolvet. Alibi hiatibus vastis subducet urbes, tremoribus quatiet, et ex infimo pestilentiae halitus mittet, et inundationibus, quidquid habitatur, obducet, necabitque omne animal orbe submerso, et ignibus vastis torrebit
6 incendetque mortalia. Et quum tempus advenerit, quo se mundus renovaturus extinguat, viribus ista se suis caedent, et sidera sideribus incurrent, et omni flagrante materia, uno igne, quidquid nunc ex disposito lucet, ardebit. Nos quoque felices animae, et aeterna sortitae, quum Deo visum erit iterum ista moliri, labentibus cunctis, et ipsae parva ruinae ingentis accessio, in antiqua elementa vertemur. Felicem filium tuum, Marcia, qui ista iam novit. »

omnia putarent Stoici, telluri mediam quidem, sed imam sedem assignabant: Infima est, Paulus pater, in Somnio Scipion. 4, affirmat, h. e. pessima.

Desiderii tui. Sic legendum censet Lipsius, e melioribus libris. Sententia est: si hoc te solari potest quod sicut tu filium desideres, ita alii talia aut alia patiuntur, etc.

Vetustas. I. tempus. Quae hic de exustione mundi docentur, ea Zenonis, Cleanthis et Chrysippi decreta fuisse constat (Tiedemann *Geist der sp. Philos.* II, 466 sq.) At de inundatione mundi, quam exustio sequatur, nemo e Stoicis praeter nostrum h. l. et Nat. Quaest. III, 27 sq. exposuit.

Hiatibus. Lipsiani libri, *montibus.* An non *motibus*, ut ad terrae motionem spectet?

Ex disposito lucet. Quidquid ex mundi partibus et ordine tam bene disposito nunc lucet.

Nos quoque..... in antiqua elementa vertemur. De animarum aeternitate variabant Stoici, quorum alii sapientum duntaxat animas perennare, alii omnes duraturas esse usque ad mundi conflagrationem docebant. De his fuse Lipsius in Physiolog. stoica.

L. ANNAEI SENECAE

AD POLYBIVM

CONSOLATIO.

LIBER VNVS.

ARGVMENTVM

XX. Omnia et maxima, quin etiam mundus hic et ea quae in eo sunt, interitura sunt: proinde interitum singularum animarum noli queri.—XXI, XXII. Arrogantis enim esset poscere, ut tibi uni parcatur: quare patiaris, quae omnibus nobis communia sunt. Nec dolor quidquam proderit.—XXIII. Iam ingeniosa allocutione ad fortunam conqueritur calamitatem Polybio factam, egregie ad laudes eius fratrisque instituta.—XXIV. Sed quandoquidem his accusationibus fortunae nihil proficimus, omittamus: nam nec frater, nec ullus homo lacrymis delectatur. —XXV. Quid, quod fratribus tuis exemplo esse deceat: absondas itaque luctum.—XXVI. Accedit, quod hoc inferius esset dignitate, existimatione publica de te, atque adeo officio in Caesarem Claudium (cuius laudes, hac occasione data, celebrantur). —XXVII. Vt melius luctum vincas, in solitudine occupa te studiis.—XXVIII, XXIX. Praeterea neque tuo, neque fratris nomine lugere decet, hic enim felix est.—XXX, XXXI. Igitur gaudeas fratrem talem habuisse.—XXXII-XXXVI. Mors enim ad humanam sortem pertinet: quod ex operibus tuis disces, Homero, atque Virgilio. His dignum te praestes, et Caesare Claudio (quem laudibus onerat).—XXXVII. Ad haec Caesar ipse te consolabitur, incommodis, quae familiae suae acciderunt, enarrandis.—XXXVIII. Redit denique ad studia commendanda, etc.; usque ad fin.

Polybius, ad quem haec consolatio missa est, libertus Claudii Caesaris fuit a studiis, a quo post Narcissum maximi aestimatus esse narratur (Dio Cass. *lib.* LX, 29, 31. Sueton. Claud. 28). *Innocentissimus et eruditissimus fuit, si Nostrum audias: Suetonio tamen et Dione referentibus improbus homo. Interfectus est, Messalinae, qua cum familiarissime vixerat, machinationibus,* a. V. C. 800. (Dio Cass. LX, 31 init.) *Consolatio vero haec composita est, quum Polybius morte fratris sui optimae indolis et spei iuvenis vel maxime afflictus esset,* anno V. C. 794, *quum in eo esset Claudius, ut Germaniam pacaret, et Britanniam aperiret* (vid. c. 32, 2, coll. Dio Cass. LX, 8, 19; Sueton. Claud. 25). *Nam, anno* 794, *Sulpicius Galba Cattos, et Publius Gabinius Chaucos vicerat, et de Britannis subiugandis, auctore Berico, exsule Britanno, qui Romae auxilium petiturus confugerat, cogitabatur. Quam rem Aulus Plautius cum legatis*

Flavio Vespasiano eiusque fratre Sabino, anno V. C. 796 *perfecit* (Dio Cass. LX, 19, 20). *His rationibus historicis diligenter comparatis cum* cap. 37, 7, *facile est ad intelligendum*: Senecam auctorem huius Consolationis esse non posse, *quippe qui eodem anno extremo, quo hae spes Romae concipi coeperunt, in exsilium missus narratur* (Dion. Cass. LX, 8 med.). *Nam cap.* 37, 7, *auctor de se narrat, longo iam situ obsoleto et hebetato animo sese haec composuisse; ut saltem Claudio imperium modo obtinente in exsilium missus esse videatur auctor. Atqui Seneca non ita longe ante aut post haec consilia bellica urbe egressus esse videri potest. Deinde cap.* 31, 4, *et* 32, 1, *inspectis et comparatis, patet, Claudium imperium nuper obtinuisse*: «*Patere, ait auctor, fortuna, quidquid prioris principis* (*dicit autem Caligulam*) *furor concussit*, (*Claudium*) *in locum suum restituere ac reponere.*» *Quae quidem de principe recenti tantummodo dici cum laude posse, quivis intelliget. Eo spectant quoque verba* (ibid. § 3.) *de Claudii misericordia, qua complures exsules revocaverit: at haec nonnisi in primum imperii Claudiani annum cadit* (Dio Cass. LX, 4, init.). *Ipsa auctoris laetitia de Claudii filio Britannico, quem ei Messalina vigesimo imperii die* (Suet. Claud. 27) *pepererat, rationes nostras confirmat. Denique causae internae adsunt, quae evincant, hunc foetum adulatoris quidem et proiecti hominis, non Senecae esse. Quis enim Stoicus, ut quaedam tantum afferam, tam dubitanter et supine et quidem homini docto, quem Polybium fuisse nulli dubitamus, dixerit, quae cap.* 20, 2: «*Mundo... demerget*» *et cap.* 37, 4: «*Et scio... compulisset*» *leguntur? In his nempe Seneca sine ulla ratione sibi ipse contradiceret, et vincta sua ipse absurdissime caederet, quod numquam a quoquam mihi persuaderi patiar. Deinde quis credat Senecam, virum quadraginta fere annos iam natum de sententia, quam usquequaque non sine laude tuitus erat, tam turpiter destitisse, et laudasse hominem, cui non ita longe post, et alibi, et in celebri apocolokyntosi tot tantasque notas turpitudinis inusserit? Mihi certe exploratum est, Senecam tam abiecto animo haudquaquam fuisse, ut de innocentia morum parum sollicitus quocunque pretio liberationem exsilii redimere potuerit. Num Tacitum alioqui severum morum arbitrum has proiectissimi animi notas in Senecae ingenio moribusque vel ab eius adversariis, e. c. Suilio* (Annal. XIII, 42) *vel a semet* (Annal. XV, 62 sq.) *declarandis putemus praetermisisse? Ipse contra Tacitus* (Annal. XV, 62 init.) *refert ut e sua persona, Senecam mo-*

Digitized by Google

rientem, quod unum iam attamen pulcherrimum habuisset, imaginem vitae suae amicis relinquere : et cap 61 ei. lib. Seneca de semet : « Nec sibi, ait, promptum in adulationes ingenium. Idque nulli magis gnarum, quam Neroni, qui saepius libertatem Senecae, quam servitium expertus esset.»

Haec posteriora, ne quidquam celem, a Dideroto quoque leviter perstricta video, rationibus historicis, quarum praecipuus in hac re usus esse videtur, ne verbo quidem commemoratis. Atque vereor, ut eius defensio Senecae maiorem virorum harum rerum veritorum applausum nacta sit, quam censura defensionis 1 *in margine laudata. Denique nec Dionis Cassii hoc loco obliviscendum nobis est. Qui quum Senecae (lib. 59, 19) satis honorificis verbis meminisset, postea lib. 61, 10, sibi tam parum constat, ut eum conviciis acerbissimis consectetur, ideoque posteris vel plurimis ansam offerret satis amplam, pessima quaeque in Senecam effundendi, excepto doctiss.* Shaftesbury (Charackteristicks, *III, p. 24 not.*), Sallies (Mém. de l'Acad. des Inscript. *T. VIII, p. 228*) *al. Ex illo Dionis iudicio infensiore spectat huc accusatio haecce: « Senecam exsilii sui pertaesum ex insula, in qua » exsulabat, Romam misisse libellum, in quo Messalinam et » Claudii libertos adulatus esset, quem tamen libellum, postea- » quam in summum fere honoris fastigium escenderat, pudore » motus supprimere tentavisset.» Iam hunc librum adhuc exstare atque adeo nostram esse Consolationem, ad unum fere omnes pronuntiaverunt. Enimvero equidem hoc loco non satis mirari possum, quomodo tandem factum sit, ut viri docti, inque iis Fabricius potissimum atque Ernesti, in hanc sententiam inclinare potuerint. In Consolatione enim, ut breviter rem perstringam, nulla Messalinae fit mentio, nec, praeter unum Polybium, reliquorum libertorum : deinde Claudii ibi laudes reperiuntur, de quibus tamen silet Dio Cassius, qui profecto hoc non praetermisisset, quandoquidem eo novam nactus esset materiam, Senecam, auctorem apocolokyntoseos, foedissimo convicio proscindendi. Neque vero obiici debet, haec omnia in priore parte Consolationis, nunc perdita, occurrisse, quum cuivis libellum non cupide perlegenti manifestum sit, tum ex initio illo nonnisi perpauca eaque introitus ergo posita periisse, tum vero etiam locum*

1. *Essai sur la vie de Sénèque*, etc., *par* D. Diderot. Conf. Addimenta ad Ephemerides litterar. Gottin. anni 1780, num. 41, p. 641 sq. Censura ibi huius operis exstat docta, eaque severior Meinersii.

Digitized by Google

quam maxime idoneum et Messalinae et libertis Claudii laudandis post Claudii laudes esse debuisse. Hoc per se patet, et ex ratione veterum vulgata Consolationes componendi, ut videlicet praeceptis prior, exemplis secundus locus plerumque a Rhetoricae doctoribus tribueretur (*v.* **Consol. ad Marciam 2, 1**), *in oculos se ingerit.*

Ceterum tam cupidum me non esse pronuntio, ut prorsus negaverim, nullum talem librum a Seneca esse compositum, qualem Dio Cassius memoravit. Peropportune enim memor sum sententiae a Seneca prolatae (**De constantia Sapientis, cap. 14, 2**): «*Quid ergo? Sapiens non accedet ad fores, quas durus ianitor* » *obsidet? Ille vero, si res necessaria vocabit, experietur,* » *et illum, quisquis erit, tanquam canem acrem, obiecto cibo* » *leniet, nec indignabitur, aliquid impendere, ut limen transeat,* » *cogitans et in pontibus quibusdam pro transitu dari.*» *Quae si ad miserum vitae statum, quo in Corsica angebatur, referamus, nulli dubitabimus, quin praeclararum in Consol. ad Helv. occurrentium sententiarum prorsus immemor, sibique ideo non satis constans, quovisque pretio libertatem redempturus, libellum illum a Dione eiusque epitomatore Xiphilino* (*qui adeo plures libellos laudationum,* ἐγκώμια, *ex uno Dionis, ut fieri solet, conflavit, p.* 694) *memoratum commode conscripserit.*

Nisi itaque omnia me fallunt, in eam sententiam inclinem atque propendeam necesse est, ut libello laudationis isto prodito, nullus in Senecae scriptis hodieque exstet, ad quem Dionis Cassii locus commemoratus reduci possit: nostra vero Consolatio ad Polyb. ab alio quopiam nobis plane incognito homine eoque exsule composita sit eo tempore, quo Senecae exsilium vix incepisset.

His rationibus moveor, ut contra Lipsium (*dixit autem in Argumento huic Consolationi praemisso: Senecae hoc scriptum esse, negare non licet; editioni destinatum ab eo non arbitror, sed pro praesenti forma abiecte et demisse scriptum, ad servulum, heu, quot laudibus exornatum! Pudet, pudet: inimicus Senecae fuit, et gloriae eius, quisquis vulgavit!*) *Senecae hanc Consolationem abiudicem.*

Auctorem tamen hominem fuisse doctum existimo, et litteris exculto ingenio, cui eo nomine excusationem aliquam deprecer, quod Claudiani imperii initium satis mansuetum optima quaeque polliceretur.

L. ANNAEI SENECAE
AD POLYBIVM
CONSOLATIO.
LIBER VNVS.

XX... Nostra corpora compares, firma sunt: si redigas ad conditionem naturae omnia destruentis, et unde edidit eodem revocantis, caduca sunt. Quid enim immortale manus mortales fecerint? Septem

1. Liber acephalus, sive capite defectus, quod quivis videt: sed tantusne hiatus ut hic numerus XX praefert? Nam ita desint cap. XIX, i. e. plus altera libri parte: mihi non credendum. Immo vero quum rem considero, panca requiri censeo, et pleraque in istis exsequi Nostrum video, quae ad plenam consolationem. Vnde ergo hic numerus tam grandis? Dicam, quod rideas. Hic liber in plerisque scriptis illi *de brevitate vitae* subiungitur, immo coniungitur, quasi unum idemque scriptum sit. Qui igitur dispararunt, bene sane: sed hoc non bene aut considerate, quod numeros eosdem tenuerunt capitum, quibus connecti cum illo solet. Nam ecce XX caput ultimum est libelli modo dicti: ergo hic eumdem numerum apposuerunt. Error clarus, nec mutavi tamen. Quid opus? Tum enim citationes nos fallant quae vulgo sic conceptae. *Lipsius.*

XX. Aug. Quidquid in terris splendidissimum atque amplissimum est, monumenta, urbes, terra ipsa, immo et orbis universus, resolvetur in cineres et chaos: quam iustius nos affligemur! quam iniustius conqueremur!

Nostra corpora... sunt. De operibus magnis, quibuscum corpora nostra comparaverat auctor, hic sermonem esse, sequentia docent. Ait ergo Annaeus hominum monumenta excelsissima aliquatenus firma, caduca aliquatenus esse: firma, si hominum vitae ea conferas, quibus tantillum degere in terris rerum natura indulsit; caduca, si dierum, annorum, temporum seriem infinitam comple-

illa miracula, et si qua his multo mirabiliora sequentium annorum exstruxit ambitio, aliquando solo aequata visentur. Ita est: nihil perpetuum, pauca diuturna sunt; aliud alio modo fragile est: rerum exitus variantur: caeterum quidquid coepit, et desinit. Mundo quidam minantur interitum, et hoc universum, quod omnia divina humanaque complectitur, si fas putas credere, dies aliquis dissipabit, et

xus, immenso et aeterno aevo pauculos dies opponas, per quos illa quae nos creavimus mansura sunt.

Septem illa miracula. Sunt muri Babylonii, templum Dianae Ephesi, statua Iovis Olympiae a Phidia confecta, Pyramides, sepulcrum Mausoli, colossus Rhodius et horti pensiles Babylone. Placuit quibusdam addere Cyri regiam, Alexandriae turrim ad Pharon, Alexandri thronum, labyrinthos, templum Dei Hierosolymis, Apollinem in Delo, et cornutum Ammonem; ita ut non iam septem, sed bis septena miracula numerentur. Caeterum priora septem magis celebrantur, et Alexandrina turris, cui septimus locus datur, in unum iunctis Babyloniis hortis et muris. De his exstat Epigramma ingeniosum in dialecto dorica conscriptum, in Anthолog. lib. I, cap. 54, pag. 71. H. Stephan. καὶ κρανᾶς Βαβυλῶνος, etc. Vid. quoque Philonis Byzantii lib. de septem orbis spectaculis qui insertus est a Iac. Gronov. VIII Tom. Antiquitat. Graec. Cui adiicias Diodorum Siculum, Philandrum, Hyginum fab. CCVII, et Cassiod. Var. VII.

Multo mirabiliora.... ambitio. Spectant haec forsan ad septem monumenta quae modo scripsimus miraculis a quibusdam adiuncta, ita ut pro septem iam bis septena occurrant. Malim tamen cum plerisque credere designari ab Seneca urbis romanae opera, Capitolium, viam Appiam, Amphitheatra, Thermas, quamquam post Annaeum multa magis forsan miranda exstruxit principum prodiga munificentia.

Nihil perpetuum.... desint. Pythagorae primum, mox omnibus philosophis recepta opinio. Ovid. l. XV, v. 177: *Nihil est toto quod perstet in orbe, Cuncta fluunt*, etc. Mox, eodem libro, vs. 234: *Tempus edax rerum, tuque invidiosa vetustas... Paulatim lenta consumitis omnia morte. Haec quoque non perstant quae nos elementa vocamus.* Sed et vide libri dimidiam fere partem a versu 60 ad 478.

Mundo quidam. Stoici, deflagratione mundi. Nat. Qu. VI, 28 sqq. Stoici antiquiores igne aliquando mundum putabant consumptum iri, quoniam igni originem debeat. Seneca vero hac parte a Stoicis discedit, et aquam substituit, l. l. Vid. Lucan. Pharsal. lib. I init. et Lucret. cuius ad locum respicit Naso, Amorum lib. I, eleg. ultim.: *Carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti, Exitio terras quum dabit una dies.*

Universum. Hoc iam (supra) vidimus pro *mundo* usitatum. Item Graecis τὸ πᾶν.

Digitized by Google

in confusionem veterem tenebrasque demerget. Eat nunc aliquis, et singulas comploret animas; Carthaginis ac Numantiae Corinthique cinerem, et si quid altius cecidit, lamentetur; quum etiam hoc, quod non habet quo cadat, sit interiturum. Eat aliquis, et fata, tantum aliquando nefas ausura, sibi non pepercisse conqueratur.

XXI. Quis tam superbae impotentisque arrogantiae est, ut in hac naturae necessitate, omnia ad eumdem finem revocantis, se unum ac suos seponi velit, ruinaeque, etiam ipsi mundo imminenti, aliquam domum subtrahat? Maximum ergo solatium est, cogitare id sibi accidisse, quod ante se passi sunt omnes, omnesque passuri: et ideo mihi videtur rerum natura, quod gravissimum fecit, commune fecisse, ut crudelitatem fati consolaretur aequalitas. Illud quoque te 2

In confusionem veterem. Chaos. Lucanus, Pharsal. lib. I, vss. 72 sqq.: *Sic quum compage soluta Saecula tot mundi suprema coëgerit hora*, Antiquum repetens iterum Chaos.

Carthaginis ac Numantiae Corinthique. Quas urbes igne absumptas nemo ignorat, primam quidem et tertiam eodem anno (ab V. C. 608, ante Ch. N. 146), alteram vero a. V. C. 621; ant. Ch. 133.

Cinerem. Apte quidem de iis civitatibus quae concrematae fuerunt; sed notandum τὸ *cinerem* pro *cineres*, quod apud Latinos audacius foret quam apud nos hodie est.

Lamentetur. Κατ' εἰρωνειαν: Effundimini nunc in lacrymas ob viri unius, imo ob urbium multarum clades, quum et orbi ipsi exitium impendeat; civitates pulcherrimae et potentissimae, quantulum sunt, si universo comparaveris!

Quum et iam... cadat. Universum scilicet. Nam omne in quid cadet? si quid est in quod ruens incumbat, non omne ruit.

XXI. Ano. Eamdem sententiam persequitur. Quum ruinae et ipsi mundo immineant, ferenda sunt quae fatum dederit. Dolor itaque nihil proderit. Tamen tua causa conquerar fortunam. Et interpellabo; quamquam quid tibi illa eripuit? Qua allocutione ad fortunam ingeniosa egregie utitur ad Polybium laudibus celebrandum.

Domum. H. e. familiam.

Quod gravissimum fecit. Mortem nempe quae hominum multitudini necessitatum saevissima est. Nec hic credideris Senecam Stoicae constantiae parum memorem, quum sic morte coram videatur exhorrescere. Quod sentit vulgus, hoc loco exprimit, non quod ipse sentit et sentiendum arbitratur.

non minimum adiuverit, si cogitaveris nihil profuturum dolorem tuum, nec illi quem desideras, nec tibi; noles enim longum esse, quod irritum est. Nam si quidquam tristitia profecturi sumus, non recuso, quidquid lacrymarum fortunae meae superfuit, tuae fundere. Inveniam etiamnunc per hos exhaustos iam fletibus domesticis oculos quod effluat, si modo id
3 tibi futurum bono est. Quid cessas? conqueramur, atque adeo ipse hanc litem meam faciam: «Iniquissima omnium iudicio fortuna, adhuc videbaris ab eo homine te continuisse, qui munere tuo tantam venerationem receperat, ut, quod raro ulli contingit,
4 felicitas eius effugeret invidiam. Ecce eum dolorem illi, quem salvo Caesare accipere maximum poterat, impressisti: et quum bene illum undique circumisses, intellexisti hanc partem tantummodo patere ictibus tuis. Quid enim illi aliud faceres? pecuniam eriperes? nunquam illi obnoxius fuit; nunc quoque quantum potest, illam a se abiicit, et in tanta felicitate acqui-

Illud quoque. Laudat Lipsius Philemonis simile dictum egregium (ap. Brunc. Gnom. poët. graec. p. 197, XIV). Cf. Gatak. ad Antonin. p. 273, 274.

Nec illi quem desideras. Hor. lib. I, Od. 24, vss. 13 sqq. *Quod, si Threicio blandius Orpheo.... Non vanae redeat sanguis imagini Quam virga semel horrida.... Nigro compulerit Mercurius gregi.*

Quidquid lacrymarum fortunae meae superfuit. Quas lacrymas non absumpsi in mea ipsius sorte deploranda. Memento autem hoc ipso tempore exsulasse Nostrum in Corsica insula.

Per hos exhaustos..... oculos. Seneca aliter se gessit in exsilio: cf. Cons. ad Helv. XVII, 7: *luctum et alacrem velut optimis rebus me cogita.* Quomodo igitur, si hanc Cons. ipse scripsisset, de *exhaustis fletibus oculis* locutus esset?

Hanc litem meam faciam. Quum litem cum fortuna sustines, una tecum ego sustinebo, et quasi ipse afflictus eodem ictu essem, iniquam incusabo et bis alloquar.

Ecce..... impressisti. Salvo Caesare nullus dolor esse tantus videbatur, ut eo opprimeretur: at tu tamen tangere nosti.

Quum bene .. circumisses. Ut perspiceres an esset in illo aliquid quod minus munitum et clausum adversus impetum tuum foret et facilius vulneraretur.

Obnoxius fuit. H. e. illi famulatus est.

In tanta felicitate acquiescendi. Pro

rendi, nullum maiorem ex ea fructum, quam contemptum eius petit. Eriperes illi amicos? sciebas tam amabilem esse, ut facile in locum amissorum posset alios substituere. Vnum enim hunc ex his, quos in principali domo potentes vidi, cognovisse videor, quem omnibus amicum habere quum expediat, magis tamen etiam libet. Eriperes illi bonam opinionem? 5 solidior est haec apud eum, quam ut a te quoque ipsa concuti posset. Eriperes bonam valetudinem? sciebas animum eius liberalibus disciplinis, quibus non innutritus tantum, sed innatus est, sic esse fundatum, ut supra omnes corporis dolores emineret. Eriperes spiritum? quantulum nocuisses? longissimum 6 illi aevum ingenii fama promisit. Id egit ipse, ut meliore sui parte duraret, et compositis eloquentiae praeclaris operibus, a mortalitate se vindicaret. Quam-

felicitate Lipsius coni. *facilitate*. Sensus est: quum aptissimum locum sortitus sit ad divitias congerendas, etc.

Contemptum petit. At contra multas ille opes adeptus est; si historico maior fides habenda sit, quam adulatori. Conf. Sueton. Claud. 28 fin., et Dion. Cass. lib. LX, cap. 29.

In principali domo potentes. I. e. qui excelsum locum in imperatoris domo, non in civitate occupant; istiusmodi viris autem plerumque arrogantiae et contumaciae plus etiam erat quam principi. Id aperte declarat Martialis lib. IX, epigr. LXXX, cuius id initium est: *Oderat ante ducum famulos, turbamque priorem, Et Pallatinum Roma superciliuum.*

Expediat.... libet. Duo sunt in amicitia Polybii, utilitas et voluptas; at voluptas longe maior est quam utilitas, et amatur ille, non quod dives aut praepotens, sed quod amabilis summopere est.

Fundatum. Confirmatum, et inconcusso fundamento nixum.

Meliore sui parte duraret. *Meliore* hic non est, ut multoties, *maiore*, sed *altiore*, excellentiore. Similiter Ovid. Metamorph. lib. XV, vs. 875: *Parte tamen* meliore *mei super alta perennis Astra ferar*. Et Martialis lib. X, epigramm. 11: *Pigra per hunc fugies ingratae flumina Lethes, Et* meliore *tui parte superstes eris*.

Praeclaris operibus. Quae sint illa Polybii opera fusius Noster exponit infra capite 26 ad fin., et cap. 30.

Id egit ipse..... ut... a mortalitate se vindicaret. Quamvis tam magnifice de Polybii scriptis loquatur noster auctor, ita tamen oblivione haec oppressa sunt, ut, nisi hic libellus servatus esset, ne sciremus quidem Polybium hunc aliquid composuisse; cf. infra cap. 26, §. 6; 30, §. 4.

diu fuerit ullus litteris honor, quamdiu steterit aut Latinae linguae potentia, aut Graecae gratia, vigebit cum maximis viris, quorum se ingeniis vel contulit, vel, si hoc verecundia eius recusat, applicuit.

XXII. Hoc ergo unum excogitasti, quomodo illi maxime posses nocere. Quo melior enim est quisque, hoc saepius ferre te consuevit, sine ullo delectu furentem, et inter ipsa beneficia metuendam. Quantulum erat, tibi immunem ab hac iniuria praestare eum hominem, in quem videbatur indulgentia tua ratione certa pervenisse, et non ex tuo more temere incidis-
2 se! » Adiiciamus, si vis, ad has querelas, ipsius adolescentis interceptam inter prima incrementa indolem. Dignus fuit ille te fratre: tu certe eras dignissimus, qui nec ex indigno quidem quidquam doleres fratre. Redditur illi testimonium aequale omnium hominum;

Latinae..... gratia. Voluere omnes fere, e quibus ipse *Ruhkopf*, hic per τὸ *potentia* designari Romani sermonis dignitatem et sedatam maiestatem: quod, aiunt illi, perspicuum erit, si τὸ *gratia* advertas; nam liquet Annaeo in his placuisse ἀντίθετον, quae evanesceret si *potentiae* alius sensus foret. At *gratia* hic non idem sonat ac lepos, commoditas, elegantia, sed idem ac illecebrae, et hac voce indicatur *placere* Graecam linguam, dum priore verbo (potentiae) innuitur Romam ubique *imperare*. Nam linguarum quasi peregrinatio mutua evenerat: Romane loqui aliis gentibus imperatum fuit; Graece loqui Romanis collibuit. Caeterum eadem est sententia Ovidii in eadem materia, quum dicit (Metam. lib. XV, vers. 877): *Quaque patet domitis Romana potentia terris, Ore legar populi.*

Maximis viris contulit.... applicuit. Hi maximi viri sunt Virgilius et Homerus, quos, ut plane dicit cap. 26 fin., in alienam linguam, prosa usus, verterat. Iis ergo comitem sese addixit, aut si comitem se dicere non ausit, pedissequum. Nam se alicui confert, qui comitatur; se applicat, qui sequitur.

XXII. Arg. Pergit fortunam saevitiae et iniquitatis insimulans. Dein ipsum Polybium allocutus, fratris virtutes commendat. Mox in querelas et fatorum incusationem revolutus, fortunae rursus bellum indicit, quae Polybium male habere ausa sit.

Ferre te. Tuis ictibus saepius obiici.

Ratione certa. Iuste, consilio quodam adhibito et post delectum quemdam.

Tu. Polybi; amicum nunc alloquitur, non iam fortunam.

Qui nec ex indigno..... fratre. H. e. etiamsi scelestus et te indignus

Digitized by Google

desideratur in tuum honorem, laudatur in suum: nihil in illo fuit, quod non libenter agnosceres. Tu quidem etiam minus bono fratri fuisses bonus: sed in illo pietas tua idoneam nacta materiam, multo se liberius exercuit. Nemo potentiam eius iniuria sensit, 3 nunquam ille te fratrem ulli minatus est. Ad exemplum se modestiae tuae formaverat, cogitabatque quantum tu et ornamentum tuorum esses, et onus. Suffecit ille huic sarcinae. O dura fata, et nullis aequa virtutibus! antequam felicitatem suam nosset frater tuus, exemptus est. Parum autem me indignari scio: nihil est enim difficilius, quam magno dolori paria verba reperire. Iam nunc tamen si quid proficere 4 possumus, conqueramur. « Quid tibi voluisti, tam » iniusta et tam violenta, fortuna? Tam cito indul- » gentiae tuae te poenituit? quae ista crudelitas est? » in medios fratres impetum facere, et tam cruenta » rapina concordissimam turbam imminuere, tam » bene stipatam optimorum adolescentium domum, aliquando frater exstitisset, non tamen illius causa tibi debuit sors dolorem iniicere; aequum erat, si non ob ipsius virtutem, certe ob tuas, fratri fata parcere. Vide infra, eod. §.: *tu.... etiam* minus bono *fratri fuisses bonus.*

Idoneam materiam. Quae doloris et desiderii plurimum animo infunderet, dum tot et tantas dotes reminisceris, tot optimi ingenii testimonia, tot felicissimae indolis innatas, virtutes, tot spes intercisas.

Te fratrem.... minatus est. Neque unquam, si quando superbiret aut insaniret, aliquem minax iussit recordari sibi praesto esse fratrem in domo imperatoris potentissimum, cuius ministerio facillime posset adversantium odium ulcisci aut aemulos superare.

Onus. I. ei necessitatem tui imitandi imposuisti. De hac vi *oneris*, *onerare* in Lexicis non observata elegantiore confer I. M. Heusingerum ad Cicer. de Offic. lib. III, cap. 2, 5, ubi multa exempla ex Plinio iuniore laudat, Nostro tamen praetermisso.

Exemptus est. H. e. abreptus, praereptus est hac terra.

Tam iniusta et tam violenta, fort. Comma credidi *post violenta* aptius positum iri: nam iniusta et violenta non in vocativo sensu usurpavit Noster, sed in nominativo, quasi dixisset: O fortuna, quae tam iniusta et violenta es.

» in nullo fratre degenerantem, turbare, et sine ulla
» causa delibare voluisti? Nihil ergo prodest innocen-
» tia ad omnem legem exacta, nihil antiqua frugalitas,
» nihil felicitatis summae potentia, summa conservata
» abstinentia, nihil sincerus et tutus litterarum amor,
» nihil ab omni labe mens vacans? Luget Polybius,
» et in uno fratre, quid de reliquis possis, admoni-
» tus, etiam de ipsis doloris sui solatiis timet; faci-
» nus indignum! luget Polybius, et aliquid propitio
» dolet Caesare! hoc sine dubio impotens fortuna
» captasti, ut ostenderes neminem contra te, ne a
» Caesare quidem, posse defendi. »

XXIII. Diutius accusare fata possumus, mutare non

Delibare. Primitias quasi et flosculos e numerosa domo demetere.

Nihil ergo, etc. Adulationis formam certe ingeniosam invenies, etiamsi ipsum adulatorem contemnas.

Antiqua frugalitas. Pro *antiquorum temporibus usitata frug*. Antiquus saepe apud eius aetatis scriptores reperitur pro *severus*, *castus*, *sobrius*. Martial. lib. I, epigramm. LXIV: *Casta nec antiquis cedens Lucrina Sabinis*.

Felicitatis summae potentia. Num ait potentiam prosperis rebus innectam? num modestiam eam viri qui sui compos etiam in excelso loco affectus suos regit? neutrum: *potentia* hic idem valet ac *possessio*, et a *potiundo* derivatur.

Sincerus et tutus. omnium libr. lectio, bene servata a Gronov. Muretus *putus*; quod Lipsius approbavit et in textum recepit. Pincianus: *sincerus ex toto*. — *Tutus*. Quid est amor literarum tutus? Amor firmus quem nil loco movet, nil concutit, nil mutat, nil moratur. Si quis enim tali amore literas prosequatur, huic amori nihil est periculi neque a rebus, neque ab hominibus; periclitaretur autem si posset aut loco moveri aut frigescere, etc.

Etiam,... timet. Ne iterum saeviens aliquem ex iis rapias qui quum fratri superstites evaserint, aliquo modo Polybii dolorem allevant et minuunt.

Luget Polybius et aliquid... Caesare. Infortunium maximum est, lugere, quum Caesar propitius sit, quam in summo felicitatis gradu constitutus sis. Lipsius merito haec inepta vocat.

XXIII. ARG. Revocat se a querelis et fletibus qui flenti prorsus inutiles sunt; iubetque caeteros mortalium contempletur quorum nulli non est causa cur doleat perpetuum et in lacrymas erumpat: mox ad moeroris inanitatem redit, et inutiles gemitus etiam ei esse dicit cuius in fatum ingemiscimus.

Mutare fata *non possumus*. Haec tria verba Lipsius adiecit ex suo libro.

Digitized by Google

possumus: stant dura et inexorabilia; nemo illa convicio, nemo fletu, nemo causa movet: nihil unquam parcunt ulli, nec remittunt. Proinde parcamus lacrymis nihil proficientibus; facilius enim nos illi dolor iste adiiciet, quam illum nobis reducet. Qui si nos torquet, non adiuvat; primo quoque tempore deponendus est, et ab inanibus solatiis, atque amara quadam libidine dolendi, animus recipiendus. Nam lacrymis nostris, ni ratio finem fecerit, fortuna non faciet. Omnes agedum mortales circumspice: larga ubique flendi, et assidua materia. Alium ad quotidianum opus laboriosa egestas vocat; alium ambitio nunquam quieta sollicitat; alius divitias, quas optaverat, metuit, et voto laborat suo; alium sollicitudo, alium 2
labor torquet, alium semper vestibulum obsidens turba; hic habere se dolet liberos, hic perdidisse. Lacrymae nobis deerunt, ante quam causae dolendi. Non vides, qualem vitam nobis rerum natura promiserit, quae primum nascentium omen fletum esse vo-

' *Causa*. Cause non hic oratio causidici, sed insta ratio, gallice: *des motifs, de bonnes raisons*.

Illi. Scil. mortuo.

Facilius..... reducet. H. e. prius nos qui vivimus, moriemur, quam mortuo vitam restituemus: quamquam prae dolore mori, res admodum rara est, et forsan prorsus inaudita. At id ipsum vim addit sententiae: nunquam, ait, prae dolore aliquis moritur; sed potius hanc ob causam mille homines morerentur, quam unus revivisceret.

Voto laborat suo. Torquetur eo, quod optaverat. *Lips*.

Vestibulum semper obsidens turba. In vestibulis enim et atrio stabat omnibus diebus clientium multitudo qui patronum salutaturi, rogaturi, deducturi affluebant. Ipse Noster, Consolat. ad Marc. cap. X init.: *Ampla atria, et exclusorum clientium turba referta vestibula*; ubi vide not. Nec tamen minus officii istius sui eos quoque taedebat qui superbas fores adibant. Audi Martial. lib. X, ep. 74, vss. 1 sqq. *Iam parce lasso, Roma, gratulatori, Lasso clienti: quamdiu salutator Anteambulones inter et togatulos Centum merebor plumbeos die toto*. Item lib. XI, epigr. XXIV: *Dum te prosequor et domum reduco, Atque aurem tibi praesto garrienti, et quidquid loqueris facisque laudo, Quot versus poterant, Labulle, nasci?*

Non vides. Vide, quomodo Seneca haec extulerit Consol. ad Marc. cap. XI.

luit? Hoc principio edimur, huic omnis sequentium annorum ordo consentit; sic vitam agimus: ideoque moderate id fieri debet a nobis, quod saepe faciendum est: et respicientes, quantum a tergo rerum tristium immineat, si non finire lacrymas, at certe
4 reservare debemus. Nulli parcendum est rei magis quam huic, cuius tam frequens usus est. Illud quoque te non minimum adiuverit, si cogitaveris, nulli minus gratum esse dolorem tuum, quam ei cui praestari videtur. Torqueri ille te aut non vult, aut non intelligit; nulla itaque eius officii ratio est, quod ei cui praestatur, si nihil sentit, supervacuum est: si sentit, ingratum.

XXIV. Neminem toto orbe terrarum esse, qui delectetur lacrymis tuis, audacter dixerim. Quid ergo? quem nemo adversus te animum gerit, eum esse tu credis fratris tui, ut cruciatu tuo noceat tibi; ut te velit abducere ab occupationibus tuis, id est, a studio,

Nascentium omen fletum esse voluit. Similis fere Plinius, N. H. lib. VII, cap. 1: *hominem tantum nudum et in nuda humo, natali die abiicit ad vagitus statim et ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrymas, et has protinus vitae principio.* Et paulo infra: *flens animal caeteris imperaturum.*

Nulli parcendum..... frequens usus est. Puero et sophista magis digna sententia quam Seneca; delicatissimum tamen et ingeniosissimum id erat, quod paulo ante his consentaneum legisti, nempe: *Lacrymae nobis decerunt, antequam causae dolendi.*

Aut non vult. At quam ob causam ille non vult? Credis forsan Senecae hunc videri beatitudinis summae compotem, ita ut hoc δύκημα amico proponat: aut beatus frater tuus est, aut nullus est: si beatus, te dolere vetat; si nullus, quid eum lacrymae iuvant? At haec quae cap. 24 init. dicit, rem perspicuam facient.

XXIV. Anc. Nec frater lacrymas poscit: sis exemplo reliquis fratribus et abscondе luctum.

Neminem.... dixerim. Elogium grande sane: utinam omnes merito audirent quibus permisit fortuna divitias et immensam potentiam! Nam iis quam facile est nocere, aut ut verius dicam, quam difficile est non nocere, quum liceat simul et nonnunquam libeat! At his laudibus neque dignus Polybius fuit, neque qui eodem in fastigio locati sunt, sese exornari student.

A studio. Id est: a studiis literarum. Eius occupationes continebantur bo-

et a Caesare? Non est hoc simile veri. Ille enim indulgentiam tibi tanquam fratri praestitit, venerationem tanquam parenti, cultum tanquam superiori; ille desiderio tibi esse vult, tormento esse non vult. Quid itaque iuvat dolore intabescere, quem si quis defunctis sensus est, finiri frater tuus cupit? De alio 2
fratre, cuius incerta posset voluntas videri, omnia haec dubie ponerem, et dicerem: Sive te torqueri lacrymis nunquam desinentibus frater tuus cupit, indignus hoc affectu tuo est; sive non vult, utrique vestrum inertem dolorem dimitte; nec impius frater sic desiderari debet, nec pius sic velit. In hoc vero, cuius tam explorata pietas, pro certo habendum est, nihil esse illi posse acerbius, quam hic si tibi casus eius acerbus est, si te ullo modo torquet, si oculos tuos, indignissimos hoc malo, sine ullo flendi fine et conturbat idem et exhaurit. Pietatem tuam tamen nihil aeque a lacrymis tam inutilibus abducet, quam si cogitaveris, fratribus te tuis exemplo esse debere, fortiter hanc fortunae iniuriam sustinendi. Quod duces

nis artibus et munere quod Caesari praestabat. Lipsius ait: alludit ad munus eius: erat enim hic Polybius Principi suo a studiis, ut Suetonio dicitur cap. 28. Quod tamen non ita capiendum, ut libris modo cum Claudio vacaverit, sed immo *libellis et desideriis hominum capiendis, disponendis, suggerendis*, quod infra cap. 26 disces.

Venerationem... cultum. Aliud veneratio, aliud cultus est: silet ille nec movetur qui venerationem intus sentit, sed aut loqui aut moveri necessarium ei qui alium colit. Ita Scipiones aut M. Aurel. Antonin·m nos veneramur, colebant aequales, quum aut mane salutarent, aut patronos principemve appellarent: Deum nulla non hora veneramur; hac duntaxat hora colimus qua vel precamur vel templa adimus, vel eius gratia aliquid damus, etc.

Hoc affectu tuo. Dolore hoc tanto et tam diu duraturo.

Utrique vestrum inertem. Sic Erasmus ex suo libro. Lipsius in suo *inhaerentem*, nullo sensu, quod pro *inertem*, librarr. errore, poni censet. Muretus ex suo ingenio, *inutilem*, probante Lipsio, quod si non veram lectionem, at saltem bonum sensum praestat. Caeterum *iners* eodem sensu intelligi potest.

Explorata. Tot testimoniis comprobata et nota.

Digitized by Google

magni faciunt, rebus affectis, ut hilaritatem de industria simulent, et adversas res adumbrata laetitia abscondant, ne militum animi, si fractam ducis sui mentem viderint, et ipsi collabantur: id nunc tibi quoque faciendum est. Indue dissimilem animo tuo vultum, et, si potes, proiice omnem ex toto dolorem: sin minus, introrsus abde et contine, ne appareat, et da operam, ut fratres tui te imitentur: qui honestum putabunt, quodcumque facientem viderint, animumque ex vultu tuo sument. Et solatium debes esse, et consolator illorum: non poteris autem horum moerori obstare, si tuo indulseris.

XXV. Potest et illa res a luctu te prohibere nimio; si tibi ipse renuntiaveris, nihil horum quae facis posse subduci. Magnam tibi partem hominum consensus imposuit: haec tibi tuenda est. Circumstat te omnis ista consolantium frequentia, et in animum tuum inquirit, ac perspicit quantum roboris ille adversus dolo-

Adumbrata. Ficta, ut liquet. *Adumbrare* est umbrae loco ponere, veli instar obtendere.

Et solatium, et consolator. Solatium ille est, dum eo superstite, vident fratres non omnia a fortuna praerepta esse; consolator dum eos recordari iubet, unum periisse, superesse alios.

Non poteris... indulseris. Idem infra alio modo extulit: *Non potuisset ille lacrymas alienas compescere, nisi prius pressisset suas.*

XXV. Arg. Omnia quae tibi adsunt, dignitas, etc. suadent, ut te a lacrymis temperes.

Nihil horum... subduci. Ex oculis nimirum. Simillimum est illud Claudiani IV Cons. Honor. v. 269 sqq.: *Te... monebo... cunctis tua gentibus esse Facta palam, nec posse dari re-*

galibus usquam Secretum vitiis: nam lux altissima fati Occultum nihil esse sinit; latebrasque per omnes Intrat, et abstrusos explorat fama recessus. Iuvenal. quoque, Sat. IX, vs. 102 sqq. *O Corydon, Corydon, secretum divitis ullum Esse putas? servi ut taceant, iumenta loquentur Et canis et postes.*

Partem. e codd. Gron. antea *personam. Magnam tibi partem* ad scenicas partes (*Rôle* vocamus) referam cum Lipsio et Gronovio. Orbis enim theatri quoddam genus est; hominesque qui hoc in theatro moventur et vivunt, partes quisque suas sustinere videntur; qui autem aut rerum omnium imperium habent, aut quarumdam, *primas partes, magnas partes* ii sustinent. Eodem fere modo quo hic Seneca, Ovidius, aut

rem habeat, et utrumne tu tantum rebus secundis dextere uti scias, an et adversas possis viriliter ferre: observantur oculi tui. Liberiora omnia sunt iis, quo- 2
rum affectus tegi possunt: tibi nullum secretum liberum est; in multa luce fortuna te posuit; omnes scient, quomodo te in isto tuo gesseris vulnere: utrumne statim percussus arma submiseris, an in gradu steteris. Olim te in altiorem ordinem et amor Caesaris extulit, et tua studia deduxerunt: nihil te plebeium decet, nihil humile. Quid autem tam humile ac muliebre est, quam consumendum se dolori committere? Non idem 3
tibi in luctu pari, quod tuis fratribus licet; multa tibi non permittit opinio de studiis ac moribus tuis recepta: multum a te homines exigunt, multum exspectant. Si volebas tibi omnia licere, ne convertisses in te ora omnium? nunc autem tibi praestandum est, quantum promisisti omnibus illis, qui opera ingenii

quicumque alius Consolationis ad Liviam auctor exstitit: *Impositam, Livia, perfer onus.*

Vtrumne. Quidni simpl. magis *utrum*, aut τὸ *ne* solum post aliquem e vocibus quae sequuntur? Vtramque vocem hic coniungi necessarium fuit. Finge hic observantium verba ipsa referri, eo sermone quem *directum* vocant; ita ferme scriberetur: Secundisne tantum rebus uti scis, an et adversas potes viriliter ferre? At ubi narrantur verba, non citantur, et id sermonis genus auctori placet quod appellaverc Grammatici *discours indirect*, necessarium fit ante hanc φράσιν quae istorum interrogationem per dilemma continet, τὸ *utrum* poni. Breviore modo: indicant τὸ *ne* et *an* quaeri aliquid, indicat τὸ *utrum* non citari, sed narrari quaestionem; utroque igitur opus fuit. Caeterum haec locutio non raro occurrit in hoc libello, ex. gr. hoc eod. cap. §. 2: *utrumne statim, ... an in gradu*, etc., cap. 27, §. 3: *utrumne meo nomine, an eius*; etc.

Secretum. Locus secretus et remotus a tumultu oculisque.

In multa..... posuit. Vid. in nota ultima praeced. paginae ea quae e Claudiano exscripsimus.

Omnes scient... steteris. Haud dubie de gladiatore vulnerato cogitavit, a quo *arma submittere*, i. e. victas manus dare, se victum declarare, et *gradum*, i. locum et habitum firmum gladiatoris, sumsit.

Altiorem ordinem. Scil. Palatinum. Nunc Caesarianus es, ad Caesarum domum pertines.

Non idem licet. H. e. eadem te et fratres clades afflixit, at non idem tibi et illis dolor esse debet.

Promisisti omnibus illis. Lipsius: meus liber *omnes illi*; nec ambigit

Digitized by Google

tui laudant, qui describunt, quibus, quum fortuna
4 tua opus non sit, ingenio opus est. Custodes animi tui sunt: nihil unquam itaque potes indignum facere perfecti et eruditi viri professione, ut non multos admirationis de te suae poeniteat. Non licet tibi flere immodice: nec hoc tantummodo non licet; nec somnum quidem extendere in partem diei licet, aut a tumultu rerum in otium ruris quieti confugere, aut assidua laboriosi officii statione fatigatum corpus voluptaria peregrinatione recreare, aut spectaculorum varietate animum detinere, aut tuo arbitrio diem disponere.

XXVI. Multa tibi non licent, quae humillimis et

quin tota clausula sic rescribenda et discernenda:... *quantum promisisti. Omnes illi qui opera... opus est, custodes animi tui sunt.*

Opera ingenii tui. Vid. supr. cap. 21, et infra cap. 26, 3 sub finem.

Describunt. Exponunt virtutes et dotes operum tuorum: ad Sosios tamen illius temporis quoque spectare potest. Arbitri harum rerum *laudant*, et librarii occupati sunt *describendis* libris tuis, ut aliis vendant. Posterius praeferam, ob sequens: *quibus.... ingenio (tuo) opus est.*

Custodes animi tui sunt. Ii quorum quippe oculos in tuas dotes traxisti, nunc oculos non avertent, sed perpetui et indefessi contemplatores animo tuo invigilant, et ne te deiicias prohibent.

Nec somnum.... licet. Si nimirum fratrem deflendo per magnam noctis partem, somno tandem obrutus in diei partem eam extendas. Sic quidem multi intelligunt, quos inter eminet *Ruhkopf*: at haec subaudiri nil argumento est; quidni auctor, postquam lacrymis amico interdixit, quaedam alia recenset quae pariter cavenda dicit, nec tamen a lacrymis et nimio dolore necessario derivantur?

Ruris quieti. In pricis edd. erat..... *in otium ruris, gratia quietis conf.* Sed *gratia* ab omnibus scriptis abest. Lipsius pro *quietis* proposuit *quieti*, quod recepimus.

Aut a tumultu... confugere. Severus nimis hic Annaeus merito videtur, neque ipse, quum Agrippinae et Neronis munificentia tot opes adeptus est, aut villas habere aut habitare noluit.

Voluptaria. Lipsius ex suo scripto dedit. Antea erat *voluntaria*, eod. sensu.

Tuo arbitrio diem disponere. Quod ei non licebat, quum certis horis diei principi adesse deberet.

XXVI. Ans. Cogitatio illa, te Caesarem iuvare, a flendo te retineat, et literis remittat. Hoc praesertim capite turpissima adulatione in maxime contemnendum principem utitur; ita ut *Diderot* hinc coniecerit ista nihil esse nisi irrisionem.

Multa tibi. Eadem fere invenies

Digitized by Google

in angulo iacentibus licent. Magna servitus est magna fortuna. Non licet tibi quidquam arbitrio tuo facere: audienda sunt tot hominum millia, tot disponendi libelli! tantus rerum ex orbe toto coëuntium congestus ut possit per ordinem suum principis maximi animo subiici, erigendus tuus est. Non licet tibi, inquam, 2 flere: ut multos flentes audire possis, ut periclitantium, et ad misericordiam mitissimi Caesaris pervenire cupientium lacrymae, sic tibi tuae assiccandae sunt. Hoc tamen etiam non in levioribus remediis adiuvabit; quum voles omnium rerum oblivisci, cogita Caesarem: vide quantam huius in te indulgentiae fidem, quantam industriam debeas; intelliges non magis tibi incurvari licere, quam illi, si quis modo est fabulis traditus, cuius humeris mundus innititur. Caesari 3 quoque ipsi, cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent. Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Ex

ap. Senec. de Clement. I, 8, et apud Sallust. in Catil. Caesaris Orat. init.

Disponendi libelli. Quibus preces aut desideria continentur. Quod *mémoire* aut *placet* hodie vocamus.

Coëuntium congestus..... tuus est. De his omnib. variant mss. et edd. Lipsiús.....*accurrentium congestus. Vt possit p. ord. s. pr. m. officium geri, quieti animi est.* Haec tamen ipse spuria declarat, et nostra praefert, quibusdam scriptis congrua. Hanc lectionem, quae paulo obscurior erat, quum comma post *libelli* poneretur, nos nova distinctione magis perspicuam effecimus.

Vt...ut. Prius est ἵνα, ὅρρα; posterius ὥστερ.

Periclitantium..... sunt Gronov. Mss. Post *lacrymae* Lipsius habet *possint* (alii *prosint*), quod phrasim melius concludit. *Sic* in plerisque edd. deest.

Quantam.....debeas. Quanta diligentia, quanta fide tantam domini tui indulgentiam agnoscere par est.

Si quis modo est fabulis traditus. De Atlante cogitasse certum est. Caeterum φράσεως totius ille est genuinus sensus: mihi videtur non solum fabula narrari Atlas, cuius humeris mundus innititur, sed video quoque Caesarem nostrum (immo, Polybium) Atlantem verum non fabulosum.

Cui omnia...non licent. Sic fere Sallustius Catil.: *Et in maxima fortuna, minima licentia est.*

quo se Caesar orbi terrarum dedicavit, sibi eripuit: et siderum modo, quae irrequieta semper cursus suos explicant, nunquam illi licet nec subsistere, nec quidquam suum facere. Ad quendam itaque modum tibi quoque eadem necessitas iniungitur: non licet tibi ad
4 utilitates tuas, ad studia tua respicere. Caesare orbem terrarum possidente, impartiri te nec voluptati, nec dolori, nec ulli alii rei potes: totum te Caesari debes. Adiice nunc, quod, quum semper praedices cariorem tibi spiritu tuo Caesarem esse, fas tibi non est, salvo Caesare, de fortuna queri. Hoc incolumi, salvi tibi sunt tui; nihil perdidisti; non tantum siccos oculos tuos esse, sed etiam laetos oportet; in hoc tibi omnia
5 sunt: hic pro omnibus est. Quod longe a sensibus tuis prudentissimis piissimisque abest, adversus felicitatem tuam parum gratus es, si tibi quidquam, hoc salvo, flere permittis. Monstrabo etiamnunc non quidem firmius remedium, sed familiarius. Si quando te domum receperis, tunc erit tibi metuenda tristitia; nam quamdiu numen tuum intueberis, nullum illa ad te inveniet accessum: omnia in te Caesar tenebit: quum ab illo discesseris, tunc, velut occasione data, insidiabitur solitudini tuae dolor, et requiescenti animo tuo paulatim irrepet. Itaque non est, quod ullum tempus vacare patiaris a studiis; tunc tibi literae tuae, tam diu ac tam fideliter amatae, gratiam referant: tunc te illae antistitem et cultorem suum vindicent: tunc

Impartiri te. Animi tui aliquam partem concedere.

Quod longe... abest. Portio haec phrasis referenda est ad *parum gratus es*, ita ut tota sententia ita se habeat: Si incolumi Caesare, aliquis te dolor afficeret, Polybi, ingratus fores, quod vitium in te tam prudenti viro, tam pio, suspicari non licet.

Literae tuae..... gratiam referant. Eae de quibus optime meritus es, literae de te bene nunc merebuntur; in eas quodammodo beneficia contulisti, dum iis studeres, iis incumberes, eae nunc tibi idem praestiturae officium sunt.

Antistitem. Simili modo Horat. Lib. III, Od. 1, vs. 3: *Carmina non*

Digitized by Google

Homerus et Virgilius, tam bene de humano genere meriti, quam tu de omnibus et de illis meruisti, quos pluribus notos esse voluisti quam scripserant, multum tecum morentur; tutum id erit omne tempus, quod illis tuendum commiseris. Tunc Caesaris tui opera, ut per omnia saecula domestico narrentur praeconio, quantum potes compone: nam ipse tibi optime formandi condendique res gestas, et materiam dabit, et exemplum.

XXVII. Non audeo te usque eo producere, ut fabellas quoque et Aesopeos logos, intentatum Romanis ingeniis opus, solita tibi venustate connectas; difficile est quidem, ut haec hilariora studia tam vehementer perculsus animus, tam cito possit accedere: hoc tamen argumentum habeto iam corroborati eius, et redditi sibi, si poterit se a severioribus scriptis ad haec solutiora producere. In illis enim quamvis aegrum eum adhuc, et secum reluctantem, avocabit 2

prius Audita, Musarum sacerdos *Virginibus puerisque canto*: Et Virg. Georg. lib. II, vs. 475: *Me vero primum dulces ante omnia Musae* Quarum sacra fero, *etc.*

Tunc Homerus et Virgilius. Homerum latine, Virgilium graece verterat.

Materiam. I. res gestae, e. c. Germania pacata, Britannia aperta.

Exemplum. Ipse Claudius utraque lingua historias scripserat. Sueton. Claud. 41, 43.

XXVII. Anc. Deinde causae doloris inquirendae sunt.

Aesopeos logos, intentatum Romanis. De fabulis aesopicis hic sermo est. At Phaedri fabulae tamen exstant, quas a Tiberii liberto conditas ferunt. Nostro certe nondum innotuerunt, nec, quod mirum, ulli auctorum veterum. Ex his aliisque rationibus et nomen Phaedri et eius fabularum opus inter supposita numeranda esse putaverunt viri quidam docti, inprimis Christius Lips. cuius rixa cum Funccio, Prof. quondam Rintelensi, nota est. Res nondum omni parte ad liquidum perducta est. Si Rufi Festi Avieni aetate (i. IV seculo) vixerit auctor, quod, quantum sciam, doceri potest, nostro concedendum est, nemini Romanorum hoc genus (i. fabulas) tentatum fuisse. Qui tamen Phaedrum Augusti et Tiberii temporibus assignant, nostrum memoria lapsum esse aut ignorantia laboravisse contendunt, unde novum argumentum expromunt quo hunc libellum A. Senecae opus non esse probent. Vid. *Lagrange* ad h. locum.

Avocabit. A doloris sensu nempe et gemitu perpetuo.

ipsa rerum quas tractabit austeritas: haec quae remissa fronte commentanda sunt, non feret, nisi quum iam sibi ab omni parte constiterit. Itaque debebis eum severiore materia primum exercere, deinde hilariore
3 temperare. Illud quoque magno tibi erit levamento, si saepe te sic interrogaveris: Vtrumne meo nomine doleo, an eius qui decessit? Si meo, perit meae indulgentiae iactatio, et incipit dolor, hoc uno excusatus, quod honestus est, quum ad utilitatem respiciat, a pietate desciscens. Nihil autem minus bono viro
4 convenit, quam in fratris luctu calculos ponere. Si illius nomine doleo; necesse est, alterutrum ex his duobus esse iudicem: nam si nullus defunctis sensus superest, evasit omnia frater meus vitae incommoda, et in eum restitutus est locum, in quo fuerat, antequam nasceretur, et expers omnis mali, nihil timet, nihil cupit, nihil patitur. Quis iste est furor, pro eo me nunquam dolere desinere, qui nunquam doliturus
5 est? Si est aliquis defunctis sensus, nunc animus fra-

Commentanda. I. e. tractanda.

Sibi constiterit. Sui iam compos erit, animum omnino collegerit.

Vtrumne..... decessit. Meamne ipsius fortunam lugeo, an illius sortem quem mihi mors surripuit?

Perit... iactatio. Non iam licet indulgentiam meam (i. e. quod dolori indulgeam) et pios erga mortuum fratrem sensus iactare.

Et incipit..... desciscens. Sic construe: *Et incipit dolor, a pietate desciscens, quum ad utilit. respiciat, dolor excusatus hoc uno quod*, etc.

Calculos ponere. Etiam moriente fratre, commodum suum recordari, cogitare, supputare. Calculi erant exigui lapides quorum ope, ut numerarent, veteres utebantur: hinc Gallica vox *calcul.*

Nam si nullus defunctis. Hoc dilemma e Platone sumptum esse videtur, Apol. Socrat. p. 93 sq. T. I bip. Patet dilemma claudicare, quum tertium quiddam fingi possit, quod Annaeum et Ethicos sapientes semper fefellit, nempe post mortem posse homines miseros esse. Alioqui haec et omnia fere sequentia iisdem ferme verbis occurrunt in aliis Senecae operibus, inprimis Consol. ad Marciam, quod non potest quin mentem iniiciat huius operis auctorem esse, non Senecam, sed aliquem rhetorem qui eum imitandum sibi proposuerit. Conf. ad Consol. ad Marc. c. 19.

Restitutus in locum in quo fuerat. Senec. Tragic. in Troad. act. II: *Quaeris quo iaceas post obitum loco? Quo non nata iacent.* Consol. ad Marc.

tris mei, velut ex diutino carcere emissus, tandem sui iuris et arbitrii gestit, et rerum naturae spectaculo fruitur, et humana omnia ex superiore loco despicit; divina vero, quorum rationem tamdiu frustra quaesierat, propius intuetur. Quid itaque eius desiderio maceror, qui aut beatus, aut nullus est? beatum deflere, invidia est: nullum, dementia.

XXVIII. An hoc te movet, quod videtur ingentibus et quummaxime circumfusis bonis caruisse? quum cogitaveris multa esse quae perdidit, cogita plura esse quae non timet. Non ira eum torquebit, non morbus affliget, non suspicio lacesset, non edax et inimica semper alienis processibus invidia consectabitur, non metus sollicitabit, non levitas fortunae cito munera sua transferentis inquietabit. Si bene computes, plus illi remissum, quam ereptum est. Non opibus fruetur, non tua simul ac sua gratia; non 2
accipiet beneficia, non dabit. Miserum putas quod ista amisit, an beatum quod non desiderat? mihi crede, is beatior est, cui fortuna supervacua est, quam is cui parata est. Omnia ista bona, quae nos speciosa, sed fallaci voluptate delectant, pecunia, dignitas, potentia, aliaque complura, ad quae generis humani

cap. 19: *In illam tranquillitatem, in qua antequam nasceremur iacuimus, reponit.*

Rerum.... spectaculo. Cf. Senecae Consol. ad Helv. 17; Epist. 102; Consol. ad Marciam, cap. 25, etc.

XXVIII. Anc. Ad haec frater summa felicitate fruitur. Nam his in locis nil cupit: hic quaedam cuperet; hic omnes miseri sumus. Comparatio splendida vitae cum mari. Pleraque quae hic affert, in Cons. ad Marc. c. 19 et 20, quoque occurrunt.

Ingentibus.....caruisse. Divitiis nempe, dignitatibus, potentia, et omnimodis voluptatibus.

Remissum. Miseriae tantum et poenae *remittuntur*; remittere est aliquatenus veniam dare.

Tua simul ac sua gratia. Namque plurimum apud principem poterat, quod hunc ipsum princeps amabat et multi faciebat, plurimum quod tibi frater erat.

Is beatior.....parata est. Namque ne in hoc quidem laborat, ut optet.

Digitized by Google

caeca cupiditas obstupescit, cum labore possidentur, cum invidia conspiciuntur, eosque ipsos quos exornant, et premunt: plus minantur, quam prosunt; lubrica et incerta sunt; nunquam bene tenentur; nam ut nihil de tempore futuro timeatur, ipsa tamen magnae felicitatis tutela sollicita est. Si velis credere altius veritatem intuentibus, omnis vita supplicium est. In hoc profundum inquietumque proiecti mare, alternis aestibus reciprocum, et modo allevans nos subitis incrementis, modo maioribus damnis deferens, assidueque iactans, nunquam stabili consistimus loco: pendemus et fluctuamur, et alter in alterum illidimur, et aliquando naufragium facimus, semper timemus. In hoc tam procelloso et in omnes tempestates exposito mari navigantibus, nullus portus nisi mortis est. Ne itaque invideris fratri tuo: quiescit; tandem liber, tandem tutus, tandem aeternus est. Superstitem Caesarem, omnemque eius prolem, superstitem te cum omnibus habet fratribus: antequam quidquam ex suo favore fortuna mutaret, stantem adhuc illam, et munera plena manu congerentem reliquit. Fruitur nunc aperto et libero caelo; ex humili atque depresso in eum emicuit locum, quisquis ille est, qui solutas

Obstupescit. Vt res omnium pulcherrimas miratur muta et immoto vultu.

Magnae..... sollicita est. Rebus nimium prosperis frui non possumus sine sollicitudinibus multis. *Tutela* enim hic est fere idem quod *possessio, conservatio.*

Si velis credere altius veritatem intuentibus. Ad metempsychosin haec spectant, Stoicis quam maxime alienam: at Pythagorae et quodammodo Platoni propriam, quae potissimum inuenta et inducta est propterea, ut ostenderetur ratio, qua tandem animus a corporis contagione liber ad altiora et beatiora evehi posset.

Pendemus. Virgil. Aeneid. lib. I, vs. 106: *Hi summo in fluctu pendent.*

In omnes tempestates exposito. Notandum τὸ *exposito* cum *in* et accusativo casu.

Omnemque eius prolem. Quae duobus tantum liberis constabat, Britannico et Octavia.

Stantem. Nondum se avertentem, et abeuntem.

Quisquis ille est. Sive, ut Mytho-

Digitized by Google

vinculis animas beato recipit sinu : et nunc libere vagatur, omniaque rerum naturae bona cum summa voluptate perspicit. Erras: non perdidit lucem frater tuus, sed securiorem sortitus est; omnibus illo nobis commune est iter. Quid fata deflemus? non reliquit ille nos, sed antecessit.

XXIX. Est, mihi crede, magna felicitas in ipsa felicitate moriendi. Nihil ne in totum quidem diem certi est; quis in tam obscura et involuta veritate divinat, utrumne fratri tuo mors inviderit, an consuluerit? Illud quoque, qua iustitia in omnibus rebus es, necesse est te adiuvet cogitantem, non iniuriam tibi factam, quod talem fratrem amisisti, sed beneficium datum, quod tamdiu pietate eius uti fruique licuit. Iniquus est, qui muneris sui arbitrium danti 2
non relinquit: avidus, qui non lucri loco habet quod accepit, sed damni, quod reddidit: ingratus est, qui iniuriam vocat finem voluptatis: stultus, qui nullum fructum esse putat bonorum, nisi praesentium, qui non et in praeteritis acquiescit, et ea iudicat certiora

graphis placebat, Elysiis in campis aevum agerent, sive in insulas beatas transcriberentur, Leucen et alias, sive in immenso spatio, quod inane dicitur, vagarentur.

Non perdidit lucem. Corpus ille quidem amisit, at lucem minime, quum aëre iam et libero caelo fruatur, neque corporalia vela eum a luce separent, quae ipsi purior nitet. Iis haec consona sunt quae dixit in Consol. ad Marc. *Videmus non alta nocte circumdati.* cap. 26 med

Antecessit. Horat. lib. II, Od. XVII, vs. 10, 11: *Ibimus, ibimus, Vtcumque praecedes.* Ipse Senec. Cons. ad Marc. 19, *dimisimus illos: immo consecuturi praemisimus.*

XXIX. Arg. Mortem saepius felicissimam esse dicit. Dein ait in praeteriti boni memoria dulcedinem quam maximam contineri, ergo aliquam esse in cogitando fratre dulcedinem; tum nihil nobis a natura concessum, nisi precario et velut in mutuum, ergo gratias agendas, si quid concesserit, neque indignandum, si concessum ademerit.

Involuta. Velis nempe, quae raro mortalium oculis pervia sunt.

Non iniuriam... licuit. In his quae nunc legis et quae mox lecturus es sententia una dominatur, nempe a fortuna nihil dari in aeternum, sed quidquid illa innuit mutuum dari: nihil illa debet nobis; si quid tamen

quae abierunt, quia de illis, ne desinant, non est timendum. Nimis angustat gaudia sua, qui eis tantummodo quae habet ac videt, frui se putat, et habuisse eadem pro nihilo ducit: cito enim nos omnis voluptas relinquit, quae fluit et transit, et paene
3 antequam veniat, aufertur. Itaque in praeteritum tempus animus mittendus est, et quidquid nos unquam delectavit, reducendum, ac frequenti cogitatione pertractandum est. Longior fideliorque est memoria voluptatum, quam praesentia. Quod habuisti ergo optimum fratrem, in summis bonis pone. Non est quod cogites, quanto diutius habere potueris, sed
4 quamdiu habueris. Rerum natura illum tibi, sicut ceteris fratribus, non mancipio dedit, sed commodavit: quum visum est deinde, repetiit, nec tuam in eo satietatem secuta est, sed suam legem. Si quis pecuniam creditam solvisse se moleste ferat, eam praesertim cuius usum gratuitum acceperit, nonne iniustus habebitur? Dedit natura fratri tuo vitam, dedit et

dat, gaudeas; si datum rapit, ne doleas. Vt Horatius lib. III, Od. xxix, 53: *Laudo manentem; si celeres quatit Pennas, resigno quae dedit, et mea Virtute me involvo.*

Angustat. Spatio brevi cohibet. Nam boni meminisse, perpetuum est; bonum possidere, fluxum et temporaneum.

Mancipio dedit. Non est hic quod aut servum aut servitutis genus quoddam innui credas. *Mancipium* (ut ipsa per se vox indicat, a *manu* et *capiendo* fluens), apud Romanos erat modus possidendi maxime firmus et diutinus, et distinguebatur hoc praecipue ab *usucapione*, cui semper limites quidam praefixi erant. Cui *mancipio* datum aliquid fuerat, illc rem datam sui iuris et arbitrii in aeternum habebat; cui nil nisi *usucapio* erat concessum, huius in manu res manebat per quosdam menses, per annos quosdam, sed denuo ad eum revertebatur qui mancipium habebat. Qui agrum, qui aedes mancipio possidebat, ei licitum erat omnia in his arbitrio suo vertere, domum amplificare, angustare, subvertere: ei vero qui usucapione possidebat, his omnibus interdictum erat; domo et agri fructibus arbitrio suo utebatur, nihil amplius. Ille habebat, hic fruebatur; et Gallica lingua *propriété*, *possession* vocaretur mancipium; usucapio vero, *la jouissance.*

Nec tuam..... secuta est. Neque in hoc curavit an tu satiatus esses. Non

tibi: quae suo iure usa, a quo voluit, debitum suum citius exegit; non illa in culpa est, cuius nota erat conditio, sed mortalis animi spes avida, quae subinde quid rerum natura sit obliviscitur, nec unquam sortis suae meminit, nisi quum admonetur. Gaude itaque habuisse te tam bonum fratrem, et usumfructum eius, quamvis brevior voto tuo fuerit, boni consule. Cogita iucundissimum esse, quod habuisti; humanum, quod perdidisti. Nec enim quidquam minus inter se consentaneum est, quam aliquem moveri, quod sibi talis frater parum diu contigerit: non gaudere, quod tamen contigerit. «At inopinanti ereptus est.» Sua quemque credulitas decipit: et in eis quae diligit, voluntaria mortalitatis oblivio. Natura nulli se necessitatis suae gratiam facturam esse testata est. Quotidie praeter oculos nostros transeunt notorum ignotorumque funera: nos tamen aliud agimus, et subitum id putamus esse, quod nobis tota vita denuntiatur futurum. Non est itaque ista fatorum iniquitas, sed mentis humanae pravitas, insatiabilis rerum omnium: quae indignatur inde se exire, quo admissa est precario.

satis diu vixisse fratrem tu iudicas: quid hoc refert, si diu satis vixisse eum illa pronuntiat?

Debitum suum. Non quod ipsa homini debet, sed quod ipsi homo. Gallic. *sa créance.* Sic in fab. Phaeniss. 171: *debitum exige.*

Vsumfructum. Hoc distabant usucapio et ususfructus: facti quoddam genus ususfructus fuit; at ius, usucapio: qui utebatur, hic habebat usumfructum; qui poterat legitime uti, huius usucapio erat.

Quod habuisti. Non pro *id quod habuisti*, sed pro: habuisse. Vnde sensus: Habuisse, iucundissimum est, perdidisse, humanum.

Humanum. Res nempe quae humanarum rerum consuetudini maxime consentanea est; res ad quam homo sapiens et qui hominum imbellem naturam novit, nec obstupescere, nec indignari debet.

Mortalitatis. Mortalitas hic intelligenda est non illius quem sua decipit credulitas, et cui amata quaedam vehementissime sunt, sed ipsarum rerum quae eum tantopere delectant. Vnde sensus: Obliviscitur quisque, non temere, sed consilio, ea fluxa, et mox peritura esse quae in deliciis habet.

XXX. Quanto ille iustior, qui nuntiata filii morte, dignam magno viro vocem emisit: Ego quum genui, tum moriturum scivi. Prorsus non mireris ex hoc natum esse, qui fortiter mori posset. Non accepit tanquam novum nuntium, filii mortem; quid est enim novi, hominem mori, cuius tota vita nihil aliud quam ad mortem iter est? Ego quum genui, tum moriturum scivi. Deinde adiecit rem maioris et prudentiae et
2 animi: Huic rei sustuli. Omnes huic rei tollimur: quisquis ad vitam editur, ad mortem destinatur. Gaudeamus ergo omnes eo quod datur, reddamusque id quum reposcemur; alium alio tempore fata comprehendent, neminem praeteribunt. In procinctu stet animus; et id quod necesse est, nunquam timeat;
3 quod incertum est, semper exspectet. Quid dicam duces, ducumque progenies, et multis aut consulatibus conspicuos, aut triumphis, sorte defunctos

XXX. Ang. Quum mors certa sit, dimittas luctum et studiis suetis te exhilara.

Qui nuntiata..... scivi. De Xenophonte, Socratis discipulo et amico, haec accipias. Diog. Laërt. II, 55, ib. Menag. nostrum locum non neglexit. Valer. Maxim. V, 10; Gryllus filius apud Mantineam in pugna Lacedaemoniorum, a quorum parte stetit, cum Thebanis cecidit. Quidam tamen Anaxagorae haec tribuunt.

Huic rei sustuli. Non Xenophontis sunt verba, sed Lacaenae ap. Cic. Tusc. dispp. I, 42 fin. *Sustuli* autem ad illum usum alludit quo puerum modo natum humo tollebat pater, sic nuncians sibi non displicere prolem, at in liberorum numerum recipi, et paterna in domo educatam fore. Romanorum duntaxat, et forsan Italarum gentium ille usus erat, Atheniensium minime, ita ut hic proprie dici non videri possit; sed, ut multae aliae, vox illa mox vulgo usurpata est sine ullo originis respectu, et alicui natam esse progeniem tantummodo significat.

Gaudeamus..... reposcemur. Christianum hic omnino, ut multoties, Senecam diceres. Non aliter Iobus in libro qui ipsius nomine inscribitur. Caeterum item fere Horatius, lib. III, Od. XXIX, supra cit. ad cap. 29.

In procinctu. Locutio militaris: i. paratus ad pugnam, ad quaeque mala perpetienda.

Conspicuos..... triumphis..... inexorabili. Solita fortuna *Superbos vertere funeribus triumphos.* Illa autem, quae nunc praeterit, exempla mox fuse satis exponet, cap. 32 et 33.

inexorabili? tota cum regibus regna, populique cum gentibus tulere fatum suum. Omnes, immo omnia in ultimum diem spectant: non idem universis finis est; alium in medio cursu vita deserit, alium in ipso aditu relinquit, alium in extrema senectute fatigatum iam et exire cupientem vix emittit: alio quidem atque alio tempore, omnes tamen in eundem locum tendimus. Vtrumne stultius sit nescio, mortalitatis legem ignorare, an impudentius, recusare. Agedum illa 4
quae multo ingenii tui labore celebrata sunt, in manus sume, utriuslibet auctoris carmina: quae tu ita resolvisti, ut quamvis structura illorum recesserit, permaneat tamen gratia. Sic enim illa ex alia lingua in aliam transtulisti, ut (quod difficillimum erat) omnes virtutes in alienam te orationem secutae sint. Nullus erit in illis scriptis liber, qui non plurima varietatis humanae incertorumque casuum et lacrymarum, ex alia atque alia causa fluentium, exempla tibi suggerat. Lege, quanto spiritu ingentibus into- 5
nueris rebus: pudebit te subito deficere, et ex tanta orationis magnitudine decidere. Ne commiseris, ut quisquis extemplo ac modo scripta tua mirabatur,

Alio quidem atque... tendimus. Hor. lib. II, Od. III, vss. 25 sqq.: *Omnes eodem cogimur: omnium Versatur urna, serius, ocius, Sors exitura* etc.

In manus sume. Notandus tibi est hoc in loco accusativus casus, quem, etsi rarum, nulli Grammaticae scientiae legi contrarium esse patet. Nam motus est aliquis sumentis libros alicunde et in manus sibi ipsi ponentis; et solecismus foret si *in manu* scriberetur: at potuisset, ut multi, dempto τῷ *in* dicere simpliciter *manu*.

Vtriuslibet auctoris. De Virgilio et Homero hic agi satis patet ex praecedentibus. Vid. c. 26 fin. et notam.

Ita resolvisti..... gratia. Haec tam obscure exponuntur ut dubium sit an tantummodo de versione ex altera in alteram linguam agatur, an de sententiarum fusiori explicatione, quam paraphrasin vocamus; sed utrumque sane intelligendum est, quum et Homeri graeca carmina in latinam linguam et Virgilii latina in graecam transtulisse quidem videatur; sed versibus in prosam seu pedestrem sermonem mutatis, ablata verborum structura, et satis ampla interpretatione adhibita.

Extemplo. Lipsius: « Meus liber

quaerat quomodo tam grandia tamque solida tam fragilis animus conceperit. Potius ab istis quae te torquent, ad haec tot et tanta quae consolantur, converte, ac respice optimos fratres, respice uxorem, filium respice. Pro omnium horum salute, hac tecum portione fortuna decidit. Multos habes in quibus acquiescas.

XXXI. Ab hac te infamia vindica, ne videatur omnibus plus apud te valere unus dolor, quam haec tam multa solatia. Omnes istos una tecum perculsos vides, nec posse tibi subvenire; immo etiam ultro exspectare, ut a te subleventur, intelligis: et ideo quanto minus in illis doctrinae minusque ingenii est, tanto magis resistere te necesse est communi malo. Est autem hoc ipsum solatii loco, inter multos dolorem suum dividere: qui quia dispensatur inter plures, exigua debet apud te parte subsidere. Non desi-
2 nam toties tibi offerre Caesarem: illo moderante terras, et ostendente, quanto melius beneficiis imperium custodiatur, quam armis, illo rebus humanis prae-

exemplo et incidebat legere: ut quisquis sine exemplo.» Sed vulgata satis bene intelligitur.

Pro horum salute, h. t. portione fortuna decidit. Lagrange vertit: *La fortune jusqu'ici ne vous a point entamé par ce côté*, parum fideliter; namque *decidere cum aliquo* est *traiter, transiger.* Ergo sensus est: Fortuna decidit tecum hac portione (scil. unum tantum fratrem rapiendo) pro salute omnium horum (qui tibi relicti sunt).

XXXI. Aac. Vxorem, filium, fratres exemplo tuo erige. Nonne praeterea ipse Caesar Claudius tibi maximo solatio erit? Laudes Claudii, qui ministrum suum et alloquiis dulcissimis solabitur et ipsa praesentia recreabit, votaque ad Deos ut diutissime vivat.

Toties. Quoties igitur? forsan scisciteris; nam id verbis non expressit; vere quidem, sed innuit: Quoties dolebis. Vid. infra eod. in cap.: *Quoties lacrimae suboriuntur oculis tuis, toties, etc.* Forsan quoque *toties* est pro *tam saepe, saepissime*, sicut iam feci.

Offerre. Sive exemplaris excelsissimi loco, sive, quod libentius crediderim, ut efficacissimum solatium.

Quanto melius.... quam armis. Eadem comparatio, sed fuse et splendide magis, et de optimo principe, apud Claudianum occurrit, Paneg. in

Digitized by G

side, non est periculum, ne quid perdidisse te sentias; in hoc uno tibi satis praesidii, satis solatii est. Attolle te, et quoties lacrymae suboriuntur oculis tuis, toties illos in Caesarem dirige; siccabuntur, maximi et clarissimi conspectu numinis. Fulgor eius 3
illos, ut nihil aliud possint adspicere, praestringet, in se haerentes detinebit. Hic tibi, quem tu diebus intueris ac noctibus, a quo nunquam deiicis animum, cogitandus est, hic contra fortunam advocandus: nec dubito, quum tanta illi adversus omnes suos sit mansuetudo, tantaque indulgentia, quin multis iam solatiis tuum istud vulnus obduxerit, nonnulla quae dolori obstarent tuo, congesserit. Quid porro? ut nihil horum fecerit, nonne protinus ipse conspectus per se tantummodo cogitatusque Caesar, maximo solatio tibi est? Dii illum Deaeque omnes terris diu 4
commodent; acta hic divi Augusti aequet, annos vin-

IV Consul. Honor. v. 315: *Victura feretur Gloria Traiani, non tam quod Tigride victo Nostra triumphati fuerint provincia Parthi, Alta quod invectus fractis Capitolia Ducis, Quam patriae quod mitis erat.*

Numinis. Lipsius proponit *luminis*, ex sequentibus: *Fulgor*, etc. sed haec quoque de *numine* dici possunt. — *Max. et clarissimi numinis.* Adspicis iam, quum vix ab Augusti imperantis initiis octoginta anni effluxissent, quam foede et enixe Caesaribus suis ii etiam adulentur qui veterum sapientium disciplinis incumbebant; neque Lucanum in Belli civilis prooemio, neque in ludicris suis Martialem Statiumve in laudanda potestate enixe minus laborare.

Vt nihil... praestringet. Ita extemplo praestringet, ut, etc. *Praestringere* autem est luminis vim tantam oculis subito affundere, ut conniveant palpebrae, aciesque hebetata nihil iam clare perspiciat. De auribus quoque dictum reperitur, at rarius, et significat nimio fragore offensas aures tinnire et obtundi.

Vulnus obduxerit. Vsum magis sequeretur qui diceret *vulneri medicamina obduxerit.* At felici audacia et quae eloquentiae novae virum decet, brevius scripsit *vuln. obdux.*

Nonnulla. Verba, aut exempla.

Per se. Id refeias, non ad *conspectus cogitatusque*, sed ad *solatio est.* Idem de τῷ *protinus*, quae vox paulo ante est, et de τῷ *tantummodo* quod sequitur, censendum est.

Commodent. Quidam Mss. *Commendent*; vulgata vero praeferenda, utpote magis consentanea iis adulationibus quae vulgo adhibebantur. Concinne magis dictum quam olim cecinerat Flaccus, lib. IV, Od. II, vs. 37 sqq.: *Quo nihil maius meliusve*

cat, ac, quamdiu inter mortales erit, nihil ex domo sua mortale esse sentiat. Rectorem Romano imperio filium longa fide approbet, et ante illum consortem patris, quam successorem accipiat. Sera, et nepotibus demum nostris dies nota sit, qua illum gens sua caelo asserat.

XXXII. Abstine ab hoc manus tuas, fortuna, nec in isto potentiam tuam, nisi ea parte qua prodes, ostenderis; patere illum generi humano iam diu aegro et affecto mederi: patere, quidquid prioris principis furor concussit, in locum suum restituere ac reponere. Sidus hoc, quod praecipitato in profundum ac demerso in tenebras orbi refulsit, semper luceat. 2 Hic Germaniam pacet, Britanniam aperiat, et patrios

terris Fata donavere, *bonique Divi*, *Nec dabunt*. Nam in aeternum aliquid datur; si quid vero commodatum fuit, id non aeternum possidebis: atqui arbitrabantur veteres potiusve dicebant, principes suos ab astris et deorum contubernio in terras delabi, hic non diu permansuros, et quamprimum reversuros in patriam. Hanc vero opinionem ipse Horatius multis in locis secutus est, praesertim in l. I, Od. II, vs. 45, quum fingit aliquem deum in Octavii Caesaris figuram mutatum fuisse, et eum sic alloquitur: *Serus in caelum redeas, diuque Laetus intersis populo Quirini.*

Aequet... vincat. In quibusd. script. *Augusti*, et *annos vincat*, omisso τῷ *aequet*. Noster melior. Ἀντίθεσις simul et συμμετρία: Eamdem habeat claritudinem ac Augustus, plures annos: gloria par moriatur, aetate maior. Augustus vero Nolae obiit, vitae suae annum agens septuagesimum sextum.

XXXII. Ans. Pergit in laudibus et votis pronuntiandis pro Claudio, et speral exsilii liberationem.

Abstine..... manus tuas. Saepius quidem *abstinere* est quod aiunt ῥῆμα οὐδέτερον (*verbe neutre*) et caret complemento. Nonnunquam tamen, sicut *tenere*, a quo derivatur, active sumitur et accusativum post se habet.

Prioris. I. e. Caii Caligulae, qui ante Claudium imperaverat, saevitia et insania notissimus princeps.

Sidus.... refulsit. His plane similia Lipsius affert ex Q. Curt. l. X, quae de eodem principe dicta fuisse coniicit.

Germaniam. Referendum ad ea quae primo anno imperii eius in Germania gesta, ductu legatorum Servii Galbae et P. Gabinii; quorum ille Cattos, iste Marsos vicerat. Eo utroque nomine *Imp. iterum* Claudius appellatus anno V. C. 794, quo ipso in exilium Seneca pulsus est, ut Dio scribit.

Britanniam aperiat. Nondum ergo vicerat, sed iam in eo erat. Aperire Britanniam coepit tertio imperii anno, misso in eam A. Plautio; atque ipse anno post secutus, perdomuit, et de

triumphos ducat, et novos: quorum me quoque spectatorem futurum, quae primum obtinet locum ex virtutibus eius, promittit clementia; nec enim sic me deiecit, ut nollet erigere; immo ne deiecit quidem, sed impulsum a fortuna et cadentem sustinuit, et in praeceps euntem leniter divinae manus usus moderatione deposuit. Deprecatus est pro me senatum, et vitam mihi non tantum dedit, sed etiam petiit. Vide- 3
rit, qualem volet aestimari causam meam: vel iustitia eius bonam perspiciet, vel clementia faciet; utrumque in aequo mihi eius beneficium erit, sive innocentem me scierit esse, sive voluerit. Interim magnum miseriarum mearum solatium est, videre misericordiam eius totum orbem pervagantem: quae quum ex ipso angulo, in quo ego defossus sum, complures multo-

ea triumphavit. Scripserit igitur haec Seneca, tertio circiter exsilii sui anno, sed eo tantum ineunte.

Patrios... et novos. Eas nempe gentes iterum iterumque vincat, quas olim eius avi atavique contuderunt; et eas quas eius avi atavique ignorarere, inveniat simul et subiiciat.

Quorum me.... clementia. Ad se nunc revertitur; et, callida adulatione, exsilii sui finem parat, non tamen expresse principem rogans.

Ut nollet erigere. Non enim declaraverat princeps aeternam poenam fore.

Moderatione. Pro *moderamine*, quasi scriptum esset: Manu divina casum rexit.

Deprecatus. Ad Senecam, ait *Ruhkopf*, haec spectare non posse, quivis intelliget, qui historiam inspexerit. Nullibi enim talia de Seneca legimus; non ideo tamen pronunciare audemus (quamquam id iam multa alia satis approbant) haec a Seneca non scripta fuisse. Quid enim mirum foret, si adulterii principalis reus, quod crimen haud raro mors reorum secuta est, et mox damnandus ob Messalinae odium, a Claudio poenae remissionem impetrasset. Neque forsan ille id a Claudio postulaverat, at ipsa impetoris uxor; quae, satis esse rata si ab urbe censor morum asperrimus amoveretur, clementiae famam voluit sibi conciliare, summae eloquentiae virum passa vivere et pro morte exsilium iubens.

Sive... voluerit. Eadem perpetuum, sed vario stylo, sententia.

Defossus. Alii *defisus* aut *defixus*; sed *defossus* melior. Id est, sepultus et iacens: tumulo enim comparat locum quo exsulat. Ita ad Marciam, cap. 2: « *solennibus officiis seducta, defodit se et abdidit.*

Multorum annorum ruina. Ruina quae iam multos annos duravit.

rum iam annorum ruina obrutos effoderit, et in lucem reduxerit, non vereor ne me unum transeat. Ipse autem optime novit tempus, quo cuique debeat succurrere: ego omnem operam dabo, ne pervenire ad me erubescat. O felicem clementiam tuam, Caesar! quae efficit, ut quietiorem sub te agant vitam exsules, quam nuper sub Caio egere principes. Non trepidant, nec per singulas horas gladium exspectant, nec ad omnem navium conspectum pavent. Per te habent, ut fortunae saevientis modum, ita spem quoque melioris eiusdem, ac praesentis quietem. Scias licet ea demum fulmina esse iustissima, quae etiam percussi colunt.

XXXIII. Hic itaque princeps, qui publicum omnium hominum solatium est, aut me omnia fallunt, aut iam recreavit animum tuum, et tam magno vulneri maiora adhibuit remedia: iam te omni confirmavit modo: iam omnia exempla, quibus ad animi aequitatem compellereris, tenacissima memoria retulit: iam omnium praeceptа sapientum assueta sibi facundia explicuit. Nullus itaque melius has alloquendi

2

Principes. H. e. *proceres*, *optimates*. Quamquam Senecae temporibus iam rarius illa vox pro *civitatis primoribus* usurparetur, et imperatores saepius designaret.

Ad omnem... pavent. Ne hinc milites exsiliant, necem daturi.

XXXIII. Anc. Claudii allocutio ad Polybium; quem solaturus, clarorum virorum exempla profert, qui et magna infortunia magno animo perpessi sunt.

Maiora. Nempe quam vulnus tuum est.

Tenacissima memoria. Fatuus enim ille princeps, qui totus in nugis erat, contra Grammaticos aut Sophistas disputabat, dum liberti et uxor agerent, raperent cuncta. Bellulum sane in eo, quem rerum humanarum pondus urget, in Rhetorum officina balbutire! Dum syllabas ponderaret, quater millies Narcissus furabatur; dum litteras duas aut ter alphabeto adiiceret, Silio nubebat Messalina. Eiusdem contra memoriam Seneca mimice irridet in Apocolocyntosi. Ille sane memoriosus, inquit Lipsius, qui uxorem iussam occidi paulo post requisivit.

Facundia. At eumdem in Apocolocynt. scribit lingua titubanti fuisse, spumante rictu, capite tremulo in quocumque actu.

partes occupaverit; aliud habebunt hoc dicente pondus verba, velut ab oraculo missa: omnem vim doloris tui divina eius contundet auctoritas. Hunc itaque tibi puta dicere: « Non te solum fortuna desumpsit sibi, quem tam gravi afficeret iniuria; nulla domus in toto orbe terrarum aut est, aut fuit sine aliqua comploratione. Transibo exempla vulgaria, quae etiamsi minora, tamen mira sunt: ad fastos te, et annales perducam publicos. Vides omnes has imagi- 3
nes, quae implevere Caesareum atrium? nulla non harum aliquo suorum incommodo insignis est: nemo non ex istis in ornamentum seculorum refulgentibus viris, aut desiderio suorum tortus est, aut a suis cum maximo animi cruciatu desideratus est. Quid tibi re- 4
feram Scipionem Africanum, cui mors fratris in exsilio nuntiata est? Is frater qui eripuit fratrem carcere, non potuit eripere fato: et quam iuris aequi impatiens pietas Africani fuerit, cunctis apparuit; eodem enim die, quo viatoris manibus fratrem abstulerat, tribuno quoque plebis privatus intercessit; tam magno tamen

Alloquendi. Pro *consolandi*, ut supra Consol. ad Helv.

Aliud. Subaud. *quam si haec ipse proferrem*.

Desumpsit. E multis sumpsit, proprium sibi elegit.

Imagines, etc. Solebant Romae proceres et illustri loco nati imagines maiorum in atrio ponere, ne antiquae virtutis exempla obsolescerent, aut gentis decus obscuraretur.

Atrium. Vestibuli genus quoddam erat, in divitum aedibus, aliquando non omni ex parte clausum.

Quid tibi referam... nuntiata est? Nam Linterni quo exsul sponte concesserat nuntiatum est Africano Asiatico fratrem obiisse. De hoc vid. Livium lib. XXXVIII, cap. 50 sqq. et Aul. Gell. lib. VII, cap. 19.

Iuris aequi impatiens. Quam aegre, seu naturae, seu legis ius aequum pateretur. Namque vir quidem egregius Scipio fuit; sed egregius civis, minime. Consulatum optime gessit, at contra leges adeptus est; et quum reus peteretur, tribunorum non modo odium despexit, at eodem tempore et auctoritatem et iura. Nec tamen regnum affectabat; sed ingenio et natalibus ultra quam par est superbiens, vix ferebat sibi aliquid obstare. Sensus esse videtur: ille qui legibus resistere auderet, certe fatis reluctatus esset si potuisset.

Intercedere., h. e. adversarium sese

Digitized by Google

fratrem desideravit hic animo, quam defenderat. Quid referam Aemilianum Scipionem, qui uno paene eodemque tempore spectavit patris triumphum, duorumque fratrum funera. Adolescentulus tamen ac propemodum puer tanto animo tulit illam familiae suae, super ipsum Pauli triumphum concidentis, subitam vastitatem, quanto debuit ferre vir in hoc natus, ne urbi Romanae aut Scipio deesset aut Carthago superesset.

XXXIV. «Quid referam duorum Lucullorum diremptam morte concordiam? Quid Pompeios quibus ne hoc quidem saeviens reliquit fortuna, ut una denique conciderent ruina. Vixit Sextus Pompeius, primum sorori superstes, cuius morte optime cohaerentis Romanae pacis vincula resoluta sunt; idemque vixit superstes optimo fratri, quem fortuna in hoc erexerat, ne minus alte eum deiiceret, quam patrem

proferre, et his, quae a magistratu aut iubentur aut rogantur, obluctari. Porro nullus tribuno iubenti intercedebat, nisi consul, aut alius tribunorum, cuius haec vox, *veto*, cuncta derepente aut morabatur aut abrogabat in perpetuum.

Quid referam Aemilian. Scipionem. Qui quum a Scipione, eius qui Annibalem apud Zamam devicerat filio, adoptatus esset, sicut uterque *P. Cornelius Scipio Africanus* nominatus est, et Pauli Aemilii patris retinuit nomen, in *Aemilianus* mutatum. Haec exempla iam allata sunt, Consol. ad Marc. cap. 13.

Adolescentulus.... puer. Pueritia enim apud Romanos ad vicesimum usque annum pertinebat.

Vastitas saepe ap. Latinos pro desolatione, solitudine accipitur.

XXXIV. Ano. Exempla prosequitur nova, Lucullos nempe et Pompeios et ipsos Caesares.

Lucullorum. Cf. Plut. et Index Hist. Ernest. ad Cic.

Quid Pompeios... Tres intelligit, Magnum nempe, et Magni filios duos, Cneium, et Sextum. Vid. infra.

Sorori superstes cuius morte..... resoluta sunt. Sexti Pompeii soror fuit Pompeia, nupta Fausto Syllae. At quae sequuntur ea minime decent. Si vero de Iulia dixisset, quae noverca Sexto, bene et vere esset. Fuit quidem Pompeia Sexti filia (non soror) desponsa in pignus fidemque pacis cum triumviris initae (ann. 40 ante Ch. N.) Marcello Octaviae filio; sed desponsa, non deducta fuit; neque de eius morte legitur.

Fortuna in hoc..... deiiceret. Nam in Hispania postquam anno toto satis feliciter adversus Caesaris lega-

deiecerat; et post hunc tamen casum non tantum dolori, sed bello suffecit. Innumerabilia undique 2
exempla separatorum morte fratrum succurrunt; immo contra vix ulla unquam horum paria conspecta sunt una senescentia; sed contentus nostrae domus exemplis ero. Nemo enim tam expers erit sensus ac sanitatis ut fortunam ulli queratur luctum intulisse, quam sciet etiam Caesarum lacrymas concupisse. Divus Augustus amisit Octaviam sororem carissimam; et ne ei quidem rerum natura lugendi necessitatem abstulit, cui caelum destinaverat: immo vero, idem omni genere orbitatis vexatus, sororis filium successioni praeparatum suae perdidit. Denique ne singulos 3
eius luctus enumerem, et generos ille amisit et liberos et nepotes. Ac nemo magis ex omnibus mortalibus hominem esse se, dum inter homines erat, sensit: tamen tot tantosque luctus cepit rerum omnium capacissimum eius pectus; victorque divus Augustus, non gentium tantummodo externarum, sed etiam dolorum fuit. Caius Caesar, divi Augusti avunculi mei filius ac nepos, circa primos iuventutis suae annos 4
Lucium fratrem carissimum sibi, princeps iuventutis principem eiusdem iuventutis amisit in apparatu Par-

tos dimicavisset Cn. Pompeius, apud Mundam victus occisusque est. Ergo, prope summo fastigio admotus, ille a fortuna subinde deiectus est.

Nostrae domus. Memento imperatorem hic loqui, et de Caesaribus sermonem esse, quamquam e Claudia gente Claudius fuit; sed per connubia et sanguinem in Caesaream domum assumptus.

Octaviam sororem carissimam. Eam nempe quae Marcello primum, tum Antonio nupsit, peperitque de priore marito iuvenem Marcellum, quem imperii participem et haeredem Augustus voluit, de posteriore vero Antonias.

Sororis filium. ....., praeparatum. Marcellum nempe hunc de quo Virgilii versus eximii exstant, Aeneid. lib. VI fin. Vid. not. praeced.

Caius Caesar. Agrippa, non autem, ut videre est e sequentibus, Caius, qui mortuo Tiberio principatum obtinuit; de quo tamen sermo erit.

thici belli, et graviore multo animi vulnere quam postea corporis ictus est, quod utrumque piissime idem et fortissime tulit. Caesar patruus meus, Drusum Germanicum patrem meum, minorem natu quam ipse erat fratrem, intima Germaniae recludentem et gentes ferocissimas Romano subiicientem imperio, in complexu et osculis suis amisit; modum tamen lugendi, non sibi tantum, sed etiam aliis fecit; ac totum exercitum, non solum moestum, sed etiam attonitum, corpus Drusi sui sibi vindicantem, ad morem romani luctus redegit; iudicavitque non militandi tantum disciplinam esse servandam, sed etiam dolendi. Non potuisset ille lacrymas alienas compescere, nisi prius pressisset suas.

XXXV. «M. Antonius avus meus, nullo minor nisi eo a quo victus est, tunc quum rempublicam constitueret, et triumvirali potestate praeditus, nihil supra se, exceptis vero duobus collegis, omnia infra se cerneret, fratrem interfectum audivit. Fortuna impotens, quales ex humanis malis tibi ipsa ludos facis! Eo ipso tempore quo M. Antonius civium suorum vitae sedebat mortisque arbiter, M. Antonii frater duci iubebatur ad supplicium. Tulit hoc tamen tam triste vulnus eadem magnitudine animi, qua omnia alia adversa toleraverat; et hoc fuit ei lugere, viginti legionum

Caesar patruus meus. Qui, postea Imperator, Tiberii nomine famosus fuit, et imperium tres et viginti annos (a 14 ad 37 Ch. N.) obtinuit.

Drusum Germanicum patrem. Tiberii ille frater fuit et cum eo adoptatus et in Germaniam missus; qua in regione utrumque victorem multoties fuisse et in barbaros res bene gessisse, quum multa alia comprobant, tum et Horatii lib. IV, Od. XIV: *Quae cura patrum*, etc. et eiusd. lib. Od. IV: *Qualem ministrum fulminis alitem*.

XXXV. Aug. Antonii triumviri exemplum adiicitur. Tum ipse exemplum se dicit calamitatis, ut par est, fortiter toleratae.

Fratrem. C. Antonium, qui iussu Bruti in Macedonia interfectus. Cf. Plut. Brut. c. 23.

Vig. leg. Quae a Bruti Cassiique

Digitized by Google

sanguine fratri parentare. Sed ut omnia alia exempla 2
praeteream, ut in me quoque ipso alia taceam funera, bis me fraterno luctu fortuna aggressa est, bis intellexit laedi me posse, vinci non posse. Amisi Germanicum fratrem: quem quomodo amaverim, intelligit profecto quisquis cogitat quomodo suos fratres pii fratres ament. Sic tamen affectum meum rexi, ut nec relinquerem quidquam quod exigi deberet a bono fratre, nec facerem quod reprehendi posset in principe. » Haec ergo puta tibi parentem publicum re- 3
ferre exempla, eumdem ostendere quam nihil sacrum intactumque sit fortunae, quae ex his penatibus ausa est funera ducere, ex quibus erat deos petitura. Nemo itaque miretur, aliquid ab illa aut crudeliter fieri aut inique. Potest enim haec adversus privatas domos ullam aequitatem nosse, aut ullam modestiam, cuius implacabilis saevitia toties ipsa funestavit pulvinaria? Faciamus licet illi convicium, non nostro tantum ore, 4
sed etiam publico, non tamen mutabitur; adversus omnes se preces, omnesque ceremonias eriget. Hoc fuit in rebus humanis fortuna, hoc erit; nihil inausum sibi reliquit, nihil intactum relinquet. Ibit violentior per omnia, sicut semper est solita, eas quoque domos ausa iniuriae causa intrare, in quas per templa aditur, et atram laureatis foribus induet vestem.

partibus erant. Declamatorie haec dicta sunt; non enim omnes interfecit.

Bis fraterno luctu. Solum tamen Germanicum citat, quamvis de duobus meminit. Alteram iacturam de Livilla intelligendam esse coniicit Lipsius, quam ideo sane non nominat, quod eam parum honesta causa Tiberius interfecerat paulo post Sejanum. Sueton. conferas.

Pulvinaria. Quae deorum sunt, ut lecti privatorum.

Ceremonias. ex Mss. Gronovius dedit. In multis edd. *querimonias*, bono sensu.

Per templa aditur. Intelligit Lipsius de palatio principum, quod templis undique cingebatur. Cf. Claudian. VI Consul. Honor.; Ovid. Fast. IV.

Laureatis. Palatinae fores lauro et quercu ornatae semper erant.

Induet. In quibusdam edd. *Inducere*, minus perspicue.

XXXVI. Hoc unum obtineamus ab illa votis ac precibus publicis, si nondum illi genus humanum placuit consumere, si Romanum adhuc nomen propitia respicit, hunc principem lapsis hominum rebus datum, sicut omnibus mortalibus, sibi esse sacrosanctum velit. Discat ab illo clementiam, atque sit mi-
2 tissimo omnium principum mitis. Debes itaque omnes intueri eos quos paulo ante retuli, aut adscitos caelo, aut proximos, et ferre aequo animo fortunam, ad te quoque porrigentem manus; quas ne ab eis quidem per quos vivimus abstinet. Debes illorum imitari firmitatem in perferendis et in evincendis doloribus, et in quantum modo homini fas est, per divina ire ve-
3 stigia. Quamvis in aliis rebus dignitatum ac nobilitatum magna discrimina sint, virtus in medio posita est; neminem dedignatur, qui modo dignum se illa iudicet. Optime certe illos imitaberis, qui quum indignari possent non esse ipsos expertes huius mali, tamen in hoc uno se caeteris exaequari hominibus, non iniuriam, sed ius mortalitatis iudicaverunt; tuleruntque nec nimis acerbe et aspere quod acciderat, nec molliter et effeminate. Nam et non sentire mala
4 sua non est hominis; et non ferre, non est viri. Non possum tamen, quum omnes circumiverim Caesares, quibus fortuna fratres et sorores eripuit, hunc praeterire ex omni Caesarum numero excerpendum, quem rerum natura in exitium opprobriumque humani generis edidit, a quo imperium eversum funditus prin-

XXXVI. Anc. Pergit neminem dicendo iure indignaturum id sibi calamitatis divinitus accidere quod et Caesarum capiti toties incubuerit. Mox refert quis in affectu percipiendo optimus modus sit, nec immoto omnino pectore, nec emoto. Denique Caii (Caligulae) vitam acriter obiurgat, et mala domestica attiugit quae ille ignave tulit.

Atque sit... mitis. Lips. in ed.: «*atque a mitissimo omnium principe mitis fieri* (sub. *discat.*)» Vtraque lectio latina et plani sensus.

Dign. ac nob. Sic Groa. e Mss. In mult. edd. deest *ac nobil.*

Digitized by Google

cipis piissimi recreat clementia. C. Caesar, amissa sorore Drusilla, is homo qui non magis dolere quam gaudere principaliter posset, conspectum conversationemque civium suorum profugit, exsequiisque sororis suae non interfuit, iusta sorori non praestitit, sed in Albano suo tesseris ac foro, et provocatis huiusmodi aliis occupationibus acerbissimi funeris levabat mala. Pro pudor imperii! principis Romani lugentis sororem alea solatium animi fuit. Idem ille Caius furiosa inconstantia, modo barbam capillumque submittens, modo Italiae ac Siciliae oras errabundus permetiens, et nunquam satis certus utrum lugeri vellet, an coli sororem. Eodem enim tempore quo templa illi constituebat ac pulvinaria, eos qui parum moesti fuerant, crudelissima afficiebat animadversione. Eadem enim intemperie animi adversarum rerum ictus ferebat, qua secundarum elatus eventu, supra humanum intumescebat modum. Procul istud exemplum ab Romano viro, luctum suum aut intempestivis avocare lusibus, aut sordium ac squalloris foeditate irritare, aut alienis malis oblectare, minime humano solatio. Tibi vero nihil ex consuetudine mutandum tua, quoniam quidem ea instituisti amare studia quae et optime felicitatem extollunt, et facillime minuunt calamitatem; eademque et ornamenta hominum maxima sunt et solatia.

C. Caesar. De Caligula agi patet.

Albano.... provocatis. Locus corruptus erat usque ad Gronovium, qui eum persanasse videri potest: *forus* est tabula lusoria s. alveus: *provocatis* i. lacessitis, arcessitis, quaesitis. De re cf. Sueton. Calig. 24. Dio Cass. 59, 10, 11. In Albano, villa sua tesseris ac alea lusit, aliasque huiusmodi occupationes provocavit i. quaesivit. In omnibus sequutus est Gronov. codd.: unum τὸ *et* ante *huiusmodi* indaxit.

Alea. Interdictum alea Romanis olim fuit, Caesarum etiam tempore, excepti festis Saturnaliorum diebus; sed legi parum reverentiae aut observantiae contigisse ex omnibus fere scriptoribus notum est.

Lugeri. ut hominem; *coli*, ut Deam.

Digitized by Google

XXXVII. Nunc itaque te studiis tuis immerge altius; nunc illa tibi velut munimenta animi circumda, nec ex ulla tui parte inveniat introitum dolor. Fratris quoque tui produc memoriam aliquo scriptorum monumento tuorum. Hoc enim unum est rebus humanis opus cui nulla tempestas noceat, quod nulla consumat vetustas: caetera quae per constructionem lapidum et marmoreas moles aut terrenos tumulos in magnam eductos altitudinem constant, non propaga-
2 bunt longam diem; quippe et ipsa intereunt. Immortalis est ingenii memoria: hanc tuo fratri largire, in hac eum colloca. Melius illum duraturo semper consecrabis ingenio, quam irrito dolore lugebis. Quod ad ipsam fortunam pertinet, etiamsi nunc agi apud te causa eius non potest (omnia enim illa quae nobis dedit, ob hoc ipsum quod aliquid eripuit, invisa sunt); tunc tamen erit agenda, quum primum aequiorem te illi iudicem dies fecerit: tunc enim poteris in gratiam cum illa redire. Nam multa providit, quibus hanc emendaret iniuriam, multa etiam nunc dabit quibus redimat; denique ipsum quod abstulit, ipsa
3 dederat tibi. Noli ergo contra te ingenio uti tuo, noli adesse dolori tuo. Potest quidem eloquentia tua, quae parva sunt approbare pro magnis, rursus magna attenuare et ad minima deducere; sed alio ista vires servet suas, nunc tota se in solatium tuum conferat. Sed tamen dispice, ne hoc iam quoque ipsum sit supervacuum; aliquid enim a nobis natura exigitur; plus vanitate contrahitur. Nunquam autem ego a te,
4

XXXVII. Ans. Moerentem eo nomine a moerore avocat, quod studiis litterariis simul et fratris laudi incumbere facile possit, illius dicta et facta scriptis exprimendo. Stoicos acerrime redarguit.

Adesse, pro patrocinari. Eadem vox eodem sensu occurrit in Cons. ad Marc. c. 7.

Exigitur. Lips. *Exigit*.

Digitized by Google

ne ex toto moereas, exigam. Et scio inveniri quosdam durae magis quam fortis prudentiae viros, qui negent doliturum esse sapientem. Hi vero videntur nunquam in huiusmodi casum incidisse; alioquin excussisset illis fortuna superbam sapientiam, et ad confessionem eos veri etiam invitos compulisset. Satis praestiterit ratio, si id unum ex dolore, quod et superest et abundat, exciderit; ut quidem nullum omnino esse eum patiatur, nec sperandum ulli, nec concupiscendum est. Hunc potius modum servet, qui nec impietatem imitetur nec insaniam; et nos in eo teneat habitu, qui et piae mentis est, nec motae. Fluant lacrymae, sed eaedem desinant; trahantur ex imo pectore gemitus, sed iidem et finiantur. Sic rege animum tuum, ut et sapientibus te approbare possis et fratribus. Effice, ut frequenter fratris tui memoriam tibi velis occurrere, ut illum et sermonibus celebres, et assidua recordatione repraesentes tibi. Quod ita demque consequi poteris, si tibi memoriam eius incundam magis quam flebilem feceris. Naturale est enim ut semper animus ab eo refugiat, ad quod cum tristitia revertitur. Cogita modestiam eius; cogita in rebus agendis solertiam, in exsequendis industriam, in promissis constantiam. Omnia dicta eius ac facta et aliis expone, et tibimet ipse commemora. Qualis fuerit cogita, qualisque sperari potuerit: quid enim de illo non tuto sponderi fratre posset? Haec, utcumque potui, longo iam situ obsoleto et hebetato animo

Et scio inveniri..... esse sapientem. Stoicos hic notari nemini sane dubium erit; et mirum ita de hac secta Annaeum loqui, cuius praecepta et disciplinam perpetuo commendavit; neque hinc parum firmitatis eorum opinioni adest qui Annaeanum hoc opus esse inficias eunt.

Motae. Ex Mss. Gronov. dat *emotae.*

Frequenter fratris tui....repraesentes tibi. Conferend. his quae Tacit. in Agricol. cap. 46 habet, his similia et cogitatione et ipsis verbis.

composui: quae si aut parum respondere ingenio tuo, aut parum mederi dolori videbuntur, cogita quam non possit is alienae vacare consolationi, quem sua mala occupatum tenent; quam non facile Latina ei verba homini succurrant, quem barbarorum inconditus, et barbaris quoque humanioribus gravis, fremitus circumsonat.

Succurrant. Praesto sint. Ovid. Trist. lib. V, El. XII, 57: *Ipse mihi videor iam dedidicisse Latine; Iam didici Getice Sarmaticeque loqui.*

Humanioribus. Iis scilicet qui iam disciplinas liberales attigerunt et « ingenuas pectus coluere per artes. »

L. ANNAEI SENECAE

DE MORTE

CLAVDII CAESARIS

LVDVS,

VVLGO DICTVS

APOCOLOKYNTOSIS

FRIDERICI ERNESTI RVHKOPF

PRAEFATIO

(Ex IV voluminis praefatione excerpta).

Lvdvm de morte Clavdii Caesaris L. A. Senecae et codd. mss. et omnes editores atque reliqui viri docti, qui huius opusculi mentionem fecerunt, tribuere. Iam si forte Erasmo (Adag. 1301) et Fabricio (Biblioth. Lat. lib. II, c. XI, p. 109, t. II, edit. Ernest.) fidem habeamus, hic ludus primum a Beato Rhenano in Germania repertus in lucem emersit. Sed non usquequaque verum hoc esse facile est ad docendum. In Germania a Beato Rhenano primo hunc ludum editum scholiisque illustratum inter Senecae Opera ab Erasmo recensita Basileae a. 1515, fol., et deinde a. 1529, quum editio Erasmica secunda iam non procul a fine abesset, notis criticis adiutum, posteaquam Beatus codicem Weinssenburgensem non magis lacerum quam ceteri sunt, nactus esset, in dubium vocari nequit. Ipse Beatus Rhenanus hoc nobis ibi tradit. Codex ille ubi nunc delitescat, dicere non possum: parvi tamen fuisse pretii Beatus ipse innuit. Fuit enim, ut eius verbis utar, scripturae plane miserabilis, vestigiis tamen aliquibus verborum graecorum exstantibus. Enimvero et Erasmum et Fabricium, quem nec Ernesti in rectum tramitem deduxit, falsos esse, ex Beati Rh. narratione clarum est. Ad initium enim cap. VI, p. 670 ed. Erasm. II: Et imposuerat Herculi minimo discrimine fabulam etc., addit ille haec verba: «Manuscriptus codex non *fabulam* habet, sed *fabros*. Eam dictionem doctus aliquis mutarat in *fabulam* in editione romana, quam nos primum secuti sumus.» Ex quo

loco utrumque lucramur, quum veritatem, in Germania hunc ludum non repertum primum in lucem emersisse, tum notitiam prorsus incognitam, Romae iam ante annum Chr. 1515 prodiisse vel omnium Senecae operum vel huius, quod tractamus, opusculi editionem, cuius neque Fabricius, ab Ernestio non correctus, neque quisquam editorum sequentium mentionem iniecit. Quum remotior sim a lautioribus bibliothecis, quam ut ob hanc editionem romanam Audiffredii Panzerique libros consulere et inquirere possim, hanc operam aliis literatoribus relinquam, contentus docuisse, eam exstare, et ex ea nostri ludi primam in Germania editionem emanasse. Ex hac editione deinceps in secutas edd. transiit ludus de morte Claudii Caesaris sine ulla fere mutatione propter inopiam et mancam codd. mss. conditionem. Omnes enim codd. mss. quos ab editoribus aliisque collatos comperi, in iisdem lacunis consentiunt: praesertim miserrimi habiti sunt in omnibus locis, ubi graeca occurrunt.

Quae observatio in libro Literaturae romanae unico, quippe quae libellis orationis solutae satyricis praeter hunc fere caret, quum me diu male haberet, nec unde opem laboranti opusculo haud spernendo quaererem indagare possem, nec opinato se obtulit mihi occasio optima, qua illius voti compotem me fieri posse sperabam. Mense enim Februario anni praeterlapsi ineunte, *Bredow* Vir clariss., Professor Histor. in Academia Helmstadiensi, urbem nostram in itinere Parisios, ubi Geographis Graecis, Latinis, et Arabicis edendis subsidia petiturus erat, instituto attigit meque convenit. Cui quum mox, ut fit, curam meam aperuissem, tam amice in societatem eius rei devenit, tantamque mihi comitatem ostendit, ut adeo quae posset libenter se effecturum promitteret, ne libellus hicce, si per se staret, amplius tot lacunis scateret. Quid multa? promissi mihi facti fidem praestitit, et undecim Codicum mss. Parisinorum a se maximam partem collatorum Lectionem variantem perhumane mihi misit: quid, quod, quum animadvertisset, doctissimum olim praesulem Petr. Dan. *Huetum*, cuius bibliothecam Iesuitis donatam, deinde in Bibliothecam Regiam migrasse constat, editionis parisiensis anni 1619, fol. margini observationes inter legendum exortas suas quum exegeticas tum criticas ad-

scripsisse, non cunctatus Vir amicissimus, et harum partem eximiam descriptam in meam gratiam adiungendam statuit. Qua benignitate nihil mihi gratius ac iucundius accidere potuit, nec possum quin publice maximas quas possim gratias Viro de me ac Seneca promerito agam habeamque, cuius beneficium eo maioris mihi aestimandum fuit, quo brevius temporis spatium Parisiis ei commorari liceret, tot tantisque thesauris ut omnium literarum undique convectis, ita praesertim Geographiae cuiuscumque ibi coacervatis in usum suum convertendis occupatissimo.

Contulit autem Vir amiciss. codices mss. hosce:

α. Codd. mss. Lat. Paris. Biblioth. Reg. no. 6630: membranac. saec. XIII scriptus.

β. . . . . 8717. membranaceus, saec. XIV scriptus. Fuit Iac. Aug. Thuani, postea Colberti, cum epigraphe: Annei Lucii Senece de morte Claudii, qui dicitur ludus Senecae, liber incipit. Sequitur Epigramma Martialis V, 42, nescio quare adscriptum. Bredow amic. monuit: «Omnem varietatem huius auro et coloribus ornatissimi codicis excerpere gravior esset labor, quam Augiae stabulum purgare. Nonnulla tantum, quae memoratu digna esse videntur, adscribam. Versus illi, ni fallor, Martialis sunt: non video, quid hoc loco sibi velint.»

c. no. 1936, membranaceus, olim Ducis de Bethune, saec. XIV scriptus.

d. no. 6389, membranaceus, saec. XIV scriptus.

e. no. 5055, chartaceus, olim Colberti, saec. XIV, aut XV ineunte scriptus.

f. no. 6395, membranaceus, eodem tempore scriptus.

g. no. 8544, membranaceus, anno Chr. 1389 scriptus.

h. no. 8542, membranaceus, primum Thuani, postea Colberti, saec. XIV, aut XV ineunte scriptus.

Reliquos codd. mss. ab amic. Viro non diserius descriptos, si forte eorum mentio facta est, literis signavi. Sunt Codd. 8501, 8544, et 8624, qui tamen nihil nisi opusculi initium continent. Accuratissime scriptus est Codex mss. α, sive n. 6630, qui to-

tus collatus est, reliqui maximam partem: sed ad unam familiam omnes undecim pertinere clarum est. Omnes habent easdem lacunas, et easdem fere corruptelas, quippe e codice quam maxime lacero descripti: proinde, quum codd. non numerandi sed ponderandi sint, pro uno eodemque habendi sunt.

Lucrum, quod ex hac undecim codd. mss. collatione capere licet, exigui est momenti ad hoc opusculum emendatius, quam fieri ad hunc diem potuit, exhibendum, et observationem Viri amicissimi eandem mecum communicatam vidi confirmatam. Quidquid tamen praestiterint, adnotare non neglexi, ut quivis oculis suis videre, et iudicium ferre valeret. Hoc certe ad liquidum deductum esse nunc apparet, Parisiis nullam huic opusculo lacero salutem petendam esse.

Qua quidem spe quum ita excidissem, lentior factus sum ad aliam concipiendam et alendam, quae ex epistolis humanissimis Viri doctrina et meritis de literis venerabilis *Iac. Morellii*, praefecti Bibliothecae Marcianae, quae Venetiis tanto decori est, meritissimi, ad Fesslerum S. V. datis, enasci alioqui potuisset: quamquam ille codex mss. Morellio monente, no. 267, in-4, saeculo XIV scriptus sit ab indocto librario et totus mendis scateat. Ne tamen quidquid officiorum in editorem impigrum cadentium praetermisisse incuser, precibus adii *Heynium* V. Ill. inde a triginta fere annis de me multis nominibus meritissimum, ut Morellium, quocum et literarum commercio, et amicitiae vinculo esse iunctum compereram, opusculo huic cum illo codice conferendo conciliaret, atque adeo eandem Senecae operam praestaret, quam Morellio adiuvante ibi Blessingium, Appiano praestitisse laudat Schweighaeuser in praefat. ad Appianum, praesertim quum paucis tantum foliis constare possit ille codex Venetus. Summopere gaudeo, quod Heynius meus precibus hisce motus omnem suam operam impensurum benigne mihi pollicitus sit, ut voto meo potirer.

Alia spes eodem fere tempore mihi affulsit e literis Abb. *Santolonii* ad Fesslerum S. V. datis, exstare, nuntiantibus, in Biblioth. vatic. Romae quatuor codd. mss. nondum, ut ille asseverabat, a quoquam collatos, cuius tamen asserti fidem equidem praestare non ausim. Nulli labori me parsurum esse, ut in usum

nostrum Lectionem variantem ex istis codd. mss. excerptam convertam, iam supra indicavi. Sunt autem hice:

nr. 2201, constans pagg. 111, membranaceus in folio, eleganter et emendate exaratus saec. XIII, adiectis e regione Lectionibus variis.

nr. 2212, constans pagg. 284, membran. in fol. magno, apicibus ad gothicum stilum vergentibus, in Germania, ut videtur, exaratus initio saeculi XV, initialibus literis auro minioque affabre depictis a summo ad calcem exornatus.

nr. 2216, constans pagg. 118, membranaceus in folio, nitide et eleganter exaratus saec. XIV.

nr. 4498, constans pagg. 114, membranaceus in 4, exaratus saec. XV.

Omnes autem hi codices tum collati tum nondum collati, quantum comperi, titulum opusculi gerunt: *Ludus de Morte Claudii Caesaris*, nullus, quod sciam, Αποκολοκυντώσεως inscriptionem exhibet: quare nec mihi committendum ratus, ut hoc titulo opusculum insignirem, eam, in omnibus edd. recentioribus obviam, delendam iussi, codicibus quippe magis quam coniecturae vel haud improbabili obtemperaturus: quippe quae ab *Adr. Iunio* [1] profecta est. Qui quum apud Dionem Cass. LX, 35 extr. [2] legisset, Senecam nostrum in Claudii mortem libellum edidisse sub titulo Αποκολοκυντώσεως i. e. mutationis in cucurbitam, quo verbo ab eo ad analogiam verbi pervulgati ἀπαθανατίσεως i. e. mutationis in deum invento efficaciter stupiditatem Claudii insignem designare voluerit, nec dubitasset, hunc libellum esse eumdem ipsum, quem etiamnunc tractamus; titulum eius hunc in posterum quasi iure postliminii revocandum et ex exilio, quo tandiu delituisset, in iura male perdita restituendum esse pronuntiavit. Sed non satis erat, innuisse, a Seneca ideo Αποκολοκύντωσιν Ludum esse appellatum, quod Claudius medicato boleto, quasi pharmaco purgatorio (cuius tamen in Ludo nulla fit mentio, nec prudenter fieri poterat) quod olim frequens e colo-

1. Cf. Ej. Animadv. 1, 17, in Gruteri Lampade crit. Vol. IV, p. 342 sq.
2. Verba Dionis sunt haecce: Συνέθηκε μὲν γὰρ καὶ ὁ Σενέκας σύγγραμμα Αποκολοκύντωσιν, αὐτὸ, ὥσπερ τινὰ ἀπαθανάτισιν, ὀνομάσας.

Digitized by Google

cynthide concinnaretur (quam agrestem cucurbitam vocare licet) perierit; sed ex ipso hoc libello docendum erat, inscriptionem ei convenire. Quod factum non est a Iunio, neque a Dan. Heinsio in Diss. de hoc Senecae libello.[1] Defendi forsan potest eo, ut dicatur, mutationem stupidi innui.

Neminem tamen adhuc vidi, qui Iunii sententiam reiecisset. Omnes eum insecuti viri docti et editores titulum hunc ab eo exhibitum pro vero et a Seneca profecto habere non dubitaverunt. Vnus Xylander alicubi opinionem quidem promsit, non esse Senecae foetum, sed inscriptionem in dubitationem vocare non conatus est. Neque *Cortius* prof. olim Lips. qui in libro sub titulo: Satyrae Menippeae tres, Senecae Apocolocyntosis, Lipsii somnium, et Cunaei Sardes Venales, Lipsiae 1720, 8, edidit notisque illustravit perpetuis et iis viro doctiss. parum dignis, neque Frid. Christph. *Neubur*, qui germanice vertit et illustravit Lips. 1729, 8, ap. Bernh. Christph. Breitkopf, hanc inscriptionem repudiaverunt. Eamdem opinionem et Viris doctis Gallis, Anglis et Germanis, qui ludum converterint in patrium quisque sermonem, se probasse intellexi.[2]

Haec tituli Ἀποκολοκυντώσεως omissio, quam codd. testantur, Xylandro haud dubie dubitationem, quam modo memoravi, movisse videtur. Sed enim quum librarii graeca non callentes in contextu ipso graece scripta praetermiserint, quidni et inscriptionem graece scriptam quasi obelo praenotatam praeterierint? Nec silentium veterum sive neglectus ludi memorandi argumento sit, a Seneca non esse profectum, siquidem alioquin numerus librorum tanta veneratione dignorum mirum quantum diminutus

1. Adiecta haec est Ei. Orationibus, Lugd. Bat. 1642, 12, p. 683-708, quod me humanissime monuit *Biesterus*, Praefectus Bibliothecae reg. Berolini, Vir doctrina eleganti et meritis de bonis literis sinceraque philosophia clarissimus. Eidem viro amiciss. debeo etiam epitomen *Io. Schefferi* Lection. academ. (Hamb. et Amstelod. 1675, 8) ubi p. 279-336, notae in Ludum hunc leguntur, exigui momenti. Criticis, quae paucae sunt, notis usus sum.

2. Praeter alias notas interpretationes memoro *Russavii* (*Oeuvres* To. XIV, p. 200, *éd. de Genève*) et *Sonntagii* S. V. (*Zur Vnterhaltung fur Freunde der alten Literatur*, II, Rigae. 1790, 8) Vtraque elegantissima est.

Digitized by Google

foret. Fortasse tamen sermo latinus, quo hic ludus compositus est, abhorret a Senecae usu et consuetudine? At primum in libello tam lacero versamur, ut ea ipsa loca, quae dubium movent, suspicione corruptelae non careant: deinde saepius ad sensum quemdam nec prorsus certum nec demonstrandum tota dubitatio redit. Iam vero quum colorem vere romanum et oratione et argumento prodi quivis confirmaverit, nec statim naevi sint, qui tibi dubitanti esse videantur, difficile inde fuerit demonstrare, a Seneca librum non esse profectum. Parum tamen aberat *G. D. Koelerus* D. Phil. qui quummaxime Gymnasium quod Detmoldi in vicinia mea floret cum laude moderatur, Vir doctrina et ingenio clarus atque intima mecum amicitia coniunctus, quin de Seneca huius ludi auctore subdubitans et in orationem auctoris inquirens Senecae eam non satis dignam opinaretur, loquendi quippe maxime motus formulis hisce: c. 1, *volo memoriae tradere*; c. 3, *peregrinos in semen relinqui*; c. 4, *vae me*; c. 6, *collum praecidi*, et *quod tibi narro*, quod gallicum quid referre videbatur, *ce que je vous dis, en vérité; virum valentem, l'homme vaillant*, et similibus: quae ipsi suspicionem movebant, recentioris cuiusdam auctoris foetum esse, qui Petroniastrorum (venia sit verbo!) recentiorum instar personam Senecae ad maiorem sibi suaeque satyrae in coronatum quemdam stupidum securitatem parandam sibi accommodavisset. Quae etsi docte observata sunt, tamen id mihi non persuadent quod vir amiciss. voluit: partim enim ab usu Senecae non abhorrent, partim in notis nisi usum, tamen analogiam harum phrasium monstrare conatus sum. Sic, ut hoc obiter moneam, Seneca de Benef. VII, 4, 1, habet: «volo videre;» VII, 8, 1: «volo sub conspectu meo ponere;» c. 10, 1: «nunc volo tuas opes recognoscere,» etc. Non magis mihi Viri amicissimi, quod eius pace dictum sit, argumenta alia persuadent, quum propter iuris peritiam non vulgarem, quae in libello eluceat, et dictionis similitudinem Senecam patrem Ludi auctorem esse, non filium, nostrum Lucium Annaeum, tum severitate atque gravitate L. Annaei satyricam hanc et frivolam et sordidam scribendi rationem non dignam esse. Senecam tamen patrem tunc temporis non amplius in vivis fuisse, demonstrare fortasse valerem, si

forte opus esset: sed non video, cur iurisperitiae laus non in nostrum quoque Senecam, quem saepe caussas orasse constat (cf. e. c. Dio Cass. LIX, 19), casura sit. Nec satyrica nostrum vena caruisse, e scriptis his, quae nobis terere contigit, satis clare apparet: confirmant quoque iudicia a Tacito et Quintiliano satis nota de eo lata, virum amoenissimi ingenii, qui omnem fere studiorum materiam tractaverit, talem ludum scribere potuisse: nedum Dionis Cassii testimonium amplius urgeam, qui aperte eum ait satyram in Claudium composuisse. Denique de obscoenis non idem ac nos sensisse veteres, docet locus Quintiliani VI, 3, 29. Sed non tacendum est, virum amiciss. haec per literas mecum communicantem egregie simul monuisse, se probe intelligere, ingenium L. Annaei Senecae tam copiosum et varium tum varia prodere, tum variam suis scriptis formam induere potuisse, nec nos satis caute a scriptis eius, quae terimus, colligere, ludicrum et facetum scribendi genus ei non successisse, praesertim quum et diversi aetatis anni et vivendi agendique rationes ad alia omnia talem virum discedere a se cogere possint, et inconstantiam quamdam creare valeant.

Multus fuit *Dionysius Diderotus*, [1] quum magis optandum quam docendum pronuntiasset, Ludum hunc a Seneca non esse compositum, in causa Senecae oranda, atque in crimine adulationis et ingrati animi diluendo. Qua re non solum hunc Ludum et Consolationem ad Polybium satyras esse posuit, sed consilium etiam Senecae in Ludo componendo fuisse statuit, ut Claudium risui publico exponens, Neronem alumnum suum ad officia imperatoris sapientius et humanius quam Claudius fecisset exsequenda optime adhortaretur. Sed quod primo loco positum est, egregie redarguit *Spaldingius* Vir Cl.: [2] alterum refutatur tota satyrae quamvis lacerae indole. Caeterum de crimine illo, in quod Philosophus incurrisse dicitur, dispiciendum est, quo equidem, si quis alius, eum libentissime liberatum cupiam,

1. Cf. eius *Essai sur les Règnes de Claude et de Neron*, etc. To. I, § 36 sq. To. II, § 94.

2. In Abhandlungen der konigl. Akademie der Wissenschaften und schonen Kunste aufs iahr 1803, p. 226 sq. (Berolini 1806, 4,)

quoad eius quidem fieri possit. Ac primum, ut illud diluamus ludum ei abiudicando, dubitationem movere hoc potest, quod Senecam, oratione, quam Nero die funeris Claudii Caesaris haberet, in eius laudem modo elaborata, continuo pessimis eumdem Cladium conviciis credunt hoc ludo consectatum esse. Quod nostro certe sensui ab aulis remotorum vel maxime repugnat: siquidem ingratum in Claudium, qui exsulem revocasset et multis magnisque beneficiis et honoribus exornasset, animum, philosophoque stoico indignissimum non possumus quin reprehendamus. Quamvis haec negari non possunt, tamen non impediunt, quominus quum locus, quem apud Neronem Seneca tenebat, summus, eiusque studium insigne, Claudii stultitia augenda atque risui publico exponenda, alumni sui extollendi, et vi oppositi populo commendandi, tum laxior philosophia stoica, recentiorem eam merito vocaveris (concedamus enim, iam tum huic philosophiae unice fuisse deditum) qua inde a Panaetio Stoae auctorum asperitas temperata fuit, Senecae huius ludi scriptionem permiscrint. At sic duplici persona eum induimus! Nec hoc negandum est. At etiamsi nemini alii facile hoc concedamus, tamen homini in aula et in gravissimis honoribus, quos aula dat, quammaxime versanti haec venia et petenda et danda interdum esse videtur, ut duplicem capiat personam. Quod si ponamus, haud difficilis est Senecae excusatio, quem partes Neronis ita defendere decebat, ut, quum de homine publice idque merito damnato atque adeo arbitrio cuiusvis libere condonato ageretur, eo utcunque describendo ac tractando, tanquam materia locoque communi uti non dubitandum esset. Minuitur etiam culpa, si statum Senecae reputemus. Quid enim homini aulico amoenissimi ingenii et comitatis magnae (Tacit. Ann. XIII, 2) facere licuit rogato forsan ab Agrippina Neronis matre, ut contemtui publico, cui Claudius iamdiu traditus erat, augendo atque comprobando et ipse suo ingenio deesse nollet? Num refragandi copia fuerit? Minime gentium. Talia autem pro certis ponere et historiae male tacenti extorquere licet historico homines reputanti ubique in rebus similibus similes sibi esse, rerumque usum consulenti. Et quaenam gratia homini persolvi debebat, qui temere in exilium mittere, et inde itidem

revocare solebat! Parum autem in Senecam cadere istam delicatiorem iusto sentiendi rationem (*sentimentalitatem* barbare novitii vocant), quam Diderotus in eo positam voluit, ex aliis locis colligimus, ubi Claudii mentionem fecit haud honorificam, e. c. de Benef. I, 15, 3.

Nec opponi potest irrisio Stoae, qua quidem auctor ludi non abstinuit. Num verisimile est, dici potest, Senecam stoicae philosophiae tunc temporis iam deditum tam abiecte locutum esse de quibusdam huic philosopborum sectae tam caris rebus? Nonne deus stoicus, nonne Hercules, quem tanti aestimasse constat Stoicos, ridiculo est? Audio. At quid impedit, quominus nostrum vel maxime stoicum statuamus haec immiscuisse, ut ridiculum, quod quaerebat, augeret, in memoriam revocans locum Varronis facetissimum, cuius tamen acumen nobis periit? Oblitine sumus Ciceronis, qui ut Catonem ridiculo exponeret, philosophiam quam valde eum amasse constat, etiam stoicam risui exposuit? Quidni statuere licet, ludum hunc in publicum prodiisse primo anonymum, quamquam Senecae esse opusculum mox neminem fugerit? Nam qui aulam eiusque artes populo verba dandi atque os oblinendi vulgatas noverit, ei facile hanc opinionem se probaturam confido.

Caeterum cuncta quae ad mortis Claudii genus spectant, mox adeo pernotuere, ut Tacitus, Suetonius, aliique non opus haberent e satyra haurire sua (cf. Tacit. Ann. XII, 67). Quo factum est, ut historia nihil novi ex ea capiat.

Si forte quis haec omnia quae pro Seneca Ludi auctore pugnant, probe perpenderit, non dubito, quin sententiae vetustae a Dione Cassio et Codd. mss. nobis traditae mecum accedat, et eam probet, etiamsi nemo huius ludi meminerit praeter Dionem, quod facile in tanta auctorum, praesertim istius aevi, iactura fieri potuit. Titulum autem a Dione laudatum nostris codd. mss. deesse, nemini mirum videbitur, qui reputaverit, librum ex uno et eo lacero codice manuscripto ad nos venisse. Nec tamen inde quod Dio Cassius librum non cum laude meminit, cogi recte posse videtur, non magni esse aestimatum: nam utrum Dio librum ipse legerit, an aliunde sua hauserit, nemo dixerit. Accedit, quod Senecae non favisse constat.

Digitized by Google

In hoc Satyrae genere Seneca non primus fuit, quum *Lucilius*, *M. Ter. Varro* apud Romanos, et Menippus Gadarenus, Meleagri, primi Anthologiae graecae conditoris, amicus, ὁ σπουδογέλοιος Straboni XVI, p. 1101 vocatus (cf. Fabricii Biblioth. graec. Vol. III, p. 521 sq.), aliique apud Graecos satis celebres fuerint satyrici, qui solutam orationem versibus distinguendo nomen huic scribendi generi adsciverunt. Sed nil nisi fragmenta horum scriptorum exstant. Nec raras huiusmodi scriptiones fuisse apud Romanos non unum exemplum docet. Clarissimum est M. Ter. Varronis, qui in triumviratum Cn. Pompeii, Iulii Caesaris et M. Crassi satyram Τριχάρανον, ad Cerberum respiciens, composuit, memoratam Appiano B. C. II, 9 (Vol. II Opp. p. 186 ed. Schweighaeuseri). Aelii Saturnini satyrae in Tiberium meminit Dio Cass. LVII, 22. Sed qui hac de re scripsere, nobis otium fecerunt. [1] De argumento Ludi nihil addam, quum e Tacito, Suetonio et Dione Cassio omnia nota sint.

1. Cf. *Ruperti* V. Cl. de Satyra Romanorum diss. primo Vol. ed. Iuvenalis ab eo curatae praemissam, p. LXXVII sq.

(*Scribebat Ruhkopf, anno* 1818.)

ARGVMENTVM

(EX LIBERTI FROMONDI PRAEFATIONE.)

Satyra Menippea est, qua sale nigro fatuum Claudii Caesaris caput lepide defricat. Quia enim mortuo caelestes honores fuerant decreti, fingit eum in caelum ascendisse, et postulasse inter Deos recipi. Causa eius in concilio Deorum agitari coepta, Diespiter et Hercules in eum proni, alios etiam inclinaverant; quum Divus Augustus exsurgens, recensitis pari eloquentia et animi indignatione caedibus, quies in domum suam et Romanam nobilitatem passim Claudius grassatus erat, brevi perfecit, ut omnes pedibus in suam sententiam et Claudii damnationem concederent, detraherenturque ad inferos, ubi tesseris ludit pertuso fritillo, datusque insuper Menandro Acaci (sive Caii Caligulae mavelis) liberto, ut ei esset a cognitionibus: ut nempe calidissimus aleator, et toto principatu libertis suis obnoxius, in utroque quo peccaverat, puniretur. Caeterum, causa satyricae scriptionis, fatuitas Claudii, et memoria iniuriae, qua ab eo, ceu Iuliae filiae Germanici adulter, Seneca in exilium pulsus fuerat.

L. ANNAEI SENECAE
DE MORTE
CLAVDII CAESARIS
LVDVS
VVLGO DICTVS
APOCOLOKYNTOSIS

I. Quid actum sit in caelo ante diem tertium Idus Octobris, Asinio Marcello, Acilio Aviola Coss. anno novo, initio saeculi felicissimi, volo memoriae tra-

1. *L. Annaei Senecae.....ludus.* Haec libri inscriptio a Senecae manu est, quam retinuimus, opusculoque praemittendam curavimus. Non praetereundum tamen, usum obtinuisse ut id Apocolokyntosis nominaretur. Vox autem illa, a Graecis vocibus ἀπὸ et κολόκυντος formata, ut ἀποθέωσις aliaque, Claudium indicat in cucurbitam post mortem mutatum esse. Sed quum huius transformationis nulla in opusculo fiat mentio, Fromondus, pro *transfiguratione in cucurbitam*, proponit *cucurbitae* (quo nomine stupidus homo designari videtur) *in Deum transfigurationem* intelligere. Caeterum de titulo fuse tractatum est in huius libelli praefatione.

I. Anc. Historicus quid traditurus et quibus fontibus usus sit in morte et rebus Claudii Caesaris gestis in caelo describendis docet.

Quid actum.....Idus Octob., etc. Veritatem rei testantur Tacitus Annal. XII, 64, 69 et Suetou. Claud. 45, quocum noster consentit propius. Nam Tacitus M. Asinium et M'. Acilium hos consules vocat. *Tertium* autem *Idus Octobris* memorat uterque: qui dies respondet undecimo Octobris. Factum hoc est a. V. C. 808, a. Chr. 55, *anno novo*, i. e. quo Nero regnare coepit. Quod *saeculi felicissimi initium* dicitur, id tum spes egregias de Nerone tunc temporis conceptas indicat, notas v. c. e Senecae libris de Clementia, tum expressum solemni hac in re vocabulo: nihil enim usitatius in nummis Rom. saeculi felicitatis mentione. Cf. Heynii Opuscul. academ. Vol. III, p. 331 sqq.

Novo. Discedunt dantes *nono* codd. paris. a. b. et α. ubi manus correctoris dedit vulgatum *novo*: quod

dere. Nihil offensae nec gratiae dabitur. Haec ita vera si quis quaesierit unde sciam, primum, si noluero,
2 non respondebo. Quis coacturus est? Ego scio me liberum factum, ex quo suum diem obiit ille, qui verum proverbium fecerat, aut regem, aut fatuum nasci oportere. Si libuerit respondere, dicam quod mihi in buccam venerit. Quis unquam ab historico
3 iuratores exegit? Tamen si necesse fuerit auctorem producere, quaerite ab eo qui Drusillam euntem in

praeferendum est τῷ *nono*. Nomina consulum absunt a codd. α a. b.

Nec e codd. par. α. b. c. d. e. g. h. cepi, electo vulgato *vel*. cf. F. A. Wolf. ad Tacit. Annal. 1, 32, p. 72 sq. ed. Oberlin.

Nihil offensae....dabitur. Lepidum initium quo se ad nugas enarrandas quasi ad seria accingit. Cf. Tacit. Hist. I, cap. 1, med. part. Caeterum potes et credere obvenisse Nostro in mentem et offensas Claudii et bene merita: offensam ergo, si Senecae hunc librum tribueris, ad exsilium eius in Corsica octenne referas, quo suspectum adulterii cum Iulia Germanici filia Claudius primo imperii anno, a. u. 795, miserat, unde a. u. 803 redux educationi Neronis praefuciebatur; bene merita ad hoc decretum, quo ipsi, in patriam tandem revocato, educandi Neronis demandata cura fuit. Vid. Dio Cass. LX, 8 et 31 coll. schol. Iuvenal. V, 109, qui tamen perperam, post triennium, ait, revocatum esse Senecam.

Haec ita vera dant omnes codd. et ed., praeter Curionis cod. a Fromondo memoratum, qui *vero*: Fromondi iudicio paulo melius. Mihi magis arridet *vera*, quum de veritate sermo sit.

Ego scio me liberum factum. Ego nec rex, nec fatuus, liber tamen illo mortuo sum, qui libertatem omnibus sic denegaverat ut nisi principali fastigio admotus aut insaniens liber esset.

Aut regem..... oportere. Quatenus omnia regibus et fatuis licent. Cf. Erasmi Adag. I, 301.

Buccam. Os, labra. Pro *genis* aliquando accipitur. Horat. lib. I, Sat. 1: *Quid causae est merito quin illis Iupiter ambas Iratus buccas inflet?*....

Iuratores. Antea divisum *iurato res*. Iam Beatus Rhenanus sic in codice weissenburgensis *iuratores*, non distractum *iurato res* invenerat, et sic quoque scribendum esse monuit, Lipsio etiam et Fromondo postea p Plauto et Macrobio bonam nominis latinitatem docentibus: contextus quoque postulat hic *testes iuratos*: quo illa *unde scio*, et sequens *auctorem*, recte monente Sonntagio, nunc praesol. eccles. apud Rigenses S. V. mihique amic. referri debent. Gronovius tamen exemplorum a Lipsio et Fromondo allatorum autoritate repudiata, Turnebum (Adversar. XIX, 12) sequi maluit h. l. et Obss. IV, 3, p. 547 sq. ed. Lips. Caeterum codd. omnes *iuratores* habent, quamquam in tali re auctoritas eorum parvi aut nullius momenti esse potest.

Digitized by Google

caelum vidit. Idem Claudium vidisse se dicet iter facientem, non passibus aequis. Velit, nolit, nècesse est illi omnia videre, quae in caelo agantur. Appiae viae curator est, qua scis et divum Augustum, et Tiberium Caesarem ad Deos isse. Hunc si interrogaveris, 4
soli narrabit: coram pluribus nunquam verbum faciet. Nam ex quo in senatu iuravit se Drusillam vidisse caelum adscendentem, et illi pro tam bono nuntio nemo crèdidit quod viderit, verbis conceptis affir-

Quaerite ab eo qui Drusillam etc. Proiectissimi animi homo Livius Geminius, senator, iusiurandum hoc publice praestitit, et praemii loco a Caligula 250,000 Denarios (circa 175,874 franc., vel 10,000 Federic. aur.) accepit. Dio Cass. 59, 11. Quam eandem summam Numerius Atticus, senator rom. a Livia accepit, Dione Cass. referente LVI, 46, quum Proculum Iolium de Romulo asseverantem iureiurando (Liv. 1, 16) imitatus, iurasset, se Augustum in caelum elatum conspexisse. De foeminis itaque hunc morem apotheoseos quoque viguisse apparet. Cf. Dio Cass. LX, 5. Descripsit apotheosin imperatorum Herodianus, IV, 2.

Passibus aequis. Iocose haec verba Virgil. Aen. II, 720 traducit ad Claudium, cuius foedam vacillationem Sueton. Claud. c. 21 et 30 memorat.

3. *Appiae viae..... est.* Quum senator esset, unum e Quatuorviris viarum (cf. Lipsii Exc. E. ad Tacit. Annal. III) fuisse apparet, cui cura *Appiae viae*, quam iude a Roma per paludes pomptinas Capuamque usque Brundusium pertinuisse constat, demandata erat. Cf. Adleri opus egregium Romae descriptionem germanice sistens p. 51 sq. Diceba tur autem via regia; unde haec fictio ortum suum duxisse videtur. Nam, Herodiano referente l. l. in Campo Martio cremabatur funus Principis, aquila e rogo avolante, animamque Principis in caelum afferente: quae quidem Romanorum fuit opinio, si Herodiano fides est habenda. Fieri tamen potuit, ad hanc viam monumenta sepulcrorum Principibus fuisse; quod, nisi fallor, aliunde non constat. Decora huius viae admiranda descripsit Procopius Gothor. 1, 14.

Quod viderit. Sic edit. rom. quam Erasmus sive B. Rhenanus expresserunt, una cum codd. omnibus parisin. At Lipsius, Gruterus et alii: *quid vid.* Heumannus (in Supplem. ad Acta Eruditor. Tom. VI, p. 298) haec verba ut glossema delenda esse censuit. Enimvero iste vir doct. ut multi alii critici, ubique glossemata aut παρεμβεβλημένα odorantur, parum solliciti docere, cui rei explicandae inservierint aut quomodo in textum venerint. Vtrumque autem bene stare h. l. posse, quivis non cupidus lector intelliget. Simplicius tamen est *quod v.*, sc. id quod postea vidisse affirmaverit.

Verbis conceptis. Sc. ad formulam, solemnibus verbis. Sacerdotes olim verba conceperant, quae iurantes pronuntiare dehinc debebant.

mavit, se non indicaturum, etiamsi in medio foro hominem vidisset occisum. Ab hoc ego quaecunque audivi, certa claraque affero, ita illum salvum et felicem habeam:

II. Iam Phoebus breviore via contraxerat ortum
Lucis, et obscuri crescebant cornua somni:
Iamque suum victrix augebat Cynthia regnum,
Et deformis Hiems gratos carpebat honores

Certa claraque. Sic edit. rom. et Rhenanus. Hac tamen lectione Gronov. non contentus emendavit: *certa et clara*, etsi in ipsis exemplis ab eo allatis Livianum sit: Omnia non properanti *clara certaque* erunt. Hadr. Iunius et Gruterus praetulere nostram lectionem alteri: *certe clara*. Nec discedit Drakenborch. ad Liv. I, 18 fin., qui de hac formula inpr. Augurum egit.

Ita illum....habeam. Appiae curatori ita salutem et felicitatem apprecatur, ut ista de Claudii divinitate et in caelum adscensu certa claraque ab eo denarrata essent. *From.*

II. Aug. Mortis tempus poëtice describitur.

Iam Phoebus, etc. Versus qui mensem Octobrem, cuius decimo tertio die Claudius obiit, describunt, eodem, i. e. frigido spiritu quo Montani Iulii versus, quos Seneca in Epist. CXXII, 12 attulit, pacti sunt. Attamen ab eodem quoque profectos esse, quis spoponderit? Diem iam breviorem, noctes longiores fieri, Hiememque appropinquare innuunt versus: sed verba paulo durius dicta videri possunt.

Breviore via. Fortasse erat: *breviori viae.* Ad brevius iter orientem lucem prodit, oriri facit lucem.

Ortum. omnes codd. dant. Sed probanda esse videtur emend. Fromondi: *orbem*, i. e. cursum. Sic *orbem Diana nocturna contrahit* apud Ovid. Metam. XV, 197. Huic ergo suffragor libenter, nisi aut vim attrahendi faciendive non inusitatam verbi *contrahere* h. l. valere putes, ut sensus sit: in angustiore caeli spatio ortum lucis fecit; aut explicare malis: una cum breviore via soli emetienda ortum quoque lucis contraxerat, breviorem fecerat. Nec quartus versus, hiemi iam mense Octobri istam deformitatem, et quidem in Italia tribuens, mihi placet: nisi de pluviis tempestatibusque hoc anni tempore interdum ibi ingruentibus intelligere malis.

Cornua. Optima est lectio, a Beato Rhen. in codd. weissenburg. inventa, et ipsi recte probata. Edit. rom. dat *tempora*, quae explicatio τοῦ *cornua* est. Vti enim Lunae adscribuntur *cornua*, ita h. l. Somno, ut incrementa eius potestatis indicentur.

Regnum. Beatus Rh. in codice suo invenerat *lignum*, unde non contentus lectione bona, quam editio rom. offert et omnes codd. noti attulerunt, *lychnum* scribendum iussit. Eleganter autem, addit Beatus Rh., vocat lychnum Lunae, quod alieno lumine egeat, nempe Solis. Bene etiam dici posse, docet poëtarum usus lampadis etc. *Regnum* tamen multo elegantius est.

Carpebat. Neubauerus *capiebat* maluit e coni., offensus repetitione τοῦ

Divitis Autumni, visoque senescere Baccho
Carpebat raras serus vindemitor uvas.

Puto magis intelligi, si dixero, mensis erat October, dies tertius Idus Octobris. Horam non possum tibi certam dicere. Facilius inter philosophos, quam inter horologia conveniet. Tamen inter sextam et septimam erat. Nimis rustice! acquiescunt oneri poëtae, non contenti ortus et occasus describere, ut etiam medium diem inquietent: tu sic transibis horam tam bonam?

carpebat. Sed tales repetitiones occurrunt etiam apud optimos poëtas.

Visoque. Sic ed. rom., et omnes codd., ut proinde emendatione, quam Curionis codex offert, carere possimus, etsi non contemnenda.

Idus. At ed. rom. et cod. paris. α. et b. cum x. habent *eiusdem*: facili aberratione, quum et Eidus scriberetur haec vox, librariis quamplurimis, ut videtur, ignota.

Dies tertius Idus Octobris. Confirmat Dio Cass. LX, 34, mortuus est Claudius, referens, decimo tertio Octobris die etc. cf. Intpp. Dionis et Sueton.

Facilius...,.. conveniet. Horologia hydraulica hic dici apparet, a Ctesibio Alexandrino circa ann. 245 ante Christ. inventa: quae quum ita essent comparata, ut aquam ex angusto foramine vasis guttatim destillando in aliud, leviore corpore, e. c. subere (Φελλος appellat Vitruv. IX, 9) ibi natante aquae altitudinem, ideoque tempus praeterlapsum indicarent, omnia vitio, quod noster h. l. attingit,. laborare necesse erat, ut aqua initio paulo celerius, deinde lentius defluneret, atque ideo sibi horologia parum constarent.

Nimis rustice! etc. At haec descriptio nimis rustica nec satis elegans est. Considereres potius poëtas, qui ne meridiem quidem elabi patiantur, quin describant. Quin tu hoc quoque audacter imitaris? Ironice ad poëtas sui aevi inprimis spectasse videtur, qualis occurrit Montanus Iulius l. l. Vsus ille omnia describendi apud nos quoque pervasit percrebuitque, taxatusque est acerrime quum a plurimis, tum a celeberr. *Chénier*, *Discours en vers sur les poëmes descriptifs*.

Nimis rustice! acquiescunt oneri poëtae..... inquietent: tu..... bonam? Ita editio rom. at omnes codd. et parisini α. a. b. c. g. h. dedere: *acquiescunt omnes poëtae*. Gronovius tamen emend. *Nimis rustice, inquies tu nunc. Horni poëtae non contenti ortus et occasus describere, etiam medium diem inquietant: tu sic* etc. Scioppius iam praeiverat: *Nimis rustice, inquies: quum omnes poëtae* etc. At ipse auctor haec *sibi* ipse dixisse putandus est; itaque τὸ *inquies* supervacuum sit: deinde vulg. bonum sensum praestat: proinde praetuli eam cum Turnebo Advers. XXV, 4. Assensum suum, quem multi facio, mihi indicavit Vir amiciss. G. D. *Koëler*, Rector Gymnasii Detmol-

Iam medium curru Phoebus diviserat orbem,
Et propior nocti fessas quatiebat habenas,
Obliquo flexam deducens tramite lucem.

III. Claudius animam agere coepit, nec invenire exitum poterat. Tum Mercurius, qui semper ingenio eius delectatus esset, unam e tribus Parcis educit, et ait: Quid, femina crudelissima, hominem miserum torqueri pateris? nec unquam tamdiu cruciandus

diensis, de nostris literis egregie meritus, qui bene τὸ *acquiescunt* τῷ *oneri* a consuetudine poëtis imposito convenire putat. Accedit, quod haec lectio difficilior est ad intelligendum quam illa *omnes*. Obiter monco, Neubauerum tentasse: *acq. honori* i. e. hunc honorem ferunt, vel, hoc honori sibi ducunt etc. Caeterum in verbo *acquiesc.* voculam *ita* intelligas. Multi codd. dant: *Nimis rustico ac.* Vnus paris. c. habet: *aut et med. d. inquietant:* cod. f. *nisi etiam m. d. inquietent.* Koëlerus coniecit quoque, ante *Claudius*, cap. 3 init. excidisse *quum*. In primo versu, qui sequitur, *curru* ut magis poëticum e cod. par. g. assumpsi pro vulg. *cursu*. Vers. 2, *fessas* vulg. tenui: at codd. α. a. b. c. h. et edit. rom. praestant *fessus*.

III. Arg. Mercurius Parcae persuadet, ut Claudium mori siuat.

Tum Mercurius..... delectatus esset. Vel propter liberalia studia, quibus Claudius deditus erat (nam historiam in adolescentia, hortante T. Livio, scribere aggressus est. Scripsit magis inepte quam ineleganter, nec sine eruditione. Conf. Sueton. Claud. 41); vel propter amorem, quo Claudius flagrabat, iudiciis in foro praesidendi; vel ironice, quoniam Claudius parum disertus erat: Mercurium autem λόγιον et ἀγοραῖον fuisse constat. Ceterum factum hoc est in locis inferis, ubi sedes Parcarum credebatur. Eo ducit quoque munus Mercurii, qui νεκροπομπὸς fuit.

E tribus Parcis educit. Sic fere omnes codd. paris. α. a. b. g. h. quod recepi. Vulg. erat: *de tribus P. e.*, et post Gronovii emendat. *seducit.* Sed emendatione, quamvis ingeniosa et facili, non opus est: nam non secreto eam Mercurius ψυχοπομπὸς seducit, sed reliquae Parcae adstant, uti sequentia docent. Mox, una literula adiecta, lectionem omnium codd. dedi, eliminato vulgato, *nec unquam meritum, ut tamdiu cruciaretur*, ut ex emendatione audaciore iusto profecto. Codd. enim paris. α. a. b. c. h. una cum weissenburg. quo Beatus Rh. usus est, praestant: *nec unquam tamdiu cruciatus esset.* Hinc feci: *cruciandus esset.* Vulgatum sumpsit Beatus ex edit. rom. In cod. par. b. deest τὸ *diu*, quo tamen carere non possumus. Post *pateris* signum interr. posui. Deinceps post *invides* inserit edit. rom. et codd. par. α. a. b. c. g. h. *et respondit*, sc. una e tribus Parcis, Clotho. Enimvero Mercurii haec verba esse patet, non Clothus. Ex prava itaque interpretatione uni codici adscripta haec putem, ex quo, ut familiam ducente, in reliquos codd. transiisse existimanda sunt.

esset: annus sexagesimus et quartus est, ex quo cum anima luctatur. Quid huic invides? Patere mathema- 2
ticos aliquando verum dicere, qui illum, ex quo princeps factus est, omnibus annis, omnibus mensibus, efferunt. Et tamen non est mirum si errant: horam eius nemo novit. Nemo enim illum unquam natum putavit. Fac quod faciendum est:

Dede neci, melior vacua sine regnet in aula.

Sed Clotho: Ego mehercule, inquit, pusillum tem- 3

Annus sexagesimus et quartus est. Confirmat Sueton. l. l. cap. 45. Dio tamen Cassius LX, 34 anno ait sexagesimo tertio obiisse Claudium. Suetonio tamen maior fides est, qui etiam sequentia ut de variis et tenacibus morbis, quibus conflictatus est, intelligenda sint, nobis auctor est in vit. Claud. c. 2.

Mathematicos, Astrologos, Genethliacos. Verisimile autem fit, Fromondo monente, mathematicos sive Chaldaeos saepe ante ab Agrippina, apud quam gratiosi fuerint, consultos spem eius et Neronis vanis praedictionibus aluisse. Cf. Tacit. Annal. XII, 68 fin. Suet. c. 36. Propter valetudinem tamen etiam inde ab imperii initiis quin hae praedictiones vulgatae sint a Chaldaeis, nihil impedit.

Omnibus mensibus. Sic omnes fere codd. Sed codex Adr. Iunii, aliique ap. Nicol. Fabrum praestitere *omnibus mensis*, probante Iunio cum Scheffero, propter Claudii temulentiam et crapulas quotidianas. Vulgatum tamen tenui. Codex Beati caret: *omnibus annis.* Desunt quoque voces: *et horam* in codd. α. a. b. c. g.

Horam. Qua natus est nempe. Τεχνικὴ λέξις apud Astrologos mathematicosque et qui horoscopia sese profitebantur exercere.

Nemo enim illum unquam natum. Proverbium apud Romanos olim fuit *non natum esse*, et de iis solum dicebatur quos summopere spernebant. Evidens vero est eum, si non natus sit, horam non habere. Acumen ergo quaerit ab ambiguo sensu. Ceterum haec verba *non natum Claudium*, spectant huc quo Suetonii verba in vit. Claud. c. 3 etiam a Fromondo allata: *Antonia mater portentum eum hominis dictitabat, nec absolutum a natura, sed tantum inchoatum.*

Putavit. Post *putavit* addunt codd. α. a. b. g. h. una cum ed. rom. *Tum ille*, quae verba ad illa *et respondit* (de quib. supra) respiciunt, et ex eodem cum illis fonte manarunt.

Melior. Aliquis melior. Neronem designari patet. Caeterum vs. desumptus ex Virgil. Georgic. lib. IV, 90.

Clotho. Fusos, quorum fila Lachesi deducenda atque ab Atropo desecanda erant (cf. Schol. Euripid. Orest. 12) inde deprompsit. Ceterum de *Parcis* omnia nota sunt; egregie de iis egit Manso in libro quem ad lib. de Benef. III, 3 laudavi.

Mehercule. Genus iuramenti quod mulieribus parum usitatum fuit. *Ae-*

poris adiicere illi volebam, dum hos pauculos, qui supersunt, civitate donaret. Constituerat enim omnes Graecos, Gallos, Hispanos, Britannos, togatos videre. Sed quoniam placet aliquos peregrinos in semen relinqui, et tu ita iubes fieri, fiat. Aperit tum capsulam, et tres fusos profert. Vnus erat Augurini, alter
4 Babae, tertius Claudii. Hos, inquit, tres uno anno exiguis intervallis temporum divisos mori iubebo, nec illum incomitatum dimittam. Non oportet enim eum, qui modo se tot millia hominum sequentia videbat, tot praecedentia, tot circumfusa, subito solum destitui. Contentus erit his interim convictoribus.

depol vel potius *Ecastor* vulgo dicebant.

Britannos. Fromondus notat, auctiora quaedam exemplaria una cum cod. weissenburg. Beati Rhen. post *Britannos* haec addere: *Sauromatas et si qui ultra glacialem Boream incolunt Barbari, togatos v.:* quae tamen Beatus, Fromondus, al. ab aliquo erudito adiecta censent, ridicule et satis longe ultra verum. Idem est iudicium Sonntagii, ideo reiicientis ea, quia fundo historico carent. Imo vero quia ridicula et Claudio stupido et temulento digna sunt, non παρεμβεβλημένα putaverim: sed absunt quoque codd. paris. omnibus. Proinde in textum reducere dubitavi.

Constituerat..... videre. I. e. eos iure civitatis donare voluit. De Gallia comata universa testatur Tacit. Annal. XI, 24. Etiam Senec. de Benef. VI, 19. Heinecc. Antiq. rom. Append. lib. I, XIII p. 273 huc trahere vult, nescio quo iure. De Graecis tamen et reliquis nihil aliunde notum est. Factum autem hoc esse longe post constitutionem Antoninianam, constat. Satyrice itaque capias cum respectu ad facilitatem hoc civitatis ius et a Messalina et ab eius familia redimendi. Dio Cass. LX, 17: *Multos indignos Claudius civitate spoliavit; multis aliis singulatim aut confertim eam dedit, absque etiam discrimine. Quia enim fere omnibus in rebus Romani peregrinis potiores habebantur, multi civitatis ius ab eo petebant, multi a Messalina ac familia eius redimebant. Itaque ius illud, magna quondam pecunia venditum, adeo tunc vile factum est, ut vulgo iactatum fuerit posse id vel vitreorum vasorum fragmentis parari.*

In semen relinqui. I. e. instar seminis, ad propagationem. Similiter Cato R. R. 161, ait: *in semen ire.*

Augurini. Ignoti hominis, sed plane fatui, ut patet.

Babae. Meminit Senec. Epist. XV, 8: *Quam tu nunc vitam dici existimas stultam? Babae et Ixionis? Non ita est: nostra dicitur.* — *Babae* vulg. in quo, ex more, variant codd. *Bedae* cod. α, *Badae* β et ed. rom. *Budae* cod. b.

Digitized by Google

IV. Haec ait: et turpi convolvens stamina fuso,
Abrupit stolidae regalia tempora vitae.
At Lachesis redimita comas, ornata capillos,
Pieria crinem lauro frontemque coronans,
Candida de niveo subtemina vellere sumit,
Felici moderanda manu: quae ducta colorem
Assumpsere novum: mirantur pensa sorores.
Mutatur vilis pretioso lana metallo:
Aurea formoso descendunt secula filo.
Nec modus est illis, felicia vellera ducunt,
Et gaudent implere manus; sunt dulcia pensa.
Sponte sua festinat opus, nulloque labore

IV. Arg. Auguratur vitam novo imperatori felicem et claram, describitque Parcas optima huic fata certatim constituentes, adstante Phoebo et concinente. Tum et de Claudii obitu quaedam adiiciuntur.

Haec ait. Versus qui sequuntur et Neronis vitam in throno felicem describunt, luxuriantes illi quidem et ταυτολόγοι interdum, sed non prorsus reiiculi.

Turpi. Propter mortem quam indicat, et quoniam in locis inferis res geritur: hinc Charon Tibulli I, 10, 36, *Stygiae navita turpis aquae* dicitur.

Convolvens stamina fuso. H. e. deducens e fuso staminu, fila, χλωστῆρα κλώθουσα: cf. Schneideri Index Rer. ad Scriptt. R. R. sub voc. *Tela*, pag. 360 sq. Clotho itaque hoc loco Lachesis et Atropi munere simul fungitur.

At Lachesis, etc. Postquam Clotho stamen vitae Claudii abruperat, Lachesis altera Parcarum felix et aureum, ita existimabat auctor, Neronis imperium nere incipit. Unde fingit, fila, dum educuntur, flavescere et in aurum verti.

Redimita comas..... coronans. Lachesis ut plurimum optimis divum annumerata et sexcenties iis ornamentis instructa quae et laetitiam spirent et σύνοιαν, εὐμένειαν innuant croceo ianthinoque amictu, corollisque virentibus, tum serena fronte arridens et iuventutem nondum egressa. Ante pedem fusi iacent et fila, haec holoserica, argentea, aurea; illa de viliore materia.

Candida..... sumit. Vt neantur. Stamina enim h. l. fila sunt, sive partes lanae, quae torquendo digitis fila demum fiunt.

Descendunt. Editio rom. *distendunt*. At aliae et libri Mss. *descendunt*; cf. not. Versu 10. *vellera ducunt.* Codd. α. a. h. male *vellera dicunt*. — *Descendunt.* una cum *filo.*

Nec modus..... illis. Sc. sororibus. Indefessae laborant deducendis filis. Opplentur fusi filis earum manus.

Nulloque labore. Sorores Parcae *distendunt*, opplent *staminibus*, filis fusum Neronis. Id enim nunc quummaxime agunt Parcae, ut e lana fila digitis torqueant et in fusum ducant, qui deinceps in Clothus capsula reponatur, usque dum et Neronis vitae tempora abrumpenda sint. *Distendere* autem de magna copia in usu esse notum est v. c. e Tibull. II, 5, 84, ubi cf. Heynii not. et obss. Sic Colu-

Digitized by Google

Mollia contorto distendunt stamina fuso:
Vincunt Tithoni, vincunt et Nestoris annos.
Phoebus adest, cantuque iuvat, gaudetque futuris:
Et laetus nunc plectra movet, nunc pensa ministrat.
Detinet intentas cantu, fallitque laborem.
Dumque nimis citharam fraternaque carmina laudant,
Plus solito nevere manus: humanaque fata
Laudatum trascendit opus. Ne demite, Parcae,
Phoebus ait: vincat mortalis tempora vitae,
Ille mibi similis vultu, similisque decore,
Nec cantu, nec voce minor: felicia lassis
Saecula praestabit, legumque silentia rumpet.
Qualis discutiens fugientia lucifer astra,
Aut qualis surgit redeuntibus hesperus astris:
Qualis quum primum tenebris aurora solutis
Induxit rubicunda diem, sol adspicit orbem
Lucidus, et primos e carcere concitat axes:

mella X, 306 de cultu hortor. ait: *Iam rosa distendet contorti stamina iunci. Descendunt* tamen, quae altera lectio est, defendi quoque potest: sed illud praegnantius est, et repetitionis τοῦ *descendunt* e vers. 9 taedium tollit.

Vincunt..... annos. Vitiose *Nestor*, qui non tamdiu vixit quam *Tithonus*, postponitur. *Tithonus*, ab Aurora amatus et immortalitate donatus, ex Homero et Virgilio notissimus est.

Phoebus adest. Bene Phoebus adesse iubetur a poëta, quum Nero poëtices et musices esset amantissimus et pulchritudine cantuque cum Apolline compararetur. Quare non male Neroni Phoebus favere dicitur.

Cantuque iuvat. Sive quod taedium fallit canendo, sive, ut inferius mox dicet, quod, modulante illo, *plus solito nevere manus.*

Fraternaque carmina. Nam ex patre Apollini sorores tribui poterant Parcae, quum quibusdam Iupiter Parcas dicatur genuisse, Themis perisse. Quamquam apud plerosque Erebi et Noctis filiae habentur.

Ne demite. In cod. β manu correctoris adscriptum erat: *redimite.* Male. — *Ne demite.* Suppl. quidquam ex opere vestro.

Nec cantu, nec voce. Haec patet quam faciant ad deliniendum fatuum iuvenem, qui imperatorem se oblitus, ad mimum se abiecit et eo furoris prolapsus est ut pro caelesti voce immolari, litari iuberet. Vid. Tacit. Annalium libro XVI, cap. 22 init., ubi Cossutianus Capito, dum Thraseam criminatur, inter magna huic obiicit quod pro imperatoria voce non immolaverit.

Legumque silentia rumpet. Et dudum obmutescentes leges iterum loqui et deposito timore decreta et placita sua proferre ille iubebit. H. e. iustitiam iacentem eriget.

E carcere. Hoc desumptum esse ab aurigis in ludis circensibus constat. Exemplo sit Virgil. Ge. III, 104.

Digitized by Google

Talis Caesar adest, talem iam Roma Neronem
Adspiciet; flagrat nitidus fulgore remisso
Vultus, et effuso cervix formosa capillo.

Haec Apollo. At Lachesis, quae et ipsa homini formosissimo faveret, fecit, et plena orditur manu, et Neroni multos annos de suo donat. Claudium autem iubent omnes *χαίροντας, εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων*. Et ille quidem animam ebuliit, et eo desiit vivere videri. Exspiravit autem dum comoedos audit, ut scias me non sine causa illos timere. Vltima vox eius haec inter homines audita est, quum maiorem sonitum emi-

Fulgore remisso. H. e. temperato, non quo acies oculorum praestringatur.

At Lachesis.... plena orditur manu, fila ita deducit, ut fuso imponi possint. Cf. Schneider. Index Rer. et Vocc. ad Scriptor. Rei Rust. p. 360.

Formosissimo. Sic ed. rom. et inde Beatus Rh., et codd. paris. α. β. e. f. g. h. Lipsii emendationem Epp. Qu. II, 24 egregie firmantes. Olim *fortissimo*, quam quidem lectionem abire iussi, unde pedem suum vere claudum intulerat. Formosus autem, non fortis, fuit Nero. Cf. Sueton. Ner. 42. Mox *faveret, fecit illud plena manu, et N.* omnes fere codd. paris. α. β. b. e. f. g. h. Accedit ed. rom. cum cod. wesseinburg. Beati Rh. Idem memorat Fromondus, additque, e Lipsii mss. codd., quos tamen non descripsit, lectionem mutatam esse: *fecit et plena orditur manu*. Haud dubie hoc praestat, et doctius est.

De suo. Vulgatam hanc lectionem Boxhorn. Quaest. Rom. IX mutare voluit *de fuso*. Sed non intellexit locum. Parca praeter annos felices a fato Neroni destinatos alios ipsi addidit sua sponte. Versus graecus est ex Euripidis Cresphonte (Opp. Vol. II, p. 435 sq. ed. Beck.) quem Adr. Innius e codd. mss. eruit. Valent: *gaudentes et fausta acclamantes efferre domo.*

Eo desiit vivere videri. Nam fatuus et baro, non vivebat revera, sed videbatur vivere. Potest et ad Agrippinae dolum infer. not. narratum, referri.

Exspiravit..... comoedos audit. Salsum hoc nigro sale, observante Fromondo, sed tamen salsum. Nam ab Agrippina per simulationem, mortuo iam Claudio inducti illi comoedi, qui velut desiderantem oblectarent, ait Sueton. vit. Claud. c. 45, donec circa Neronis successionem omnia ordinarentur. *Comoedos*, inprimis mimos, qui ad instrumenta musica ridiculam fabulam agerent. Cf. Plin. Epp. I, 15 fin. et ibi not. Plura dabit Carpzovii Paradoxon Stoicum Aristonis Chii I, 3, p. 59 sq. Oblique autem comoedos tangit auctor, quorum comoedias tam pravas esse innuit, ut timendum sit, ne pravitate sua auditorem enecent.

Digitized by Google

sisset illa parte, qua facilius loquebatur: Vae! me, puto, concacavi me. Quid autem fecerit, nescio: omnia certe concacavit.

V. Quae in terris postea sint acta, supervacuum est referre. Scitis enim optime: nec periculum est, ne excidant, quae memoriae publicum gaudium impressit. Nemo felicitatis suae obliviscitur. In caelo quae
2 acta sint, audite: fides penes auctorem erit. Nuntiatur Iovi, venisse quemdam bonae staturae, bene canum,

Quam facilius loquebatur. Spectare huc putat Fromondus Suetonium in vit. Claudii c. 32: dicitur meditatus edictum, quo veniam daret flatum crepitumque ventris in convivio emittendi, quum periclitantem quemdam prae pudore ex continentia reperisset. Lingua vero titubante, rauca et incondita erat Claudius. Cf. Suetou. cap. 4.

Vae! me.... Sic distinguere malui, quam in crimen laesae latinitatis vocare auctorem. Laudant tamen Plaut. Asin. II, 4, 75, ubi est: Vae te. Sequuntur in quibusdam exemplaribus auctioribus, teste Fromondo, nam nostri codd. parisini iis carent, et in editione romana haecce: *Nec post boletum opipare medicamentis conditum plus cibi sumpsit.* Quae tamen verba a sciolo infarta esse putantes Viri docti e Iuvenal. V, 146 sq. *Vilibus ancipites fungi ponentur amicis, Boletus domino; sed quales Claudius edit, Ante illum uxoris, post quem nil amplius edit*, omittenda esse duxerunt. Et sane fuisset nimiae impudentiae, ait Nic. Faber in Notis ad h. l., si voluit Agrippina, vel si noluit, confidentiae, parricidium veneficio commissum provulgare. Si tamen Taciti (Annal. XII, 67 init.) verba comparaveris, et Neronis dictum ap. Dion. Cass. LX, 35 fin. et Suet. Ner. 33: *boletos esse βρῶμα θεῶν* (*cibum deorum*), *et quid aliud quam illi Claudium deum fecerunt?* parvi momenti hanc dubitationem esse invenies. Enimvero propterea eiicienda esse putem, quod huic loco non congrua sunt. Iocose enim haec auctor tractat, nec serio causam mortis exponere instituit: quare Parcis haec omnia tribuit.

Omnia.... concacavit. Foedavit imperium suum totum.

V. Ano. Quae in caelo acciderint, narrat, adventante Claudio, quem, quis sit, Hercules it exploraturus.

Scitis enim optime. Sic omnes libri, praeter cod. weissenburg. Beati, qui habuit, teste et probante Beato Rh. et Gronovio, *scitis enim certissime.* Quia utrumque dicitur, codices sequi malo.

Quae memoriae publicum gaudium impressit. Codd. hoc loco vacillant, aliis *impressit*, aliis *impresserunt* tuentibus. Sequor Gronovium, qui Beati Rhenani iudicio probato, de hac lectionis veritate dubitare Fabrum mirabatur. Fromondus etiam probavit: Difficulter enim, ait, excidunt ea quae gaudium memoriae imprimit, quia voluptas mentem ad ea, quae blandiuntur, identidem reflectit, etc.

Digitized by Google

nescio quid illum minari: assidue enim caput movere, pedem dextrum trahere; quaesisse se cuius nationis esset? respondisse, nescio quid perturbato sono, et voce confusa: non intelligere se linguam eius; nec Graecum esse, nec Romanum, nec ullius gentis notae. Tum Iupiter Herculem, quia totum orbem terrarum pererraverat, et nosse videbatur omnes nationes, iubet ire et explorare, quorum hominum esset. Tum Hercules primo adspectu sane perturbatus est, ut qui etiam non Iunonia monstra timuerit: ut vidit novi generis faciem, insolitum incessum, vocem nullius terrestris animalis, sed (qualis esse marinis belluis solet) raucam et implicatam, putavit sibi tertium decimum laborem venisse. Diligentius intuenti, visus est quasi homo. Accessit itaque, et quod facillimum fuit Graeculo, ait: Τίς πόθεν εἶς ἀνδρῶν, πόθι τοὶ πτόλις; 3 4

Nuntiatur..... dextrum trahere. Confirmat haec Suetonius in vita Claudii c. 30. Et ad id iam satis clare respexit, cap. 1, ubi: *Claudium vidisse se dicet iter facientem, non passibus aequis.* Claudii titubantiam confirmat Sueton. c. 4, allata Augusti epistola ad Liviam.

Quaesisse se. Sc. nuntium, cuius tamen nomen non proferri mirum est, eo quidem magis mirum quod non exacta ad Grammatices normam ea verba sint: *Nuntiatur Iovi... quaesisse se.* Rectius scripsisset: *Aliquis nuntiat Iovi.* Caeterum Mercurium h. l. induci loquentem satis verisimiliter credi potest.

Perturbato... confusa. Quia balbus ille fuit. Vid. paulo infra.

Vt qui etiam non Iunonia monstra timuerit. Ex emendatione Gronovii: *utcunque etiam Iunonia monstra domuerit;* τὸ *Iunonia* retinui, eliminato *omnia.* Nam vulgatum, quod omnes codd. tenent, *ut qui etiam non omnia m. t.* sensu caret. Illud *timuerit* autem cum Sonntagio tueor ob respectum ad *perturbatus est.* Etiam *Orci monstra*, respectu ad Homeri Il. Θ, 368 habito, divinare quis posset? — *Vt qui etiam non Iunonia monstra timuerit.* Notum est, Iunonem Herculi semper infestissimam laborum duodecim ab Eurystheo Pelopis nepote ei impositorum causam fuisse. Cf. Apollodor. II, 4, 5 et cap. 5. De XII laboribus Herculis notum est Epigramma Quinti Smyrnaei in Brunck. Anal. T. II, p. 475.

Graeculo. Claudio, quem magna cum cura studia graeca sectatum narrat Sueton. c. 42. Facillime igitur linguam illam intellexit Claudius, ex poëta praesertim familiari. Homeri enim versus est Odyss. α. 170 qui saepe iteratur. Quis, unde oriundus es, et ubi urbs patria tua sita est? Saepe autem, quin adeo pro tribu-

Vbi haec Claudius, gaudet esse illic philologos homines, sperat futurum aliquem historiis suis locum. Itaque et ipse Homerico versu Caesarem se esse significans, ait:

Ἰλιόθεν με φέρων ἄνεμος Κικόνεσσι πέλασσεν.

Erat autem sequens versus verior, aeque Homericus:

Ἔνθα δ' ἐγὼν πόλιν ἔπραθον, ὦλεσα δ' αὐτούς.

VI. Et imposuerat Herculi minimo discrimine fabulam, nisi fuisset illic Febris, quae fano suo relicto, sola cum illo venerat: caeteros omnes deos Romae reliquerat. Iste, inquit, mera mendacia narrat. Ego

nali Homericis versibus Claudius loquebatur. Sueton. c. 42. Sic cum Fromondo interpretari malim, quam cum aliis de Hercule. — Errat hic vir cl.; nam voces *philologos*, *et ipse* plane indicant Herculem iam locutum esse. *Bouil.*

Philologos. I. e. doctos. Alio sensu reprehenduntur Ep. CVIII, 24, 59.

Historiis. Graecas enim scripserat historias Τυῤῥηνικῶν XX, Καρχηδονιακῶν VIII, praeter eas, quas sermone latino conscripsisse testatus est Sueton. c. 41, 42.

Ἰλιόθεν etc. Versus Homeri Odyss. ι, 39 est, quo Claudium Caesarem se esse et ab Iulo Troiano, Aeneae filio, oriundum satis obscure et ridicule significat. Ab Ilio, s. Troia secundus sive citus ventus me admovit Ciconibus. Ibi quidem ego urbem vastavi et incolas occidi. Sequitur statim in Homero iste versus Ἔνθα etc. et bellissime in caedes et saevitiam Claudii cadit.

VI. Arg. Febris narrat, quis ille sit.

Et imposuerat etc. Parum aberat quin fefellisset Herculem, nisi Febris veritatem aperuisset. Consentit Sueton. Claud. c. 2: *per omne fere pueritiae atque adolescentiae tempus variis et tenacibus morbis conflictatus est; adeo ut animo simul et corpore hebetato ne progressa, etc.* Fortasse, monet Fromondus, etiam febri eum decessisse Seneca videri voluit, ut boleti et veneficii Agrippinae suspicionem averteret.

Minimo discrimine fabulam. I. e. paene. Sic editio rom., quam et Beatus Rhen. sequitur: assentiuntur quidam codd. teste Fromondo. Reliqui omnes codd. uti Parisini, habent: *Herculi minimo discrimine fabros*, sive *febres*, aberrante quippe librarii calamo ad sequentem vocem. *Minime vafro* est Iunii emendatio e *fabros* perperam efficta, et indigna, quae ab editoribus in textum immitteretur, quippe qui probe nossent, neque Herculi hoc opusculo stultitiae dari partes, neque Herculem, qui totum orbem terrarum pererraverat, eumdemque Musagetam esse posse minime vafrum. Reliquas Viror. doct. emendationes omitto.

Fano suo relicto. Fanum Deae Febris Romae in Palatio fuisse dicit Plin. H. N. II, 7.

tibi dico, quae cum ipso tot annos vixi : Lugduni natus est. Munatii municipem vides : quod tibi narro, ad sextum decimum lapidem a Vienna natus est, Gallus germanus. Itaque quod Gallum facere oportebat, Romam cepit. Hunc ego reddo tibi Lugduni natum, 2 ubi Licinius multos annos regnavit. Tu autem, qui plura loca calcasti, quam ullus mulio perpetuarius, Lugdunenses scire debes, et multa millia inter Xanthum et Rhodanum interesse. Excandescit hoc loco Claudius, et quanto potest murmure irascitur. Quid diceret, nemo intelligebat. Ille autem Febrim duci iubebat, illo gestu solutae manus, sed ad hoc unum

Lugduni. Confirmat Suet. c. 2.

Munatii ex em. Beati reposui. Codd. et edd. tenent *Marci.* — *Munatii.* L. Munatius Plancus notus est e Cic. Epist. ad Div. X. Cf. Gronov. ad Tacit. Annal. I, 13, et Ruhnken. ad Vellei. Paterc. II, 63. Condidit Lugdunum a. V. C. 711. Vide Dion. Cass. XLVI, 50, quem laudavi ad Senecae Epist. XCI, 14.

Municeps. Civis. Municipia enim sunt iure civitatis praeditae urbes, diversi tamen gradus. Cf. Rothii de re municipali Romanor. libr. II. 1801.

Vides. Post *vides* Schefferus in Lectt. acad. putat legendum esse : *Audis, quod tibi narro?* Sed vulg. bene habet.

Hunc ego reddo tibi. Sic omnes codd. et ed. rom. At Iunius e cod. Iureti reposuit: *Hunc ego tibi recipio.* Koelerus meus quum τὸ *scire* insolito modo positum esse putaret, haud multum abfuit, quin crederet, h. l. quaedam excidisse. Occurrunt tamen exempla quaedam, in Lexicis non omissa, quae docent, *scire* interdum pro *noscere* usos fuisse veteres.

Licinius. Galliae praefectus et ipse natione Gallus crudelissime regnum et tyrannidem in gentem suam furtis et rapinis exercuit. Quum tandem a. V. 739 accusatus repetundarum timeret ne Augustus graves a se sumeret poenas, omnes divitias illis furtis comparatas Augusto dixit se acervasse, et supplicio liberatus est. Dio Cass. LIV, 21.

Mulio perpetuarius. Qui semper mulam veterinam ad vecturas et colligendum inde lucrum conductam habet, et quacumque discurrit.

Xanthum. Fluvium Troiae notum. Sensus: noli credere, hunc Claudium a Troia venire, aut inde oriundum esse.

Lugdunenses scire... interesse. Duplex incisa ad τὸ *debes* referenda, quasi scriptum esset : Vbi terrarum Lugdunenses habitant probe nosse debes; debes et nosse quantum interiacent spatii Xanthum inter et Rhodanum.

Duci. Sc. ad supplicium.

Solutae manus : παραλελυμένης exponit Huetus, scilicet debilis et tremeutis.

Sed. Cum Gronovio et Hueto probo. Olim *et.* At codd. *a.* β. g. omittunt.

satis firmae, quo decollare homines solebat. Iusserat illi collum praecidi. Putares omnes illius esse libertos, adeo illum nemo curabat.

VII. Tum Hercules: Audi me, inquit, tu, et desine fatuari: venisti huc, ubi mures ferrum rodunt. Citius mihi verum, ne tibi alogias excutiam, dicito. Et quo terribilior esset, tragicus fit, et ait:

Exprome propere, sede qua genitus cluas,
Hoc ne peremptus stipite, ad terram accidas.
Haec clava reges saepe mactavit feros.
Quid nunc profatu vocis incerto sonas?
Quae patria, quae gens mobile eduxit caput,
Edissere. Equidem regna tergemini petens

Putares.... carabat. Amaritudinem huius dicti quemque, vel me non monente, intelligere credo. Veritatem docet tota Claudii vita.

VII. Aug. Hercules Claudio persuadet, ut indicet sibi quid velit. Herculem sibi conciliat.

Desine fatuari. Fatuum agere, morari, ut aiebat Nero, referente Sueton. Ner. c. 33.

Venisti huc.... rodunt. Febri, exponit Huetus in notis mss., Claudius securim minabatur: frustra es, inquit Hercules, nam in caelo ferri vis nulla est. Sic etiam locum hunc cepisse Io. Beckmannum Vir. ill. ad Antigon. Caryst. p. 32, monuit me Koelerus amiciss.

Alogias. Ἀλογίας, ineptias, *des impertinences.* Hoc loco et in epist. Augustini ad Casulan. episc. 86, occurrit haec vox.

Excutiam, dicito. Ex ed. rom. et Beati recepi τὸ *dicito*, quod omnibus codd. abest.

Tragicus fit. Iambico metro usus, ut et sequentibus versiculis, modo perlegas, videre est.

Exprome propere, etc. Versuum sensus est: Nisi statim dicas, quis sis, clava mea tibi metuenda est. Dic, esne Lugdunensis?

Sede tuentur α. a. b. g. at *stirpe* codd c. h.

Cluas. Vt tragico dignus Beat. Rh. recte praetulit e cod. suo weissenburg., quum in ed. sua ed. romanam sequens dedisset *dicas.* — *Cluas.* Audias: A Graeco κλύειν. *Qua sede natus audias* vero est: Qua gente oriundus esse tu dicaris, quod tibi inditum nomen audias, etc.

Mobile caput. Memento quae supra dixit, cap. 5: *Nescio quid illum minari; assidue enim caput movere.*

Equidem regna... Spectant ad Herculis expeditionem satis notam in Hispaniam, unde boves Geryonis *Inachiam adurbem* i. e. Argos arcessit. Cf. Apollodor. II, 5, 10, ibique Heynium. Rhodanum autem, in quem Arar (nunc *Saône*) apud Lugdunum influit (cf. Iul. Caesar. de Bell. Gall. I, 12.), attigisse Herculem, docet fabula de pugna Herculis cum Liguribus, qui boves illos abigebant, et de Campo lapideo inter Massiliam et

Longinqua regis, unde ab Hesperio mari
Inachiam ad urbem nobile advexi pecus,
Vidi duobus imminens fluviis iugum,
Quod Phoebus ortu semper obverso videt:
Vbi Rhodanus ingens amne praerapido fluit,
Ararque dubitans, quo suos cursus agat,
Tacitus quietis alluit ripas vadis.
Estne illa tellus spiritus altrix tui?

Haec satis animose et fortiter. Nihilominus mentis suae non est, et timet *μωροῦ πληγήν*. Claudius ut vidit virum valentem, oblitus nugarum, intellexit neminem parem sibi Romae fuisse: illic non habere se idem gratiae: galluun in suo sterquilinio plurimum posse. Itaque quantum intelligi potuit, haec visus est dicere: Ego te, fortissime deorum Hercules, speravi mihi affuturum apud alios, et si quis a me notorem petisset, te fui nominaturus, qui me optime nosti. Nam si memoria repetis, ego eram, qui tibi ante templum tuum ius dicebam totis diebus mense Iulio et Augusto. Tu

Rhodanum. Vide Heynium ad Apollod. loc. laud. 13.

Ararque dubitans..... vadis. Forte imitatus est Horatium Carm. I, 31, 7 sq.: *Non rura, quae Liris quieta Mordet aqua taciturnus amnis.* — *Vadis.* Vulgata et bona est. At α. in marg. habet *undis*, unde a. et b. *undis* in textu habent et ed. rom. cum Beato Rh.

Spiritus. I. e vitae.

Mentis suae non est. Suppl. *compos.*

Nihilominus... μωροῦ πληγήν. Stulti ictum iramque facile excandescentem Claudii timuit. Ioci causa Herculis fortitudo deprimitur: et illa proverbii mentio. Vid. infr.

Nugarum. Ea quae paulo ante *alogias* Hercules vocaverat.

Gallum...posse. Bene ad Claudium, qui Gallus germanus erat, refertur.

Alios. Sc. deos. Monco, ne quis *deos* emendet.

Notorem. Ciceronis cognitorem, *γνωστῆρα*, qui tanquam notus adhiberi solet, ut alterum aliis ignotum noscitet et agnoscat. Cf. Senec. Epist. 39, 1.

Tibi ante templum tuum pro glossemate habuit Schefferus: pessime.

Nam si... Augusto. Quo tempore lites quiescerent (cf. Plin. Epp. VIII, 21; Stat. Silv. IV, 4, 40.) Rem confirmant Sueton. Claud. c. 14, et Dio Cass. XL, 4. Fecit itaque hoc adeo feriarum tempore. Iutempestivam proinde fatui illius iudicis diligentiam irridet. Exempla miseriarum, quas Claudius in iure dicendo et causidicis audiendis pertulerit, quaedam attulit Sueton. c. 15.

scis, quantum illic miseriarum pertulerim, quum causidicos audirem, et diem et noctem : in quos si incidisses, valde fortis licet tibi videaris, maluisses cloacas Augiae purgare : multo plus ego stercoris exhausi.

VIII. Sed quoniam volo **** non mirum, quod impetum in curiam fecisti : nihil tibi clusi est. Modo dic nobis, qualem deum istum fieri velis : ἐπικούρειος θεὸς non potest esse, ὃς οὔτε αὐτὸς πρᾶγμα ἔχει, οὔτε ἄλλοις παρέχει. Stoicus? quomodo potest rotundus esse (ut ait Varro) sine capite, sine praeputio? Est aliquid in

Pertulerim. At ed. rom. et codd. α. a. b. h. *contulerim*. Sed vulgata praestat.

Fortis licet codd. α. a. b. h. et ed. rom. dant *tibi videaris*, quod recepi.

VIII. Arg. Inter τὰ *sed quoniam volo* **** *non mirum* esse lacunam satis magnam apparet, et ab omnibus observatum est Viris doct. Codd. nihil auxilii praebent. Notulas itaque defectus apponi iussi. Lacuna sic explenda esse videtur: Quum Hercules persuaderi sibi a Claudio passus esset, ut ipsius voto in deorum numerum admitti faveret, statim temereque in Deorum curiam cum Claudio irruit, eius causam Diis commendaturus. Sed hi indignitatem rei sentientes in Herculem acriter invehunt, atque cum eo sine ordine et tumultuarie rixantur, alio alium occupante.

Sed quoniam.... nihil tibi clusi est. Difficile dictu est, quis deus Hereulem primo loco increpet. Momo certe haec digna sunt.

Ἐπικούρειος, etc. Graeca quae sequuntur in plerisque codd. aut prorsus omissa, aut valde corrupta, Beatus Rhen. tenuium vestigiorum ope ex codice suo restituit, probantibus editor. insecutis. Fromondus ὃς addendum esse recte putabat, probante Hueto, qui sic scripsit in nott. mss. ὃς οὔτε *πράγματ'* ἔχει, οὔτε ἄλλοις *παρέχει*. — *Deus Epicureus* ipse requiescit et alios requiescere sinit. Notum enim est, Epicurum statuisse quidem deos, quamquam philosophia eius bene considerata iis carere potuisset, sed eos collocasse in intermundiis, summa quiete et felicitate fruentes, nec cuiquam negotia facessentes. Cf. Diog. Laërt. X, 77. Verba graeca occurrunt apud Diog. Laërt. X, 139.

Stoicus.... praeputio. Stoici enim Mundum rotundum esse Deum censuere. Cf. Diog. Laërt. VII, 137 sq. ibique Menag. Spectat huc Seneca de Vita Beat. 8, 3 Fortasse haec M. Terent. *Varro*, amicus Ciceronis et πολυγραφώτατος Romanorum notissimus, in Satyra quadam dixerat: nam in eius Theologia naturali, cuius Augustinus de civitate Dei VII, 6, meminit, Lipsio quamvis iudice Physiol. Stoic. 1, 8, occurrere vix potuerunt : quippe illa comica : *sine capite et praeputio*, ab illius operis severitate nimis aliena fuerint. Caeterum Varronis haec dicenti Hermae cum Priapis coniuncti atque capite peneque toti constantes obversati

Digitized by Google

eo Stoici Dei: (iam video) nec cor, nec caput habet. — Si, mi Hercules, a Saturno petisset hoc beneficium, cuius mensem toto anno celebravit (Saturnalia eius) princeps, non tulisset illum Deum ab Iove, quem, quantum quidem in illo fuit, damnavit incesti. L. Silanum enim generum suum occidit. Oro, propter quid? sororem suam, festivissimam omnium puellarum, quam omnes Venerem vocarent, maluit Iuno-

videntur. Cf. Interpp. ad Thucyd. VI, 27.

Si, mi Hercules, etc. Haec et quae sequuntur abrupta sunt, alio aliud Herculi obiiciente: sed corrupta quoque esse quivis videt. *Si, mi Hercules*, feci e vocibus *mehercules*, Kortio et Sonntagio praeeuntibus. *Cuius mensem* mutatum voluit Scheffer. in *cuius mensam*, ut supra c. 3. Reliqua sensum mancum praebent. Codd. nihil iuvant. Beatus Rh. emend. *Caius princeps*. Iunius em. *Saturnalitius princeps*, non sine aliqua specie, addit Gron. Lipsius *Saturnalia eius* delevit, adsentiente Fromondo et Gronovio, qui etiam τὸ *princeps* delendum censet Iano Rutgersio praeeunte. Fortasse locus sic refingendus est: *Si, mi Hercules, a Saturno petisset hoc beneficium, cuius mensem toto anno celebravit princeps, non tulisset illum Deum ab Iove, etc.* H. e. non passus esset, ut a Iove deus factus esset, etc. In eamdem constructionem inciderat Koelerus amiciss. Sonntagius, τοῖς *Saturnalia eius* electis, interpunxit post *tulisset* plenius et post *incesti* interrog. puncta posuit: ubi post *Iove* intelligi debet *fieri*. Codd. a b. h. *qui quantum*. — Lipsius ad Tacit. Annal. XII, 4 em. *qui.....incesti*. Gronov. ibidem emend. *Si mehercules....celebravit, non tulisset illud. Nedum ab Iove, quem etc. — Si, mi Hercules*, etc. Alius deus statim occupat. Sensus vero est: Etiamsi Saturnus, qui ei favet, quoniam Saturnalia, ex quo Princeps esset, celebravit, Claudius (cf. Sueton. Claud. c. 32, 33), a Iove petivisset, ut iste fieret deus, ne hic quidem hanc gratiam tulisset (*ille*, nempe Saturnus, *non tulisset*, i. e. non obtinuisset, *illum*, Claudium, deum supplend. *esse*): quum Iovem adeo incesti damnaverit, interfecto Silano propterea quod is adversus Iuniam Calvinam, suam ipsius sororem, verba nuptialia et parum cauta adhibuisse insimulabatur. Haec nimis simplex et incauta eoque malignae interpretationi obnoxia consuetudo et conversatio in crimen arrepta est a Vitellio, Claudio libenter his criminationibus praebente aures. Iovem autem suam sororem Iunonem in matrimonium duxisse constat. Tacitus etiam Annal. XII, 4, de ea re: «*fratrumque* (*i. e. fratris et sororis*) *non incestum, sed incustoditum amorem ad infamiam traxit.*»

Oro, propter quid? Codd. vel *Oropenque* vel *Oro per quod*. Nostram lect. dedit codex Rhenani, quam editores receperunt, Hueto in notis mss. et Sonntagio probantibus. Sequentia sunt obscurissima.

nem vocare. Quare, inquit, quaero enim, sororem suam stulte studere? Athenis dimidium licet, Alexandriae totum? Quia Romae, inquit, mures molas lingunt, hic nobis curva corrigit. Quid in cubiculo suo faciat, nescio: etiam caeli scrutatur plagas, deus fieri vult. Parum est, quod templum in Britannia habet,

Quare....studere. Non *studere*, sed *stude* omnes codd. praestant. Rhenanus coni. *Quare invidit Romae historias suas?* Lipsius: *Quare, inquis, quare iniit sororem suam? Stulte, Stulte, Athenis*, etc. Fromondus: *Stulte, stude: Athenis*, etc.: negat ideo debuisse mori, nam si studeas et legas historias, inquit, Athenis dimidias sorores, i. e. germanas ex eodem patre non tamen uterinas ducere licet, Alexandriae vero totas sorores, sive germanas uterinasque simul. Gronovius: *stulte istud:* nempe rogas. An nescis et sorores amari? I Athenas, etc. illic videbis vel germanam vel uterinam, hic et utroque parente eodem genitam ducere uxorem licere. Equidem manum abstineo: hariolor tamen e margine explicationes in textum irrepsisse. Fac enim margini praegressa non intelligentem appinxisse: *Quare inquit* Seneca, *quaero enim, sororem suam. stulte.* Alter sciolus addidit: *stude. Athenis, etc.* Huic ob animum versabantur Cimon Atheniensis, qui Elpinicem, germanam sororem, et Ptolemaei, qui sorores suas saepe incestarunt: cf. Athen. XIII, p. 589, ibique Schweigh. Altera tamen ex parte, cur enim periturae chartae parcam? facile fieri potuit, ut, voculis *sororem suam* e praetergressis perperam a librario repetitis, alius deus rogaverit, cur stulte instituerit historiarum suarum praelectionem in Museo Alexandrino. Qui responsum tulit, quia Romani omne quod veneratione dignum sit, reprobarent, etc.

Quia.... corrigit. Haec verba tam obscura et corrupta sunt, ut Oedipo indigeant. In illis: *Quia Romae inquit* deus aliquis, *mures molas lingunt*, Rhenanus credit hic mollitiam Romanorum tangi, qui instar murium urbanorum, ne *quidem caseum arrodant, sed lingant molitam farinam.* Quam interpr. reiicit Fromondus dicens: Ridet Claudii censuram per minima quaeque delicta nimis severe euntem. Cf. Sueton. Claud. c. 16. Locus Plinii iun. Epist. V, 21, docet quidem, verba ista: *curva corrigit*, proverbii loco in usu fuisse de illo, qui minima, maioribus omissis, emendet: sed loco nostro nullam lucem affundit. Nec clariora sunt sequentia.

Quid in cubiculo suo faciat, nescio: etiam coeli scrutatur plagas. Est hemistichium versus apud Cicer. de Div. lib. II, cap. 13, obvii. — Quid autem consilii habens caelestes scrutatur plagas? Meo arbitrio, quaerens quamnam post mortem caeli portionem occupaturus. Nam huius sedis delectus, adulantium iudicio, gravioris momenti erat, et apud assentatores poëtas huius saeculi, agitur saepe de hoc. Vide Lucan. Pharsal. lib. I init.

Templum in Britannia. Claudio constitutum esse templum in Britan-

quod hunc barbari colunt, et ut deum orant. Αλώρου φιλάτου χήν.

IX. Tandem Iovi venit in mentem, privatis intra curiam morantibus sententiam dicere, nec disputare. Ego, inquit, P. C. interrogare vobis permiseram, vos mera mapalia fecistis. Volo servetis disciplinam curiae. Hic qualiscunque est, quid de nobis existimabit? Illo

nia testatur Tacitus Annal XIV, 31.

Quod hunc. E Lipsii coni. est: antea *nunc*. cf. Lips. ad Tac. Ann. XIV, 31.

Graeca Αλώρου φιλάτου χήν, vel quae Iunius ambiguis characterum vestigiis in suo codice invenisse se dicit, μωρούς κληρουχεῖν, aut μωροῦ ἀποχήν sive ἀποτυχήν sunt ex more codd. latin. corruptissima: in quibus emendandis horulam bonam perdere nefas est. Gronovius tamen emendavit: Μῶροι Μώρυχον, vel Μωρότερον Μωρύχου, laudatis Graec. paroemiographis. Attigit haec Erasmus in Adag. 1209. — Nos tamen vero propiores factos credimus, quum pro vulgata et vett. coni. proponimus Μώρου φυλάττου μῆνιν; imo ex tribus quae Graeculum proverb. conficiunt vocabulis, priora duo vix dubitamus a manu auctoris esse. In voce Μῶρου enim nihil mutamus, nisi quod et h. l. multi et sexcenti alias mutarunt, sc. Λ in M et vice versa. In Φυλάττου vero, levis utraque mutatio est. Nam et υ idem fere cum ι sonuisse apud veteres constat, et duplex τ pro simplici nullus mirabitur. Μῆνιν minori audacia defendemus. Sed vox vera et Annaeana ab illa parum distat et eiusdem mensurae est, et eiusdem quantitatis. Quod si rhythmum iam excutias, iambici tragici initium reperies, tres nempe pedes et syllabam, vel Εφθημιμερῆ versum; quod non parum coniecturae nostrae firmitudinis addit. Caeterum sensus est planus: Cave insanientis impetum; hoc est ubi alicuius rei faciendae impetum vir demens coepit, non desinit; cave ergo ne incipiat.

IX. Ang. Tandem Iupiter, huic rixae fine imposito Claudioque dimisso, sententias rite interrogat. Primus sententiam suam fert Ianus pater, deinde Diespiter.

Privatis..... Spectant haec ad Claudium, qui nondum deus factus ideoque privatus erat. Illo igitur intra curiam morante sententias dici noluit Iupiter.

Sententiam dicere, nec disputare. Gronovius emendavit, *sententias dici indignum putare.* Et hoc sensus postulat. Cum Pithoeo tamen *extra curiam* putem ab auctore esse: infinitivum autem coniungi cum phrasi *venit in mentem*, notum est. Si usus loquendi pateretur, legerem *infra curiam*; i. e. romano more, in foro.

Mera mapalia. Lipsii codex, *mera nuptialia*, nullo sensu. Iunii ms. *vos me ramapalia*, etc. — *Mera mapalia*, i. vos, neglecta curiae huius disciplina et dignitate, ut in proverbio est, ex civitate rus fecistis: mapalia enim Nomadum afrorum tuguriola et casae rusticae. Sic cum Fromondo, Sonntagio aliisque locum intelligo.

Hic, nempe Claudius.

Digitized by Google

dimisso, primus interrogatur sententiam Ianus pater: is designatus erat in Kal. Iulias postmeridianus Cos., homo quantumvis vafer, qui semper videt ἅμα πρόσσω
2 καὶ ὀπίσσω. Is multa diserte, quod in foro vivat, dixit, quae notarius persequi non potuit: et ideo non refero: ne aliis verbis ponam, quae ab illo dicta sunt. Multa dixit de magnitudine deorum: non debere hunc vulgo dari honorem. Olim, inquit, magna res erat, deum fieri: iam fama minimum fecistis. Itaque ne videar in personam, non in rem sententiam dicere, censeo, ne quis post hunc diem deus fiat ex his, qui ἀρούρης καρπὸν ἔδουσιν: aut ex his, quos alit ζείδωρος
3 ἄρουρα. Qui contra hoc SC. Deus factus, fictus, pi-

Is designatus..... consul. Suffectus itaque erat. Ridicule fingit auctor, eum fuisse dantium foenori et accipientium, qui in foro Romano circa lunam summam, medium e. imum (Horat. Epp. I, 1, 54 ibiq. Bentlei.) res suas agerent, consulem designatum postmeridianum, praesidem. Locus autem manifestus est: nam mense Iulio erant feriae, et post meridiem nulla negotia agi solita sunt.

Homo quantumvis vafer. Sic a Beato Rhen. et Alciato restitutum est, probante Fromondo et reliquis edd. Codd. tamen omnes et editio rom. praestant: *h. quantum via sua fert qui:* at sine sensu. Etiam τὸ *homo* suspectum est, quum de diis sermo sit.

Ἅμα.... ὀπίσσω est hemistichium Homeri Iliad. γ, 109, de Priamo sene prudente, qui simul ante et retrorsum videt. Ianum autem bifrontem describi et fingi notum est.

Vivat bene habet. Codd. praebent *iuuat*, unde *iuvat* et *vivat* facere aeque proclive est. Sed de causidico melius est *vivat*, quam *iuvat*.

Notarius. Est ταχυγράφος, qui adhibitis notis i. e. vocum compendiis celerrime quamvis loquentis vocem excipere posset, recte explicante Gesnero ad Plin. Epp. III, 5, 15.

Fama minimum est Fromondi aliorumque emendatio, quae codd. lectioni *fama nimium* praeferenda erat. Rhenanus voluit: *fama mimum fecit*, i. e. ridiculum et ludorum scenicorum argumentum. Etiam *mimicum* propoui poterat, i. turpe.

Fecistis codd. dant. Etiam Scheffer. praetulit τῷ *fecat*: qui etiam emend. *iam fana nimia* dari voluit. Huetus em. in notis mss. *at tu minimam fecisti.*

Aut..... quos alit, etc. Haec ob tautologiam tanquam glossema Heinsius et Scheffer. delent. Sed Sonntagius acute monuit, causidico tautologias amante haec dignissima esse.

Qui ἀρούρης.... ἄρουρα. Noti versus homerici (qui terrae fructum edunt, et quos alit alma terra) hominem designantes: tautologi quidem sunt, sed ob id ipsum causidico di-

Digitized by Google

ctusve erit, eum dedi larvis, et proximo munere inter novos auctoratos, ferulis vapulare placet. Proximus interrogatur sententiam Diespiter Vicae Potae filius, et ipse designatus Cos. nummulariolus. Hic quaestu se sustinebat, vendere civitatulas solebat. Ad huncce belle accessit Hercules, et auriculam ei tetigit. Itaque in haec verba censet: Quum Divus Claudius Divum 4 Augustum sanguine contingat, nec minus Divam Augustam aviam suam, quam ipse Deam esse iussit, longeque omnes mortales sapientia antecellat, sitque e republica esse aliquem, qui cum Romulo possit

.....ferventia rapa vorare:

gnissimi, quippe quem repetitiones et ambages amare constat. Recte hoc monuit Sonntagius contra Heinsium et Schefferum qui haec verba: *aut ex his.....* ἄφορα e textu eiecturi erant.

Fictus, bonum est. Codd. paris. a. a. b. h. dant *dictus*.

Eum dedi larvis, etc. I. e. Furiis, quae eum proximo ludo gladiatorio tanquam ad digladiandum modo conductum ideoque novitium ferulis ferirent. Lanistae autem hoc facere solebant. Cf. Lipsii Saturnal. I, 15. Quis ille *Diespiter* sit, difficile est dictu. Iupiter enim, qui apud Horat. Carm. I, 34, 5, III, 2, 29, Diespiter audit, quia Varrone de L. L. IV, 10, exponente, Diei et lucis pater est, esse non potest. Nec quidquam lucramur, si Lactant. Inst. I, 14 auctore Plutonem intelligamus. Plutus h. l. optime conveniret, sed auctoritas deest.

Vicae Potae. Codd. parisin. α b h. *Nicoepotae*, et sic codex Turnebi, qui tamen unus ex istis parisinis fuisse videtur. Turnebus hinc facere voluit: *Nicephori*, aut *Iapeti filius*. De Victoria explicat Fromondus. Nomine hoc Victoriam ad forum romanum in octava urbis regione templum habuisse constat. Cf. Drakenborch. ad Liv. II, 7. Derivant nomen a vincendo et potiendo: vid. Voss. Etym. in voc.

Ad huncce belle. Sic et ed. rom. At cod. par. a. et Beati: *ad hoc velle*. cod. Iunii, *adhuc velle*. Gronov. inde fecit: *ad hunc sedulo*. sed vulgata non movenda est.

Aur. tetig. Hercules eum admonuit, ut sibi Claudiove adesset, tacta auricula. Laudat Fromondus apposite hic Virgilianum illud: «*Cynthius aurem Vellit et admonuit*» Fromondus et, quod mireris, Huetus *Iovem*, qui alias Diespiter est, hic dici interpretantur: non reputantes, Iovem senatum habere. Oblique auctor tetigit morem pravum, qui sub Claudio invaluit, civitatis ius vendendi, de quo vide Dion. Cass. LX, 17, coll. 19.

Quum Divus Claudius, etc. Pater eius fuit Drusus, quem Livia, quum Augusto gravida nupsisset, intra mensem tertium peperit. Suet. vit. Claud. cap 1.

Quam ipse..... iussit. Cf. Dio Cass. LX, 5.

Digitized by Google

censeo, ut D. Claudius ex hac die deus fiat, ita uti ante eum quis optimo iure factus sit: eamque rem ad μεταμορφώσεις Ovidii adiiciendam. Variae erant sententiae, et videbatur Claudius sententia vincere. Hercules enim, qui videret ferrum suum in igne esse, modo huc, modo illuc cursabat, et aiebat: Noli mihi invidere, mea res agitur: deinde si quid volueris, invicem faciam: Manus manum lavat.

X. Tunc Divus Augustus surrexit sententiae suo loco dicendae, et summa facundia disseruit: P. C., vos testes habeo, ex quo deus factus sum, nullum verbum me fecisse. Semper meum negotium ago. Sed non possum amplius dissimulare, et dolorem quem graviorem pudor facit, continere. In hoc terra marique pacem peperi? ideo civilia bella compescui? ideo legibus urbem fundavi, operibus ornavi? Et quid dicam, P. C. non invenio: omnia infra indignationem verba sunt. Confugiendum est itaque a me ad Messalae Corvini

Ferventia rapa vorare. Similia dat Martialis XIII, 16.

Eamque rem.....adiiciendam. Nam duae apotheoses Romuli ut Iul. Caesaris in iis narrantur.

Noli mihi invidere. Φθονεῖν, recusare opem tuam. Poetis haec loquendi formula propria. Sic *invidet uva* ap. Stat. II, Silv. 2, quae non dat.

Manus manum lavat. Proverb. graec. laudat Plato Axioch. ex Epicharmo: nec omisit Erasmus in Adagiorum collectione.

X. ARG. Augustus surgit sententiae dicendae, et dissuadet.

Sententiae suo loco dicendae. Legebatur hic antea: *suae loco dicendae.* Sed *loco* eiecit Lipsius auctoritate codicis: invenit quoque in codice bibliothecae publicae Harlemensis Gronovius, qui inde fecit *suo loco.* Recepi.

Semper..... ago. I. e. taceo.

Legibus urbem fundavi. Cf. Sueton. Aug. c. 33, etc.

Operibus ornavi. Suet. Aug. c. 29: Augustus plurima opera exstruxit. Ex quibus vel praecipua, Forum cum aede Martis Vltoris, templum Apollinis' in Palatio, aedem Tonantis Iovis in Capitolio.

Messalae Corvini. Amicitia intima cum Augusto coniuncti, oratoris celeberrimi, poëseos, philosophiae et rerum pace belloque egregie gestarum laude florentissimi. Cf. de eo Heynii Obss. ad Tibull. 1, 3, 1. In oratione Antonium, opinor, incre-

Digitized by Google

disertissimi viri illam sententiam: Praecidit ius imperii! Hic, P. C. qui nobis non posse videtur muscam excitare, tam facile homines occidebat, quam canis excidit. Sed quid ego de tot actibus iuris dicam? Non vacat deflere publicas clades, intuenti domestica mala. Itaque illa omittam, haec referam. Etiamsi Phormea graece nescit, ego scio. ΕΝΤΙΚΟΝΤΟΝΥΚΗΝΔΙΗΣ,

pante haec occurrisse videntur quorum sensus est, Fromondo recte interpretante: castravit et enervavit ius imperii. *Lagrange* interpret. *Il a coupé les nerfs de l'empire.*

Quam canis excidit. Sic omnes codd. et codex parisinus optimus α.; respicitur ad impotentissimum et infelicissimum aleae studium, quo Claudius flagrabat. Si codd. quorundam lectio fuerit: *quam canis frustum abscidit*, ea pro glossemate indocto et inepto habenda sit. Gronovius emendavit: *quam canis exta edit. Quam canis excidit.* Salse perstringit insanum Claudii aleae studium: infelicissimum autem talorum iactum esse nominatum canem, notum est.

Sed quid ego de tot actibus iuris d. Spectant ad publicas virorum optimorum caedes. Itaque cum Sonntagio Iunii et Schefferi emendationes: *de tot acribus viris* in textum immissas eieci.

Etiamsi Phormea graece nescit, ego scio. Εντιχοντονυχηνδιης, *senescit.* Corruptissimus locus et crux criticorum. Codd. nihil opis offerunt. Rhenanus coniectando dedit e suo cod. weissenburg.: *nam τῆς ὀργῆς aegre senescit ἡ νοσος*, i. e. irae morbus aegre senescit. Deinde sequentia ex qualibuscunque, ut ait, exemplaris sui vestigiis ita legit: Πυργοπολινίκης (acris expugnator) *iste, quem v.* Adr. Iunius his hariolationibus haud dubie ineptis non contentus aliam et eam non meliorem attulit. Is ita codicis sui scripturam repraesentavit, an vere, quis praestiterit? *Nam etiamsi φορμιγγος nescit ego scio, ἐντυνων τὸ*, Καλλινίκε Ηρακλῆς. *Iste quem v.* Addit, graeca ista satis evidenter in Mss. cod. legisse. Hinc facere voluit: *Nam etiamsi φορμίζειν nescit ego scio, ἐντύνων*, etc. ut Augustus affirmet, Claudium mortalium ignarissimum esse qui ne φορμίζειν et citharam tangere sciat, etc. Sed neque Iunius neque Fromondus docere potuere quomodo haec graeca (satis nota e schol. Pindari Olymp. IX, 1, et Aristoph. Acharn. 1227 sq. ed. Brunck.) cum toto sententiarum nexu cohaererent. Recte censuisse videtur Sonntagius amic., illud: *graece* margini appictum monendi causa h. l. graeca esse postea, ut fit, in textum immissum. Ipse Kortii emendatione usus coniecit: *Etiamsi Phormio* (Thraso ille famosus Terentii) *necesse nescit; ego sein: ἐντοιχόν κακὸν nec diis senescit.* In qua emendatione sententiae ordinem laudabis, unum verbi graeci ἐντοιχὸν desiderabis. Koelerus amic. ita emendat: *Etiamsi P. C. oratio mea graece nescit; ego scio ἓν τι centum centies. Senecio istem, quem v.* Equidem manum ab-

senescit. Iste, quem videtis, per tot annos sub meo nomine latens, hanc mihi gratiam retulit, ut duas Iulias proneptes meas occideret, alteram ferro, alteram fame : unum abnepotem L. Silanum. Videris Iupiter, an in causa mala, certe in tua. Si hic inter nos

stineo, contentus retulisse V. D. conatus loco medendi. — Sic Rubkopf. Nos putamus non ita deformem mendis locum, ut non aliquis aliquando de bona parte resarciat. Interim nostram pro virili coniecturam afferamus licet: quae haec est: *Etiamsi forte ea nescit, ego scio ἓν τυχόντων : hic in Diis se nescit.* Vbi vides nos quatuor tantum verba refingere, aut vertere aut abiicere 1° *Phormea* pro quo *forte ea* rescripsimus; et quod eo facilius irrepsisse in textum potest quod graeca vocabula non procul sint, et ob similitudinem vocalium τὸ *forte ea* procul dubio in *fortea* coaluerit. 2° *Graece* quod scioli glossarium margini παραγεγραμμένον recte censuit Sonntagius; 3° ἓν τυχόντων : *hic in duis*, ubi animadvertere est nos ne iota quidem in pronunciatione immutavisse, sed solum quinque verba pro uno verbo admisisse, quorum duo Graeca, tria Latina esse credidimus, et ita sonorum omnium rationem habuisse, ut τὸ Υ cui si vocab. Graeci initium est, spiritus asper imponitur, per *hi*, et non per *i*, reddiderimus; 4° *se nescit*, pro *senescit*. Quibus sane mutationibus si quid melius, nihil simplicius. Alioquin sensus obvius est et cum iis optime quadrat quae sequuntur et quae praecedunt: Mala domestica ego referam; etiamsi ille forsan ea nescit (quid mirum? hic quem in Diis esse vultis, ipse se nescit), ego scio aliquid rerum quae acciderunt. Hoc est enim Ἐν τυχόντων : licet melius diceretur τί τῶν γενομένων. Sed et hoc fortasse de consilio, et parum attice loquentem Claudium inducere auctori expedivit. Caeterum bene auctor hic graeca orationi Augusti immiscuit, quippe quem scimus, etsi graece non loqueretur expedite, tamen graecos versus saepe et libenter in ore habuisse. Cf. Sueton. Aug. 89, 25, 65, 99; Claud. 4.

Sub meo nomine. Ab Augusto enim omnes deinde Caesares appellati Augusti. *From.*

Duas Iulias. Altera fuit filia Germanici fratris Claudii, et proinde Claudii neptis ex fratre: altera filia iunioris Drusi, qui Tiberii Caesaris filius erat et Claudii patruelis. De earum caede cf. Suet. Claud. 29. Illa M. Vinicio nupta (Dio Cass. 60, 27) cum Seneca in exilium missa, suadente Messalina a. V. 794, et ab eadem mox interfecta: vid. Dio Cass. LX, 8: haec Neronis Germanici uxor a. V. 796, eadem Messalina instigante interempta. Dio Cass. LX, 18.

L. Silanum. Filium Aemiliae Lepidae proneptis Augusti per filiam Iuliam et generum M. Agrippam. De his Confer. Lipsius ad Tacit. lib. XIII Annal. cap. 1.

An in causa mala, certe in tua. Editio rom. sic dedit, quam ut sinceram lectionem cum Gronovio defendo. Sequentia emendat Gronov. *Is hic...est. Dic.* Huetus probat. Sed emendatione non indiget locus, modo scribas: *Si hic inter nos futu-*

Digitized by Google

futurus est, dic mihi, Dive Claudi, quare quemquam ex his, quos, quasque occidisti, antequam de causa cognosceres, antequam audires, damnasti? hoc fieri solet? in caelo non fit.

XI. Ecce Iupiter, qui tot annos regnat, uni Vulcano crus fregit, quem

Ῥίψε ποδὸς τετραγὼν ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο,

et iratus fuit uxori, et suspendit illam: numquid occidit? Tu Messalinam, cuius aeque avunculus maior eram, quam tuus, occidisti. Nescio, inquis? Dii tibi malefaciant: adeo istud turpius est, quod nescis, quam quod occidisti. Iste C. Caesarem non desiit 2
mortuum persequi. Occiderat ille socerum: hic et generum. Caius Caesar Crassi filium vetuit Magnum vocari: hic nomen illi reddidit, caput tulit. Occidit

rus est, Hic, etc. non ut antea: *Si.... est. Dic*, etc.

XI. Arg. Continuatio. Claudius damnatur.

Ecce Iupiter.....illam. Res notissima ex Homer. Iliad. α, 591, ubi etiam hic versus occurrit. Deiecit, est sensus, pede comprehensum de limine divino, i. e. Olympo. Odium Iunonis in Herculem tantopere irritaverat Iovem, ut in matrem filiumque, Iunonem et Vulcanum, acriter animadverteret, etc.

Tu Messalinam, etc. Nam Augusti soror Octavia Marco Antonio peperit Antoniam maiorem, et haec Domitio Aenobarbo Domitiam Lepidam, matrem Messalinae. Eadem Octavia, soror Augusti, mater fuit Antoniae minoris, quae ex Druso Tiberii imperat. fratre peperit Claudium. Octavia itaque eius avia fuit materna, et Augustus avunculus maior. Cf. Stemma Octaviae et Augusti editioni Suetonii Ernestinae adiunctum.

Nescio. Sic enim Messalinae caedes a Narcisso Claudii liberto, domino nescio, perpetrata est. Cf. Tacit. Annal. XI, 2 fin. Suet. Claud. 39.

Iste.....persequi. I. e. Caligulam imitari. Si tamen Dion. Cass. LX, 4, audias, dio ocum persecutus est.

Occiderat ille socerum. M. Silanum, cuius filiam Iuniam Claudillam duxerat Caius. Suet. Calig. 22.

Generum. L. Silanum, filiae Octaviae sponsum.

Caius.....vocari. Suet. Calig. 35. Dio Cass. LX, 5.

Caput tulit. I. abstulit. Dio Cassius loco nunc deperdito hanc mortem memoraverat, teste Zonara apud Reimar. ad Dion. LX, 31.

Occidit..... Crassum Magnum. Genetum, qui a patre M. Licin. Crasso cognomen Magni acceperat.

in una domo Crassum Magnum, Scriboniam, Tristioniam, Assarionem, nobiles tamen : Crassum vero tam fatuum, ut etiam regnare posset. Cogitate, P. C. quale
3 portentum in numerum deorum se recipi cupiat. Hunc nunc deum facere vultis? Videte corpus eius, diis iratis natum. Ad summam, tria verba cito dicat, et servum me ducat. Hunc deum quis colet? quis credet? denique dum tales deos facitis, nemo vos deos esse credet. Summa rei, P. C., si honeste inter vos gessi, si nulli durius respondi, vindicate iniurias
4 meas. Ego pro sententia mea hoc censeo. » Atque ita ex tabella recitavit : « Quandoquidem Divus Claudius occidit socerum suum Appium Silanum, generos duos, Pompeium Magnum et L. Silanum, socerum filiae

Cf. ad Tacit. Hist. I, 14, et 48. Intpp.

Scriboniam. Eius matrem.

Tristioniam Asserionem. Tristionia, Assarion nobis ignoti quidem sunt, pertinebant tamen, ut videtur, ad Crassi domum.

Tam fatuum...posset. Cf. c. 1, 2.

Cupiat. Post hoc verbum editio rom. et inde Beatus Rh. habent quae in codd. paris. non comparent: *Principes pietate et iustitia Dii fiunt. Scilicet hic pius est iustus, quoniam Druidarum perfidae gentis Gallicae immanem religionem advexit, nostram prorsus exstirpavit, ut Romae nuptiarum sacra essent, quibus ipse, quum sibi Agrippina nuberet, XXX Senatoribus, innumeris Equitibus romanis mactatis principium dedit.* Quae tamen verba, ut Suetonio prorsus contraria (cf. Ei. vit. Claudii c. 25) recte a sciolo esse profecta editores putaverunt.

Videte corpus eius. Cf. huius libri cap. 5, et Sueton. Claud. 6 init.

Ad summam tria.....dicat. Tam fatuus est, ut ne tria quidem verba, v. c. *hic meus est*, quibus verbis servum fugientem capere et vindicare solebant, recte pronuntiare possit, docente Barn. Brisson. de form. et solenn. Pop. Rom. verbis, p. 374.

Et servum me ducat. Adr. Iunii emendatio, *et in nervum me ducat*, nostra vulgata non potior est.

Ex tabella. I. e. de scripto. Phrasis haec occurrit quoque ap. Sueton. Claud. 15, sed in alia re. Bene autem hoc additum est, quum, Suetonio Aug. 84, referente, Augustus instituerit recitare omnia, etc. Sed iam de Sempron. Graccho simile quid narravit Aul. Gell. VII, 19.

Socerum suum. Sic omnes fere codd. Quaedam tamen exemplaria, notante Fromondo, *consocerum s.*, uti habet Sueton. Claud. 29.

Appium Silanum. Vitricum Messalinae. Suet. Claud. 27, vocat enm Claudii consocerum, quia filiam Octaviam L. Silano, Appii Silani filio, desponderat Claudius.

suae Crassum Frugi, hominem tam similem sibi, quam ovo ovum, Scriboniam socrum filiae suae, Messalinam uxorem suam, et caeteros, quorum numerus iniri non potuit; placet mihi in eum severe animadverti, nec illi rerum iudicandarum vacationem dari, eumque quamprimum exportari, et caelo intra dies xxx excedere, Olympo intra diem tertium.» Pedibus in hanc sententiam itum est. Nec mora, Cyllenius illum collo obtorto, trahit ad inferos,

Illuc unde negant redire quemquam.

XII. Dum descendunt per viam sacram, interrogat Mercurius, quid sibi velit ille concursus hominum, num Claudii funus esset? Et erat omnium formosis-

Quam ovo ovum. Proverbium, de quo cf. Erasmi Adag. 1510.

Messalinam, uxorem suam. Valeriam Messalinam, quam, post Plautiam Vrgulanillam, nondum princeps factus Claudius duxit. Istius mulieris saevitia et libidines notiores sunt quam quae hic narrentur. Periit Narcissi iussu confossa in Luculli hortis, ann. V. C. 801; Chr. N. 48.

Vocationem. Omnes mss. codd. sic dant, praeter Curionis cod., qui habet *vocationem*, unde ipse *advocationem* fecit, merito improbante Fromondo.

Eumque quamprimum exportari. Ex formula in relegandis solenni.

Caelo. Caelum summum ad terram usque pertineus intelligit. Olympus est sedes deorum. Huetus in notis Mss. cogitavit h. l. de caelo cum aethere et nubibus partibusque mundi, quas Iupiter sortitus est: Olympum autem mansisse communem.

Cyllenius. I. e. Mercurius, in cuius muneribus et hoc fuisse constat, animas in Orcum deducere: saepe occurrit, e. c. Virgil. Aen. IV, 239. Hor. Od. I, 10, 17 sq. ψυχοπομπός, νεκροπομπός, ψυχαγωγός, etc. inde appellatus. Cf. Wesseling. ad Diodor. Sic. I, 107.

Obtorto collo. Phrasi solenni de iis, qui ad supplicium trahebantur. Suet. Vitell. c. 17, describit rem. Hendecasyllabus est Catulli ex luctu passeris, III, 12.

XII. Ang. Ad inferos tendens Claudius videt auditque Romae funeris sui solenne celebrari.

Viam sacram. Via sacra frequentissima et celeberrima Romae, in qua Iulius Caesar (Cic. pro Mil. 25) habitabat, ideoque et eius successores habitasse videntur. Qui et maximo honore et dedecore afficerentur, per eam vecti fuisse traduntur. Cf. Adleri Romae descriptio, p. 61 sq.

Num. Quum haec particula interrogandi apud auctores meliores nonnisi negatione sequente poni soleat, suspecta est, et ab ultima *hominum* syllaba efficta esse videtur.

simum, et impensa cura plenum, ut scires deum efferri, tibicinum, cornicinum, omnisque generis senatorum tanta turba, tantus conventus. ut etiam Claudius audire posset. Omnes laeti, hilares; P. R. ambulabat tanquam liber. Agatho, et pauci causidici plorabant, sed plane ex animo. Iurisconsulti e tenebris procedebant, pallidi, graciles, vix habentes animam, tanquam qui cummaxime reviviscerent. Ex his unus quum vidisset capita conferentes, et fortunas suas deplorantes causidicos, accedit, et ait: Dicebam vo-

Senatorum. Sic plerique codd. ap. Fromondum et in Paris. α. e. h. exstat. *Aeneatorum* praetulit Beat. Rhen. e coni. *Sonatorum* et Sonntagio probatum iure civitatis rom. caret. — *Omnisque generis senatorum*. Senatores humeris suis funus imperatorum in campum deferre solebant, ubi cremaretur; cf. Sueton. Claudius 100. Apparatissimum Claudii funus memorat Suetonius Ner. 9. Senatores autem non eiusdem generis fuisse constat: nam etiamsi 1,200 sestertia tunc temporis census senatorius fuerit, tamen diversi generis fuere, quum ex iis multi honoribus functi, multi propter familiarum dignitatem, nullis propriis meritis clari, etc. in ordinem senatorium essent relati, et seniores haud dubie maiore honore gauderent, quam iuniores. Non immerito forsan coniicias et illic arcani salis aliquid sparsum in quosdam senatores quos forsan ex infima plebe Claudius in Curiam vocaverat. Vnus ex illis forte aut tibicen olim fuerat, aut cornicen. Vnde amare et lepide dicit: tibicines, cornicines, omnisque gen. senat.

Conventus bene habet, at *concentus* emendat Schefferus.

Vt etiam Claudius audire posset. Alioquin surdus.

Agatho. Nobis aliunde non innotuit. Recte Fromondus de Mathone Iuvenal. I, 32, cogitandum esse negavit. Causidicis sane erat quod plorarent, Claudio iis erepto, qui studiis eorum favernt. Hos cum contemptu dici patet e Cicerone et Quintil. XII, 1, 27: quo referre licet advocatorum perfidiam, cuius Tacit. Annal. XI, 5, meminit. Infra vers. 55 venale genus appellantur. Lucrum itaque ploratus causa fuit. Nam quum lex Cincia vetuisset, ne quis ob causam orandam pecuniam donave acciperet advocatus causidicusve (cf. Tacit. loc. laud et Schulting. Iurisp. anteiustin. p. 561 ed. Lips.); Claudius, lege hac susque deque habita, permisit, ut usque ad dena sestertia (i. e. eo tempore circiter 1,850 fr., 100 Frideric. aur.) sumere possent causidici. Tacit. Annal. lib. XI, cap. 7; cf. Burmann. ad Ovid. Amor. lib. I, vss. 13, 21.

Iurisconsulti. I. e. patroni. Iis opponuntur, qui nulla mercede accepta de iure respondebant, non in foro causas agebant. Claudius eos oppresserat, saltem nullo honore dignatus fuerat, quippe qui praescripta le-

Digitized by Google

bis, Non semper Saturnalia erunt. Claudius ut vidit funus suum, intellexit se mortuum esse. Ingenti enim μεγαλιγορίᾳ naenia cantabatur anapaestis:

Fundite fletus,
Edite planctus,
Fingite luctus:
Resonet tristi
Clamore forum:
Caecidit pulchre
Cordatus homo,
Quo non alius
Fuit in toto
Fortior orbe.
Ille citato
Vincere cursu
Poterat celeres,
Ille rebelles
Fundere Parthos,
Levibusque sequi
Perfida telis,
Certaque manu
Tendere nervum:
Qui praecipites
Vulnere parvo
Figeret hostes,
Pictaque Medi
Terga fugacis.

gum negligeret: quo factum erat, ut nemo amplius eos curaret. Cf. Sueton. Claud. 14.

Non semper Saturnalia erunt. Respicit ad res duas, scilicet Saturnalia imperante Claudio per totum annum durasse, et iurisconsultos causidicis superiores sese credidisse, ut servis magistri, qui, ut notum est, iis decumbentibus Saturnalium diebus ministrabant.

Μεγαλιγορίᾳ. e codice Iunii est. Editio rom. ἐπιτάσει χορικῶς. Corrupte in cod. paris α. *μεγαλω χορειχοντια cantabatur an.*

Fundite... luctus. Hac ταυτολογίᾳ et similibus sui perpetuum sententiis, verbis, rhythmis Claudii βαττολογίαν ridere Noster videtur. *Fingite luctus* vero non illepidum est ob iocum in ambigua voce *Fingite*.

Cecidit pulchre Cordatus. Claudius ridetur vi oppositi, quae manifesta in eum valebat: nam non *cordatum* i. sapientem, sed stupidum fuisse cuicumque patuit. Nec vers. 9 et sqq. aliud quid quam derisionem senis tardi, podagrici et male pedati continent. Parthos sub Claudio rebellasse narrat Tacit. Annal. XII, 44.

Cordatus homo. Veteres codd. omnes, Fabro teste, *Cordatus Iunv.* Sed ratio metri anapaestici Iunum respuit, unde Rhen. in *Sino*, e Virgil. Aen. II notum hominem, transformavit: pessime. Lectio vulgata proba est, quamquam illa Iuni mentio dubitationem iniiciat. Etiam codd. paris. α. et ε. *cordatus Iano.* Cod. h. *Cordatus avo. Iani* mentio ad Claudii studium causidicorum referenda esset.

Pictaque.... fugacis. Pictis sagulis amicti, aut picta scuta in terga reiicientes fugiendo. Parthos autem, pro quibus Medos hoc l. ponit, solitos fugere in acie, sed fugientes hastilia mittere, ex omnibus notum. Virgil. Georg. lib. III: *Fidentemque fuga Parthum versisque sagittis.* Horat. Carm. lib. I, Od. XIX, vss. 10. et 11: *Scythas. Et versis animosum equis Parthum dicere.* Id. Carm. lib. II, Od. XIII, stroph. 5: *Miles sagittas et celerem fugam Parthi* (subaud. *timet*).

Digitized by Google

Ille Britannos
Vltra noti
Litora ponti,
Et caeruleos
Scuta Brigantas
Dare Romuleis
Colla catenis
Iussit, et ipsum
Nova Romanae
Iura securis
Tremere Oceanum.
Deflete virum,
Quo non alius
Potuit citius
Discere causas,
Vna tantum
Parte audita,
Saepe et neutra.
Quis nunc iudex
Toto lites
Audiet anno?
Tibi iam cedet
Sede relicta,
Qui dat populo
Iura silenti,
Cretaea tenens
Oppida centum.
Caedite moestis
Pectora palmis,
O causidici,
Venale genus.
Vosque Poëtae,
Lugete novi:
Vosque in primis
Qui concusso
Magna parastis
Lucra fritillo

Britannos. Tunc tumultuantes ob non redditos transfugas (Sueton. Claud. c. 17. Dio Cass. LX, 21) subegit: Suetonius tamen, sine ullo praelio aut sanguine, ait intra paucissimos dies partem insulae in deditionem recepisse; Dio autem praelio ab eo fusos esse Britannos, cf. Intpp. ad Dion. l. l.

Scuta Brig. Praefero. Probabilius est Walliae quam Scotiae incolas cum Claudio pugnasse. *Scotobrigantas* Scalig. et Buchanan. emendant: probat Huetus. Iunius emend. *cute Brigantas*, probante Sonntagio: colorasse autem luteo s. glasto cutem suam constat e Iulio Caesare. Fromondus tamen vulgatam recte defendit. Brigantes commemorat quoque Tacit. Annal. XII, 32. — Caeterum ἐπίθετον solenne *caeruleos* cum τῷ Brigantas aut Scotobrigantas, nullus mirabitur. Nam apud Romanos caerulei semper nominati sunt Barbari ob colorem oculorum. Horat. Epod. XVI, v. 7: *Nec fera caerulea domuit Germania pube*.

Romanae.... securis. I. potestatis. Brigantas autem et alias et in hoc tumultu satis famosos fuisse constat: nam regina eorum Cartismandua Caractacum Romanis tradidit. Tacit. Annal. XII, 36, coll. cap. 32. Incolebant Valisiam (Wales).

Vna tantum parte audita saepe et neutra. Respicit ad Claudii stultam iniquitatem damnatis saepe reos indicta causa; dum iustitiae studium affectat cultumque profitetur. Vid. supr. init. lib.

Concusso.....fritillo. Rursus ad studium *vetitae legibus aleae* (Horat. Carm. lib. III, Od. XXIV.) respicit *Fritillus* est vasculum buxeum longum et teres, e quo mittuntur tesserae vel tali in tabulam. Idem et Pyrgus sive Turricula, quod effigiem rotundae turriculae (πύργου) prae-

XIII. Delectabatur laudibus suis Claudius, et cupiebat diutius spectare. Iniicit illi manum Talthybius deorum, et trahit capite obvoluto, ne quis eum possit agnoscere, per campum Martium: et inter Tiberim et viam tectam descendit ad inferos. Antecesserat iam compendiaria via Narcissus libertus, ad patronum excipiendum, et venienti nitidus, ut erat a balineo, occurrit, et ait: Quid dii ad homines? Celerius i, inquit Mercurius, et venire nos nuntia. Ille autem patrono plura blandiri volebat: quem Mercu- 2

beret. Tum ne quos bolos vellent aleatores, fallaci manu ante compositos facile iactarent, intus πύργος excavatus erat gradatim, exsculptusque, ut agitati tali in graduum superficie offendentes volutarentur, incertiorque iactus esset. Auson.: *Vidimus et quondam tabulae certamine longo Omnes qui fuerant enumerasse bolos. Alternis vicibus quae praecipitante rotatu Fundunt excussi per cava buxa gradus.*

XIII. Aug. Claudii adventus in Orcum.

Talthybius deorum, et Tὸ *nuntius* post *deorum*, quod omnes codd. dedere, cum Gronovio expunxi, quippe qui pulchre iudicat, additamentum esse interpretis. Eleganter Mercurium vocat Talthybium Deorum: quia is eo munere fungebatur inter deos, quo Talthybius inter Graecos ad Troiam. Vt Talthybium versa vice possis vocare Mercurium Graecorum. Probat quoque Sonntagius.

Viam tectam, non *rectam*, ut est in edition. rom. et Erasm. Illud defendunt Iunius et Gronov. ex Ovidio et Martial. VIII, 75, ubi cf. Scriver. Sic codd. paris. α. e. b. non *rectam*. — *Viam tect.* l. sacram. Inter hanc viam et Tiberim erat porta stercoraria et ductus cloacarum. Ibi itaque Claudii descensus sordidus fuit ad inferos.

Compendiaria via. Ad inferos descenderat, quia nulli caelestes honores ei Romae decreti, neque is periter ac Claudius statim post mortem iverat in Olympum peregrinatum.

Narcissus. Famosus Claudii libertus: qui etsi post Claudii mortem interfectus sit, auctor tamen fingit, Narcissum eodem tempore obiisse. Cf. Dion. Cass. LX, 34; Tacit. Ann. XII, 69.

Nitidus.... balineo. Lucem affundit Dio Cass. LX, 34; quippe qui narrat, Narcissum, suadente Agrippina, in Campaniam profectum esse ad balnea (Baiarum, ut videtur) adversus podagram, quacum conflictabatur, sumenda. Inde mox redux aspera custodia et necessitate extrema ad mortem agebatur, Tacito referente loc. laud.

Quid dii.... homines, etc. Narcissus itaque apotheosin iam factam esse noverat.

Celerius i. Reposui e cod. paris. α. Editio romana et Erasmus habent: *Celerius praecedito.* Antea: *Celerius, inquit.*

Mercurius. Mercurius *virga* aurea, i. e. caduceo ornatur mortuos ad in-

rius iterum festinare iussit, et virga morantem impulit. Dicto citius Narcissus evolat. Omnia procliva sunt, facile descenditur. Itaque quamvis podagricus esset, momento temporis pervenit ad ianuam Ditis, ubi iacebat Cerberus, vel, ut ait Horatius, *bellua centiceps*, sese movens, villosque horrendos excutiens. Pusillum subperturbatur (albam canem in deliciis habere consueverat) ut illum vidit canem nigrum villosum, sane quem non velis tibi in tenebris occur-
3 rere. Et magna inquit voce: Claudius Caesar venit. Ecce extemplo cum plausu procedunt cantantes: Εὑρήκαμεν, συγχαίρωμεν. Hic erat C. Silius Cos. desig.,

feros deducens, νεκροπομπός, χρυσόῤῥαπις. Cf. Horat. I Carm. 10, 18; Macrob. I Saturn. 19.

Virga morantem impulit. Horatii videtur meminisse qui Carm. lib. I, Od. 24: *Quam virga semel horrida... Nigro compulerit Mercurius gregi.*

Omnia procliva, etc. Repetit haec ex Virg. Aen. VI, 126: *facilis descensus Averno.*

Vt ait Horatius, Carm. II, 13, v. 34: *ubi illis carminibus stupens Demittit atras bellua centiceps Aures*, etc.

Sese movens villosque horrendos exc. Haec verba absunt omnibus codd. paris. et quum mox sequatur *villosum sane*, alterutro carere possumus, hoc tamen potius quam illis.

Subperturbatur. Gronovium e codd. restituentem secutus sum. Probat quoque Huetus in nott. mss. Codices tamen variant. Codex paris. α. optimus dat *subperturbatur*, sequacibus et ceteris, praeter e. et b. qui dat: *superturbatur*; f. *perturbatur*. Non male coniecit Lipsius, turbatum hic aliquid putans, a Seneca fortasse scriptum: *ubi iacebat Cerberus triceps*, *vel*, *ut Hor. bellua centiceps*. Edit. Rom. habet *subperturbatur, ut illum vidit canem nigrum; nam albam canem in deliciis habere consueverat. Ille autem totus informis est, nec quem velis*, etc. Codex paris. κ.: *ubi iacebat Cerberus, vel, ut ait Hor. b. c.* Hoc postremum recepi. Olim: *ubi iacebat, ut Hor. ait b. c.*

Sane quem.... occurrere. Fromondus, ut doceat mali et mortalis omnis fuisse nigrorum occursum, similem Iuvenalis Sat. V, 54, versum laudat de Aethiope Mauro: *Et cui per medium nolis occurrere noctem.*

Εὑρήκαμεν, συγχαίρωμεν. Graeca haec quae Nic. Faber e cod. eruit, codex quoque paris. α. eodem modo dedit, etsi parva corruptione Θηρήκαμεν συγχαίρωμεν. In reliquis codd. par. deerant, ex more, graeca. — Εὑρήκαμεν, συγχαίρωμεν, i. e. invenimus, congaudeamus: sunt verba solemnia in sacris Osiridis, quae exsultantes cantillabant, inventa Apide bove Deo. Haec attulit Firmic. de Origin. profan. relig. init. et vet. schol. in Iuvenal. Satir. VIII, monente Neubauero; nam Fromondus

Iuncus Praetorius, Sex. Trallus, M. Helvius, Trogus, Cotta, Vectius Valens, Fabius, Equ. Rom. quos Narcissus duci iusserat. Medius erat in hac cantantium turba Mnester Pantomimus, quem Claudius decoris causa minorem fecerat. Nec non ad Messalinam cito rumor percrebuit, Claudium venisse. Convolarunt primum omnium liberti, Polybius, Myron, Harpocras, Amphaeus, et Pheronactes, quos omnes, necubi im-

huius rei quoque meminit quidem, sed testimonium omisit. Satis satyrice haec hoc loco allata esse quilibet viderit. Miror tamen Iablonskium, virum harum rerum callentissimum, in Pantheo Aegypt. sicco pede haec transiisse. Nomina virorum illustrium, quos Narcissus duci iusserat, occurrunt pleraque ap. Tacit. Annal. XI, 30 sq. Vectii Valentis, medici, adulterio Messalinae Claudii Caesaris nobilitate pariterque eloquentiae affectatoris meminit Plin. H. N. XXIX, 1.

Cotta, *Vectius Valens* cum Fromondo, Hueto et Sonntagio praefero vulgato: *Cotta*, *Tectus*, *Valens*. Cf. not. Lipsius ad Tacit. Annal. XI, 35, *Sext. Traulus*, *M. Helvius*, *S.* (*Saufeius*) *Trogus* rescribendum censet e Tacit. qui eorum ibi meminit.

Mnester bene habet: codex tamen paris. α, *Noster*. Rhenanus emendat *Nestor*. Confusio haec occurrit Tacit. XI, 4, ubi cf. Lips. et Oberlin. — Ceterum de hoc Mnestere conferantur, Tacit. Ann. XI, 36; Dio. Cass. LX, 22, 28, 31. A Suetonio Calig. c. 36, M. Lepidus Mnester pantomimus a Caligula dilectus commercio mutui stupri memoratur. Comica est loquendi ratio, alibi non obvia, sed ideo non reicienda.

Minorem fecerat. Supple *capite*; h. e. interfecerat: fuisse videtur statura magna et praecipua. *Decoris causa*: explicat Tacit. Ann. XI, 36: *Claudium perpulere liberti, ne tot illustribus viris interfectis histrioni conuleretur, etc.*

Liberti, etc. Hos Claudii libertos Polybium et Harpocratem memorat quoque Sueton. Claud. 28. *Myronis* tamen, *Amphaei* et *Pheronactis* alibi mentionem factam non memini.

Polybius, *Myron*, *Horpacras*, *Amphaeus*, et haec Iunius ex veter. cod. restituit: hi liberti Claudii patrono suo praemortui. Pro *Pheronactes* legit *Pheronattus*. Consentiunt codd. paris. α. et h. hi dant quoque *quos Claudius omnes necubi imparatus esset praemiserat*. Quorumdam codd. lectio: *ne nisi imperatus esset* placuit Nic. Fabro. Edit. rom. quam et Rhen. sequitur, interpolata est. Illa habet: *Convolarunt.... liberti Myron*, *Ampyronas*, *Ampaeus*, *Phaeronas*, *Posides hasta pura insignis*, *Felix cum Pallante fratre*, *Harpocras*, *Polybius*, *quos omnes Claudius Quaestoriis Praetoriisque muneribus ubi imperitus esset praemiserat*. Suetonium in vita Claud. 28 inspicienti fons manifestus erit, unde hae interpolationes interpretationis causa margini appictae fluxerint. Imperite autem sciolus quidem apposuit, quum Pallas post Claudium a Nerone ve-

Digitized by Google

paratus esset, praemiserat. Deinde praefecti duo, Iustus Catonius, et Rufus Pompeii F. Deinde amici, Saturnius Luscius, et Pedo Pompeius, et Lupus, et Celer Asinius, consulares. Novissime fratris filia, sororis filia, gener, socer, socrus, omnes plane consanguinei. Et agmine facto Claudio occurrunt. Quos quum vidisset Claudius, exclamat, Πάντα φίλων πλήρη! Quomodo vos huc venistis? Tum Pedo Pompeius: Quid dicis, homo crudelissime? Quaeris, quomodo? Quis enim nos alius huc misit quam tu, omnium amicorum interfector? In ius eamus: ego tibi hic sellas ostendam.

XIV. Ducit illum ad tribunal Aeaci: is lege Cornelia, quae de sicariis lata est, quaerebat; postulat

ueno sublatus sit. Cf. Taciti. Annal. XIV fin.

Iustus Catonius. Confirmat Dio Cass. LX, 18.

Rufus. Esse videtur Sulpicius Rufus apud Tacit. Ann. XI, 35 fin. Rufus autem cognomen fuisse docet Ernesti Ind. hist. sub voc. *Pompeius.*

Saturn. Luscius. Tacit Ann. XI, 31.

Pedo Pompeius. Tacit. XI, 35, appellare videtur eum Vrbicum. Hi omnes occasione mortis Messalinae trucidati sunt.

Lupus. Tacit. XI, 35.

Πάντα φίλων πλήρη! I. e. Omnia amicis repleta!

Quomodo, etc. Plerosque enim aut nesciente Claudio liberti uxoresve interfecerant, aut obliviosum senem memoria facti statim effugerat. Hinc, occisa Messalina, Suetonio referente, Claud. 39, postquam in triclinio decubuit, quum domina non veniret, requisivit; cf. ad c. 11, 1.

Sellas. Iudices enim in sellis aut subselliis sedebant; conf. Sueton. Claud. 23. Sellas autem dicit propterea, quod Minos, Aeacus et Rhadamanthus, ut praetores inferorum, sella quisque sua curuli utebantur.

Ego tibi hic sellas ostendam. Codd. paris. α. h. *hic stellas ostendam.* Alii apud Fromondum aut *stelas* aut *stellas.* Sed *sellas* bonum esse videtur: probat quoque post Gronovium Huet., qui intelligit: sellas iudicum. Accedit Sonntagius.

XIV. Aeg. Aeaci quaestio in Claudium, ut sicarium.

Aeaci. Haud scio an auctor ideo Aeacum hic quaesitorem constituerit, quod Platone in Gorgia vol. IV, p. 166 Bip. referente, Aeacus Europaeos iudicet. Iustissimus et sapientissimus iudex primo, nisi fallor, a Pindaro Isthm. VIII, 49, 50, laudatur. Quaesitor autem fuit, sive praetor in causa criminali, h. l. de sicariis, cui ea quaestio obtigerat.

Lex Cornelia. Data a Corn. Sulla dictatore: vid. Heinecc. A. R. IV, 18, 58.

Postulat Pedo Pompeius *nomen eius* i. Claudii *recipi* inter noxios et

nomen eius recipi, edit subscriptionem: Occisos Senatores xxx, Equites Rom. cccxv, atque plures: caeteros cives, ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε. Exterritus Claudius oculos undecumque circumfert, vestigat aliquem patronum, qui se defenderet. Advocatum non invenit. Tandem procedit P. Petronius, vetus convictor eius, homo Claudiana lingua disertus, et postulat advocationem. Non datur. Accusat Pedo Pompeius magnis 2
clamoribus. Incipit Petronius velle respondere. Aeacus, homo iustissimus, vetat. Illum tantum altera parte audita condemnat, et ait: Εἶχε πάθοι τά κ' ἔρεξε,

reos. Fiebat autem hoc Romae ex formula veteri, qua accusator postulabat, ut quaestio de reo haberetur.

Occisos.... κόνις τε. Libello accusatorio crimen complectenti (quale hic vides), *Occisos*, etc. nomen suum accusator, et qui cum eo sentiebant subscripserant in crimen, ut loquuntur iurisconsulti: qua subscriptione se poena eadem constringebant, si iniuste accusassent, qua reum dignum declaraverant. In simili re adhibuit Minoem Virg. Aen. VI, 431 sq. ubi cf. Heineccii not. et Excurs. XI.

Cives, ὅσα. Bene coniecit sic Sonntagius. Vulgata erat *ceteros CCXXI*, consentientibus codd. paris. α. h. Recte autem observat Sonntagius: substantivum post *ceteros CCXXI* necessarium esse, nec hanc scabritiem tolerabilem esse. Fecit itaque e numero vocem *aives*. Recepi. — ὅσα... τε. i. e. quantum pulveris est et arenae. Sic Homer. Iliad. ε, 305.

Patronum. Qui sibi clienti opem ferret, et hoc non invento, *advocatum* amicum, ut sibi adesset.

P. Petronius. Cuius et Tacit. Ann. VI, 45, meminit, tam balbus et ἀσαφὴς fuit, quam ipse Claudius. De T. Petronio Arbitro non cogitandum esse, satis manifestum est: quum, quod Ignarra, probante Ruhnkenio in Wyttenbachii Biblioth. Critic. II, 1, p. 84 sq. docuit, Petroniana ad aevum Antoninorum deprimenda sint.

Postulat advoc. Copiam Claudii defendendi contra Pedonem. Aeacus autem recusat Petronium audire, addito versu graeco, qui unde sumptus sit ignoro. Sensus est: Vtinam patiatur, quae ipse fecerit, iudiciumque aequum fiat! Condemnat eum tanquam in facinore comprehensum; hinc factum esse videtur, ut Aeacus a ratione, quae in iudiciis eiusmodi i. e. quaestionibus perpetuis obtinebat, discederet. Simile quid habes apud Appian. Bell. civ. II, 6, ed. Schweigh. Rarum hoc fuit, quare *novum* auctor appellat. Ceterum pungit Claudium acriter, quippe quem altera tantum parte audita saepe iudicasse docet naenia, quam supra legimus, c. 12, vs. 40 sq.

Εἶχε πάθοι, etc. Sic fere omnes codd. qui quidem graecis non carent, uti h. l. omnes parisini integri. Alii codd. Nic. Fabri: Αἶχε πάθοις τά κ' ἔρεξας, etc. Sensus fere idem est.

Digitized by Google

δίκη, κ' ἰθεῖα γένοιτο. Ingens silentium factum est. Stupebant omnes, novitate rei attoniti: negabant hoc unquam factum. Claudio iniquum magis videbatur, quam novum. De genere poenae diu disputatum est, quid illum pati oporteret. Erant qui dicerent, si unius diei iacturam fecissent,[1] Tantalum siti periturum, nisi illi succurreretur: non unquam Sisyphum onere re-

Namque prior versus: Si pateretur quae ipse fecit, rectaiustitia esset; posterior: Si patereris quae fecisti, etc. At nostra lectio melius metri leges servat. Hic versus optime ad rem facit; significat enim legem talionis iustam esse, et ut is, qui alios altera tantum parte audita solitus erat condemnare, similem etiam sententiam subeat. Ceterum unde hic hexameter desumptus indicare non possum.

Erant qui.... sufflaminandam. Sensus loci, vocibus quibusdam exesis haud dubie mutili, est: *Tantalum, Sisyphum* et *Ixionem* aliquando relevandos esse, et interea in eorum labores mittendum Claudium.

Si uni Dii laturam fecissent. Satis fortasse coniecturarum dixeris hic frustra expensum. Codd. omnes vel sic dederunt, vel, *si minus Dii latura fecissent.* Hinc Rhenanus: *semidei larvam facesseret.* Iunius: *dilaturam* (Scheffero probante). Alciatus in parergis: *ullam dilaturam.* Curio: *nisi unius diei iacturam.* Fromond.: *si minus immortalem Dii naturam.* Pereat sane mea cum ceteris: *si uni Dei gratiam feciss.*, etc. Gron. Eligat lector! Haec Ruhk. Forte scribendum *si unius diei iacturam fecissent.* Qua in emendat. vid. quam leviter vulgatam lectionem immutemus et quam planus obviusque sensus sequatur. Nam pro *unius* scriptum fuisse *minus*, nihil mirum, et *Dii* pro *dici* centies occurrit; nec τοῦ *iacturam* loco *laturam* irrepsisse vero dissimile est. Tum facile haec intelliguntur: si unius diei iacturam nunc facitis, Tantalus peribit siti, etc. Ergo recreandus ille paulisper a supplicio est, ita ut eius locum aliquis interim excipiat.

(1) Sic rescripsi ex coniectura Cl. Bouilleti, quam omnibus praeferendam censui, donec certa lectio e codicibus eruatur. Vid. not. praeced. *An.*

Tantalum siti periturum. Qui, ut plerisque narratur: *A labris sitiens fugientia captat Flumina.* Horat. lib. I, Sat. I; et *Quaerit aqua in aquis et poma fugacia captat.* Ovid. Adeund. praeterea loc. classic. Homer. Odyss. λ: «Καὶ μὴν Τάνταλον εἰσῖδον, κ. τ. λ. et Senec. Tragic. At Euripides, Pindarus, Lucretius, atque alii longe diversa tradunt, et viro imminere rupem volunt quae iamiam ruitura cadentique similis, aeterno metu miserum defatigat.

Sisyphum) *Damnatusque longi Sisyphus Aeolides laboris* (Hor. lib. II, Od. XIV). *Optat supremo collocare... In monte saxum.* (Id. Epod. libr. Od. XVII). De supplicii causis vero ambigitur, quod impositum callidissimo omnium viro narrant alii ob latrocinia et caedes, alii quod a Iove raptam natam Asopo nuntiavisset, alii demum quod Mortem pugna victam catenis onerasset, vel quod postquam remeandi in terras facultatem impe-

levari; aliquando Ixionis miseri rotam sufflaminandam. Non placuit ulli ex veteranis missionem dari, ne vel Claudius unquam simile speraret. Placuit novam poenam excogitari debere; instituendum illi laborem irritum, et alicuius cupiditatis species sine fine et effectu. Tum Aeacus iubet illum alea ludere pertuso fritillo. Et iam coeperat fugientes semper tesseras quaerere, et nihil proficere.

XV. Nam quoties missurus erat resonante fritillo,
Vtraque subducto fugiebat tessera fundo:
Cumque recollectos auderet mittere talos,
Lusuro similis semper, semperque petenti,
Decepere fidem: refugit, digitosque per ipsos
Fallax assiduo dilabitur alea furto.
Sic quum iam summi tanguntur culmina montis,
Irrita Sisyphio volvuntur pondera collo.

Apparuit subito C. Caesar, et petere illum in servitutem coepit: producit testes, qui illum viderant ab

travisset a Plutone, dummodo paucos post dies reverteretur, non reversus est, sed tamdiu non permansit donec senio confectus diem supremum obiret.

Ixionis rotam sufflaminandam. *Sufflaminare* est *enrayer*; nam sufflamen impedimenti genus est quod rotae decurrenti additur. Iuven. Sat. VIII: *Ipse rotam stringit multo sufflamine Consul.* Stringenda ergo iam sufflamine multo rota Ixionis, quae, dum nimium volubilis vertitur, miserum enecatura est.

Veteranis. Hi sunt Tantalus, Sisyphus et Ixion, quibus *missionem* i. e. requiem laborum non dandam esse. *Missio* autem et *mitti* arenae et gladiatorii ludi verba esse constat, quibus veterani aut alii commeriti ludo et obligatione in arena depugnandi absolvebantur.

Species. Huet. probat Schefferi emendationem *speciem.* Codd. α. a. b. c. f. *spes* praestant, aie edit. rom. et omnes codd. Sed recte *species* emendat Curio, uti nunc legimus. *Spem*, *spes*, *spiritus*, *speciem*, compendio scribendi male intellecto, in codd. confundi docet Oberlinus bent. in praef. ad Tacit. Tom. I, p. XVI, ed. Lips. 1801.

Tum Aeacus.... fritillo. Aleae infamiam mature iam subiisse constat e Suetonio Claud. cap. 5, §. 3.

XV ARG. In poena versibus hisce describenda auctori Danaidum exemplum ob oculos versatum esse quilibet viderit.

C. Caesar. Scilicet imperator Caligula.

Illum.... flagris.... vapulantem. I. e. habitum ut servi solent. Aulae enim ludibrium sub C. Caligula et Tiberio

illo flagris, ferulis, colaphis vapulantem. Adiudicatur C. Caesari : illum Aeacus donat. Is Menandro liberto suo tradidit, ut a cognitionibus ei esset.

Claudius fuerat; ipse etiam, ait Suetonius, *Stultitiam simulatam a se ex industria sub Caio, quod aliter pervasurus perventurusque ad susceptam stationem non fuerit, quibusdam oratiunculis testatus est.* Claud. cap. 38.

Ferulis. Ferula ad caedendos pueros utebantur. Iuvenal. Sat. I init. *Et nos ergo manum ferulae subduximus.*

Colaphis. Γονδύλοις. Contumeliosissimum hoc poenae genus, pugnis servum incessendi et verberandi. Cf. Hemsterh. ad Lucian. I, p. 463 Bip. et ad Senec. de Const. Sap. IV, 4.

Adiudicatur. Aliter paulo vetus Iunii codex: *Adiudicatur; C. Caesar illum Aeaco donat.* At codd. paris. α. a. b. c.: *Abiudicatur C. Caesari illum Aeacus donat. Is*, etc. Editio tamen rom. vulgatum tenet: probat etiam Huet. in nott. mss.

Caio Caesari. Caligulae.

Menandro. De hoc Caligulae liberto, nemo praeter nostrum exposuit. Liberto servire cogitur, qui ad divinos honores aspiraverat.

A cognitionibus ei esset. A cognitionibus quispiam alteri esse dicitur, quo modo ab epistolis, aut a studiis: quibus muneribus sub Rom. principibus fungi solebant liberti. Sic enim Polybius a studiis, Narcissus ab epistolis, Pallas a Rationibus Claudio nostro fuere. Itaque irridens Seneca temeritatem et imperitiam Claudii in cognoscendo et iudicando, ait εἰρωνικῶς, illud traditum Menandro liberto Caii, ut scilicet homo prudens illi a cognitionibus esset. Addo etiam liberto potissimum traditum fuisse, quia libertis servire assuetus erat, quorum toto principatu non princeps, sed mancipium fuerat. *Lagrange* vertit hunc locum: *pour en faire un débrouilleur de procès.* — Pro *esset* dant libri vett. *abesset*. Unde procul dubio Caium notat, inquit Rhenanus, ut qui cognoscendi provinciam saepe libertis suis committeret, quo magis a curis liber altiori otio frueretur. Nec interpretamentum displicet Curioni. Sed lectio nostra verior et concinnior.

Digitized by Google

L. ANNAEI SENECAE

AD

AEBVTIVM LIBERALEM

DE BENEFICIIS

LIBRI VII.

DE BENEFICIIS

PRAEMONITIO

E PRAEFATIONE RVHKOPFIANA EXCERPTA.

Egregium esse hunc de Beneficiis librum quivis intelliget qui perlegerit, magis propter materiam et res quas tractat, quam propter formam. Nam quin cum pulvisculo quasi omnia, paucis forsan exceptis, converrerit Seneca, quae ad hunc locum de beneficiis spectant, aut spectare videntur, nemo accurate legendo exsequens in dubium vocaverit. Recte observat *Dionys. Diderotus*, hunc librum egregium neque in Neronis, neque in Aebutii Liberalis, sed in omnium hominum gratiam usumque esse compositum. Nec dubito, quin hunc librum respexerit Quintilianus in iudicio de Seneca celeberrimo (Institut. Orat. X, 1, 130 ed. Gesn.) quum diceret, multa probanda in eo, multa etiam admiranda inesse. Etsi ordinem et tractatum non omnino probaveris, tamen virtutes libri tantae sunt, ut ideo cum auctore litigare supersedeas; et Quintiliani iudicii altera parte, « velles eum suo ingenio dixisse, alieno iudicio, » abuti nolis. Accedit, quod tum senex, tum primus omnium, quantum scimus, singulari libro de hac re exposuit. Factum autem hoc esse putem biennio vitae postremo, inde ab a. V. 816, quo gratia Neronis excidisset (Tacit. Annal. XIV, 56). Namque nusquam Neronis non solum tanquam de hominibus bene meriti mentionem fecit, ubi tamen occasio suadere poterat, sed occulte adeo eum ut ingratum tangere videtur (III, 3, 3 not.), quod haud dubie non post illos octo annos, quibus gratia et potentia floruisse constat, fieri nequibat. Illo tamen biennio vitae

Digitized by Google

ultimo instituta prioris potentiae commutasse Senecam tradit Tacitus l. l., prohibuisse coetus salutantium, vitasse comitantes, rarum per urbem, quasi valitudine infensa aut sapientiae studiis attineretur. Quo quidem otio usum putaverim ad modum Ciceronis et virorum nostrae memoriae praestantium, e. c. Neckeri, ad libros utilissimos componendos. Nec cuiquam alii rei hoc otium insumsisse eum videmus, quam toti philosophiae pertractandae et expoliendae in usum et sui et futuri aevi. Inprimis autem ipse memorat Epist. VIII, 2, se non tantum ab hominibus, sed etiam a rebus, et primum a suis secessisse, ut posterorum negotium ageret, illisque aliqua quae possint prodesse, conscriberet: quae verba haud dubie (ut ibi monebimus) ad Moralium libros nunc deperditos respexerunt. Iam vero quum in iis componendis occuparetur, locum de Beneficiis, quem uberius, quam in illo opere forsan facere placuisset, singulari volumine pertractaret, antequam Epistolas composuisset, selegisse videri debet.

Primum quoque nostrum fuisse, qui huic loco de Beneficiis singulare volumen destinaret, cum e libri totius tenore, tum et inde apparet quod neminem scimus ex ulla philosophorum domo sibi singulari hanc materiam opere exsequendam sumsisse. Nam quae Chrysippi et Hecatonis volumina ipse laudat, ea vero quominus ita interpreteris, ut et ipse de beneficiis scripserint, impediunt cum veterum silentium, tum observatio satis manifesta, haec omnia quae noster laudat, e Chrysippi et Hecatonis de Officiis voluminibus, ubi huius loci propria sedes est, aliisque eorum operibus notis petita esse. Nec Romanorum quisquam memoratur, qui hac de re post Ciceronem, quem huius loci in Officiis mentionem fecisse notum est, exposuisset: quanquam transitus ad hanc materiam singulari libro explicandam eo facilior videri debuit, quum non defuissent, qui singulos ad philosophiam spectantes locos, a characteribus incipiendo, et sic progrediendo, Aristotelem, Theophrastum, Comicos recentioris Comoediae, Menandrum, Philemonem, Diphilum aliosque imitando, exponendos sumserint. Idcirco multi subinde libri compositi sunt a philosophis quibusvis, qui

Digitized by Google

de virtutibus, de nobilitate, de fama, de bona indole, etc., agerent: quos tamen omnes in deperditis esse, nec quidquam nisi titulos nobis innotuisse constat. Cf. Fabricii Biblioth. Graec. Vol. III ed. Harlesii. In his quoque numerantur Theophrasti et Cleanthis libri de Gratia (περὶ χάριτος) apud Diog. Laërt. V, 48. VII, 175; qui tamen quid continuerint, ne fragmento quidem unico ex iis, quod sciam, nobis servato, iuxta cum ignorantissimis ignoramus.

Quo certior itaque et manifestior sententia haec est, Senecam cum senem tum primum de beneficiis singulari libro exponendis auctorem in Antiquitate fuisse, hoc obscurior est quaestio de *Aebutio Liberali*, cui hos septem de beneficiis libros inscripserit: nam *Eburtium* aut *Eusebium* librariorum indoctorum aberrationes esse cuiquam patet. Prima eius mentio occurrit in Epist. XCI, 1, occasione narrationis de Lugduni interitu: ex quo loco fuisse Lugdunensem recte colligimus. Locus est hicce: Liberalis noster nunc tristis est, nuntiato incendio, quo Lugdunensis colonia exusta est. Movere hic casus quemlibet posset, nedum hominem patriae suae amantissimum. Cf. Epist. laud. § 3, 13. Amicus itaque hic homo praestantissimus fuit et Senecae amantissimus, idemque ditissimus. Hoc non solum ipsa illa libri inscriptio nos docet, quis enim librum talis argumenti viro ignobili aut improbo inscribat? sed ipsa *Liberalis* mentio honorificentissima, quae inprimis Lib. V, 1, 2 sqq. exstat, clarum manifestumque reddit. Iam vero etsi haec nobis scire sufficere videantur, tamen plura de viro tam egregio comperta habere avemus. Sed vel accuratissime quaerentem Antiquitatis monumenta nobis conservata prorsus destituunt. Plerisque autem Senecae amicis, praesertim iis quibus libros suos inscripsit, hoc accidit fatum triste, sed in tyrannide non mirum, ut et ipsi quasi in illam tristissimam ruinam, quo innocentissimus Philosophus a Nerone protrudebatur, velut sine nomine corpora, devoluti, ideoque omnia eorum vestigia ex historia istorum temporum penitus sublata sint. Caeterum gentem Aebutiorum non ignobilem fuisse iam e Cicerone compertum habemus, et Liberalis cognomen adeo Flaviorum et Salviorum fuisse, e Suetonii Vespas. c. 3 et 13 videre licet.

ARGVMENTVM

LIBRI PRIMI

Hos libros inter tractatus Philosophiae ultimos ab Seneca editos constat; quippe qui scripti omnino sunt sub Nerone, post Claudii mortem. Argumentum certum, quod fine libri primi contemtim admodum de Claudio, et futile eius iudicium traducit: non facturus unquam illo vivo. Libri boni sunt, sed mehercule in ordine et tractatu confusi: quem vix est vel annitentem expedire: tamen ut possumus.

Primus liber exordium habet et querelam de Ingratitudine, quae crebra est, et inter vitia tamen magna. Ideo de Beneficiis se scripturum, Quae vis eorum, et proprietas sit? Haec usque ad cap. V. Tum definit, Beneficium non in materie, sed animo tribuentis esse; et ab eo pendendum. Diducit per exempla, et argumenta, usque ad cap. XI. Ibi duo membra dicendorum proponit, Quae beneficia danda, et Quemadmodum? Prius exsequitur ad finem libri: alterum differt in sequentem.

Digitized by Google

L. ANNAEI SENECAE

AD

AEBVTIVM LIBERALEM

DE BENEFICIIS

LIBER PRIMVS.

I. Inter multos ac varios errores temere viventium inconsulteque, nihil propemodum indignius, optime Liberalis, dixerim, quam quod beneficia nec dare scimus, nec accipere. Sequitur enim, ut male collata

I. Anc. Introitus pertinet ad cap. V: ubi quum exposuisset de mala beneficiorum collocatione usuque pravo, ad tractationem de beneficiis transit. In hoc vero capite peculiariter de ingrati animi duabus causis agitur, nempe temeritate in collocandis beneficiis, et inamabilibus moris quibus beneficii pretium imminui videtur.

Temere... inconsulteque. Qui a proficientibus, quid, quod a sapientibus, secundum dogma Stoicum, multum absunt, iisque opponuntur imperiti, stulti.

Indignius ex uno palat. cod. apud Gruterum cum Gronovio retinui: aliis, Grutero notante, vel omnino omittentibus, vel alio *peius*, at alterius manu adpictum orae exhibente. Erasmus *nocentius*, Rudolph. Agricola *turpius*, invexerunt, e coniectura. Quae quidem vacillatio indicare videtur, viris doctis hanc comparationem deberi, ut qui putarent, voculas *nihil propemodum* carere non posse tali adiecto, et proinde vel *indignius*, vel *turpius*, vel *nocentius*, vel *faedius* infulcirent, parum scilicet solliciti auctorem an librarium in ordinem cogerent, ideoque legum criticarum haud memores.

Liberalis. Aebutius Liberalis, vir illustri loco natus (nam Aebutia gens etiam vigente Republica inclaruit), et ditissimus. De eo Confer. Seneca ipse, epist. CXI, capp. 1 et 3, §. 13; et praefat. hui. libri (pag. 285).

Male collata. Intempestive et temere et apud quos non decebat, quod nempe beneficiis datis, non memores futuri sint.

Digitized by Google

male debeantur, de quibus non redditis, sèro querimur: ista enim perierant, quum darentur. Nec mirum est inter plurima maximaque vitia nullum esse
2 frequentius, quam ingrati animi. Id evenire ex pluribus causis video: prima, quod non eligimus dignos, quibus tribuamus; sed nomina facturi, diligenter in patrimonium et vasa debitoris inquirimus. Semina in solum effoetum et sterile non spargimus: beneficia sine ullo delectu magis proiicimus, quam damus.
3 Nec facile dixerim, utrum turpius sit, infitiari, an repetere beneficium; id enim genus huius crediti est, ex quo tantum recipiendum sit, quantum ultro refertur: de quo queri vere foedissimum ob hoc ipsum, quia non opus est ad liberandam fidem facultatibus,

Male debeantur. Illa male debentur quae debitor solvere non potest aut non vult. Gallice dicitur similiter *mauvaise créance.*

Prima. I. e. praecipua. Sic III, 5, 1 plenius: *Prima omnium ac potissima.* Vtilitatis aut fructus percipiendi causa dari beneficia quammaxime reprehendit: quo spectat etiam illud.

Nomina facturi. Debitores comparaturi, a quibus beneficium tanquam creditum repetatur. Creditorem autem *nomina facere* i. e. debitoris nomen et quod ei creditum est, in tabellas s. kalendarium referri solitum fuisse, ideoque pro debitore nomen simpliciter usurpari constat. Fuisse tamen quoque in usu de debitore, docet locus Ciceronis de Offic. III, 14, 7. ubi cf. Heusinger et Ernesti Clav. Cic. s. v. *nomen.*

Vasa. Quae nos mobilia, *les meubles*, τὰ σκεύη vocemus. Lipsius comparat locutiones publicas, *vasa conclamare*, *colligere* de militibus castra relinquentibus, et *vasarium*, pecuniam ex aerario magistratibus in provinciam euntibus dari solitam, qua ornentur, ad comparanda vasa. Cf. Ernesti Clav. Cic. h. v. delectu dignorum iis hominum.

Ex quo tantum recipiendum sit, quantum ultro refertur. H. e. ex quo id solum recuperari potest quod tibi libens et sponte sua, nullo cogente, iubente, amicus reddet.

De quo queri vere. Ita exhibent codd. mss. Grut., et nexus sententiarum postulat. R. Agricola vero ex ingenio dedit, *decoquere revera*, sequacibus Erasmo vetustioris Ms. fide adiuto, qui tamen in tertia editione *de quo queri revera* restituit, et Mureto, qui Stephano adstipulante *decoquere vero* praetulit. Interdum criticos istius aetatis vocabula rarioris significationis sectari videmus, vel sensu loci abnuente. Non enim h. l. de ingrato sermo est, qui fidem aut nolit, aut non possit liberare, sed de eo, qui beneficium repetat, nec animo debentis grato acquiescat.

Facultatibus. Bonis, opibus, divitiis. Tullius, Offic. lib. II, cap. 15:

sed animo; reddit enim beneficium, qui libenter debet. Sed quum sit in ipsis crimen, qui ne confessione quidem grati sunt, in nobis quoque est. Multos experimur ingratos, plures facimus: quia alias graves exprobratores exactoresque sumus: alias leves, et quos paulo post muneris sui poeniteat; alias queruli, et minima momenta calumniantes. Ita gratiam omnem corrumpimus: non tantum postquam dedimus beneficia, sed dum damus. Quis enim nostrum contentus fuit, aut leviter rogari, aut semel? quis non, quum aliquid a se peti suspicatus est, frontem adduxit, vultum avertit, occupationes simulavit, longis sermonibus, et de industria non invenientibus exitum, occasionem petendi abstulit, et variis artibus prope-

Effectumque est ut dando et accipiendo et permutandis facultatibus et commodis, nulla re egeremus. Vid. et Offic. lib. I, cap. 9, et pro Rabir. 14.

Reddit.... debet. I. ille pro grato habendus est atque beneficium reddente, qui beneficium se accepisse libenter profitetur, adeoque animo grato est: de quo, tamquam beneficia *facultatibus*, seu opibus qualibuscumque non reddente, queri, reprehensione dignissimum est. Lips. laudat Ciceronis illa: *Gratiam et qui refert habet, et qui habet in eo ipso quod habet, refert.* Verba haec auctoris anonymi occurrunt in Cicer. Orat. pro Cn. Plancio c. 28. cf. Ei. de Offic. II, 20 ubi vid. Heusinger.

Exprobratores exact. sumus. Gravissime et exprobramus et exigimus. *Exigere* autem *beneficium* est rationem collati beneficii exigere, et gratiam statim referri velle.

Leves. Qui iniuriis suis beneficia ante collata destruunt, quum illa non contulisse mox velint.

Momenta. Occasionum aut temporum, quibus videantur potuisse reddere. Lips. *Momentum* vero aliquando apud Latinos pro Gallic. voce *moment* sumitur; nam a *movendo* derivatur quasi *movimentum*, prius dictum, mox per σύγκοψιν, in *momentum* declinasset; et articulum hunc fugientium temporum brevem designat quo se tempus quasi movet. Cic. ad Famil. l. VI, ep. x: *Omnia momenta observabimus, neque ullum praetermittemus tui iuvandi.* Idem Academic. lib. V, cap. 26: *Minimis momentis maximae inclinationes temporum fiunt.* Caeterum hic per *occasion* optime reddetur.

Frontem adduxit. Rugosam effecit, i. e. morosus tristisve fuit. Frontem autem esse tristitiae hilaritatisque sedem pleraeque linguae indicant: ut supercilium, ὀφρὺς, superbiae assignant, e. c. mox §. 6. (Vid. seq. pag. not. 2.)

Artibus petentes elusit praestat Vincentius Bellovacensis in Speculo Historiali IX, 106: sed vulgata, *pro-*

rantes necessitates elusit? In angusto vero comprehensus, aut distulit, id est, timide negavit, aut promisit; sed difficulter, sed subductis superciliis, sed malignis et vix exeuntibus verbis? Nemo autem libenter debet, quod non accepit, sed expressit. Gratus esse adversus eum quisquam potest, qui beneficium aut superbe abiecit, aut iratus impegit, aut fatigatus, ut molestia careret, dedit? Errat, si quis sperat responsurum sibi, quem dilatione lassavit,
7 exspectatione torsit. Eodem animo beneficium debetur, quo datur: et ideo non est negligenter dandum: sibi enim quisque debet, quod a nesciente accepit; nec tarde quidem: quia, quum in omni officio magni aestimetur dantis voluntas, qui tarde fecit, diu no-

perantes necessitates elusit bene habet. — *Elusit*. Fefellit auxilium in malis urgentibus sperantes, subduxit sese iis. Caeterum quod ad sensum spectat, laudat Lipsius Epigrammata Martialis duo, quae extant II, 44: *Durum est, Sexte, negare, quum rogaris: Quanto durius, antequam rogeris!* et VI, 207, In Phoebum: *Inquiris, dubitas, cunctaris, meque diebus Teque decem cruciας: iam rogo, Phoebe, nega.* Potuisset et his illud iungere quod eiusd. libr. VI trigesim. est, ad, vel in Paetum: *Sex sestertia si statim dedisses, Quum dixit mihi, Sume, tolle, dono, Deberem tibi, Paete, pro ducentis; At nunc quum dederis diu moratus Post septem puto vel novem kalendas, vis dicam tibi veriora veris? Sex sestertia, Paete, perdidisti.* His accinit P. Syrus: *Bis est gratum, quod opus est, ultro si offeras. Beneficium inopi bis dat, qui dat celeriter.* Alciat. Embl. CLXII de Gratiis: *Addita cur pedibus nuper talaria? bis dat, Qui cito dat; minimi gratia tarda preti est.* Vide proverb. apud Graecos: Χάρις γὰρ βραδὺς ἄχαρις, quod sic in Anthолog. versum est: Ὡκείαι χάριτες γλυκερώτεραι· ἢν δὲ βραδύνῃ, Πᾶσα χάρις πενιὴ, μηδὲ λέγοιτο χάρις. Sed haec hactenus: similium Martialis aliorumque praeberi posset haud parva seges, quibus tamen brevitas notarum non patet.

Subductis superciliis, etc. Supercilium pro superbia cuius est sedes; quod verbo tantum moneam, quum vel Lexica satis doceant.

Malignis... verbis. I. parcis et tarde provenientibus verbis, e more superborum. Moneo, ne putes esse verba addicentis et recusantis.

Abiecit. Sic script. omnes. Mallet Lipsius *obiecit*. Quid vero opus, quum optima sit vetus lectio et merito probata Grutero? Gronovius usum huius verbi exemplis nunc satis notis adstruit. Erasmus aliique *iniecit*. Cf. c. II, 1 etc.

Responsurum. Gratias acturum.

A nesciente. Et huc ferri potest et

luit; utique non contumeliose: nam quum ita natura 8
comparatum sit, ut altius iniuriae quam merita descendant, et illa cito defluant, has tenax memoria custodiat: quid exspectat qui offendit, dum obligat? Satis adversus illum gratus est, qui beneficio eius ignoscit. Non est autem quod tardiores faciat ad bene merendum turba ingratorum. Nam primum, ut dixi, 9
nos illam augemus: deinde ne deos quidem immortales ab hac tam effusa necessitate sacrilegi negligentesque eorum deterrent. Vtuntur natura sua, et cuncta, interque illa ipsos munerum suorum malos interpretes, iuvant. Hos sequamur duces, quantum humana imbecillitas patitur: demus beneficia, non foeneremus. Dignus est decipi, qui de recipiendo co- 10
gitavit, quum daret. At si male cessit, et liberi, et

illud: *a negligente:* utrumque, quod fere idem valet, occupant codd. mss. Erasmus iuveneral quoque *a nolente.*

Vtique. Praesertim.

Nam quum... custodiat. Antiqua et ea vera est observatio haec, quam exemplis adstruere putidum sit. Tacit. Hist. IV, 3 explicat: quia gratia oneri, ultio in quaestu habetur: similiter fere exposit Dio Cass. 44, 34. Iniuriae autem acriter pungunt animum, quia virtutis s. bonorum, quibus iactat, partem saltem adimunt, ideoque altius descendunt plerumque, quam *merita*, quibus se indignum haud facile quisquam iudicat. Diverso proinde modo amor sui se iudicat.

Satis... ignoscit. Nempe contumelioso illi, et quod odium magis quam gratiam merentur.

Non est autem quod, etc. Egregium hanc sententiam, quam Christo acceptam referimus ap. Matth. V, 45 et Luc. VI, 35 et Paulo Act. Apost. 14, 15, 16, nec Stoicis aliisque philosophis antiquis ignoratam aliquoties repetit noster, III, 25; VII, 31. Haec cum aliis non minus praeclaris sententiis in causa fuit, quod Seneca pro Christiano haberetur.

Effusa necessitate. Omnium codd. mss. lectio est, quam non intellectam R. Agricola mutavit *liberalitate*, Muret. *benignitate*. Defendit vulgatam et exposuit Gronov. Obss. II, 2; p. 174 ed. lips. — Haec necessitas est prolixa illa et necessaria atque insita ipsis diis mens, universae mortalitati providendi. Sic noster VII, 31, deos dicit unam potentiam sortitos, prodesse. V, 9 ait: *beneficium res voluntaria est: ut prodesse sibi necessarium est.* Consol. ad Helv. 6: *lex et naturae necessitas.*

Mal. interpr. I. sacrilegos, impios. Qui Deorum dona vel in deterius interpretantur vel malo vertunt.

At si male cessit, et liberi, etc. Sequor mss. Erasmus tamen et reliquae edd. *At male cessit. Et liberi et con-*

coniuges spem fefellerunt: tamen et educamus, et ducimus, adeoque adversus experimenta pertinaces sumus, ut bella victi, et naufragi maria repetamus.
11 Quanto magis permanere in dandis beneficiis decet? quae si quis non dat quia non recipit, dedit ut reciperet, bonamque ingratorum facit causam, quibus turpe est non reddere, si licet. Quam multi indigni luce sunt? et tamen dies oritur. Quam multi, quod nati sunt, queruntur, tamen natura sobolem novam gignit, ipsosque qui non fuisse mallent, esse patitur. Hoc et magni animi et boni proprium est, non fructum beneficiorum sequi, sed ipsa; et post malos
12 quoque bonum quaerere. Quid magnifici erat multis prodesse, si nemo deciperet? nunc est virtus, dare beneficia, non utique reditura, quorum a viro egregio statim fructus perceptus est. Adeo quidem ista res fugare nos, et pigriores ad rem pulcherrimam facere non debet, ut si spes mihi praecidatur gratum hominem reperiendi, malim non recipere beneficia, quam non dare, quia qui non dat, vitium ingrati an-

iuges, etc. Τὸ *Ac* mss. sensui non aptum in *At* mutandum censui, mss. aliquot ap. Grut. addicentibus.

At si male cessit... sumus. Etsi mala interdum experientia utamur, ea tamen deterreri nos non patimur ab officiis nostris exsequendis, naturam sequentes, et illud: Non si male nunc, et olim Sic erit (Hor. II, od. xi), nobiscum reputantes.

Et naufragi maria repetamus. Horat. lib. I, Od. i: *Luctantem Icariis fluctibus Africum Mercator metuens, otium et oppidi Laudat rura sui; mox reficit rates Quassas indocilis pauperiem pati.*

Quibus turpe est non reddere, si licet. Optimorum codd. ap. Pincian. et Grut. haec est lectio. Nec recedit Erasmus. Muretus tamen e vetere, ut ait, codice invexit: *quibus ita demum turpe est non reddere si et licet.* Facile autem apparet voculas: *ita demum est* esse emblema insititium.

Non fuisse. H. e. nunquam fuisse, Οὐ πεφυκέναι. Iob. cap. 2: *Pereat dies in quo natus sum, et nox in qua mater dixit: Homo conceptus est!*

Quorum a viro egregio. Qui beneficia dedit.

Statim. Scil. in dando.

Quam non dare. Animose. Sed et Epicuri illius, etsi omnia utilitate metientis, hoc scitum est: *non solum honestius, sed iucundius esse, beneficia dare, quam recipere.* Plutarch. in

Digitized by Google

tecedit. Dicam quod sentio: qui beneficium non reddit, magis peccat; qui non dat, citius.

II. Beneficia in vulgus quum largiri instituëris,
Perdenda sunt multa, ut semel ponas bene.

In priore versu utrumque reprehendas; nam nec in vulgus effundenda sunt; et nullius rei, minime beneficiorum, honesta largitio est; quibus si detraxeris iudicium, desinunt esse beneficia: in aliud quodlibet incidunt nomen. Sequens sensus mirificus est, qui uno bene posito beneficio multorum amissorum damna solatur. Vide, oro te, ne hoc et verius sit, et magni- 2
tudini bene facientis aptius, ut illum hortemur ad

libello, cum Principe esse philosophandum. *Lips.* Exstat hic locus in Plut. Opp. Vol. XII, p. 86 ed. Hutten. et Epicuri fuisse hanc sententiam docuit Brucker Hist. crit. Phil. Tom. I, p. 1314 e Gassendio. Verba graeca apponam: τοῦ εὖ πάσχειν τὸ εὖ ποιεῖν οὐ μόνον κάλλιον, ἀλλα καί ἥδιον εἶναι φησί (Επίκουρος).

Qui beneficium non reddit, magis peccat; qui non dat, citius. Egregius codex Naz. sic exhibet, quae cum Lipsio et Grouovio tuear, ut sententiae maxime quoque apta. Pinc. in suis codd. et Grut. in tribus Palat. invenerunt: *qui beneficium non reddit magis peccat, quam qui non dat:* in quibus Senecam non agnoscam acumen libenter sectantem. Multae sane librariorum variationes mutationesve acuminis huius inscitia exortae sunt. Muretus praetulit, quod mireris, et in vocula *Citius* latere putavit auctorem senariorum sequentium, legendumque, non improbante Grutero, *Attius:* contra Senecae morem, nomina auctorum versuum quos apposuit addere vulgo non nimis diligentis.

II. Aac. Duos versiculos excutiens ex Iambographo incerto (Vid. not. infer.), docet minime timendum ne non redeant beneficia; ita enim haec collocanda ut saepe non rependantur, ut interdum rependantur. Tum hortatur ut multos pro virili parte adiuvemus, occasione data.

Beneficia.... ponas bene. Muretus hos versus *Attio* s. *Accio* celeberrimo Tragico Romano (qui obiit anu. urb. cond. 615, ant. Christ. nat. 139) nescio qua re motus attribuit. Maiore forte iure e mimis P. Syri, quibus Seneca idemtidem utitur, eos desumptos esse statueris: saltem occurrunt in iis quaedam huc spectantia et aliqua iam supra citavimus. Vid. pag. 316, not. t.

Reprehendas. Omnium codicum et editionum haec est lectio, praeter Bipontinam quae vitiose *deprehendas* scribit.

Largitio. De frumenti, olei, etc. distributionibus, populo romano nullo discrimine factis, ideoque de prodigalitate in usu vox fuit. Hoc quidem sensu capias: quae nullo iudicio vero adhibito fit, atque ideo non honesta est.

danda, etiamsi nullum bene positurus est. Illud enim falsum est, « Perdenda sunt multa. » Nullum perit : quia qui perdit, computaverat. Beneficiorum simplex ratio est ; tantum erogatur : si redit aliquid, lucrum est : si non redit, damnum non est. Ego illud dedi, ut darem ; nemo beneficia in kalendario scribit, nec, 3 avarus exactor, ad horam et diem appellat. Nunquam illa vir bonus cogitat, nisi admonitus a reddente : alioquin in formam crediti transeunt. Turpis foeneratio est, beneficium expensum ferre. Qualiscumque priorum eventus est, persevera in alios conferre ; melius apud ingratos iacebunt, quos aut pudor, aut

Nullum perit : quia qui perdit, computaverat. Omnium fere codd. et eorum optimorum est, inprimis Naz. cui cum Gron. plurimum tribuo. Pro aberrationibus librariorum habeam : *Nullum perdit, qui perdi non computaverat :* ut adeo emendationibus supersedere facile possimus.

Simplex ratio est. Ratio idem est quod computatio, et satis vox *computaverat* quod paulo supra occurrit indicabat. Porro facilem ac obviam beneficiorum computationem esse vel ex hoc iam patet quod des, non accipias, neque accepturum te unquam confidas.

Tantum erogatur. Nempe in illis, in beneficiis dispensandis. Aliae rationes duplices sunt, accepti nempe et expensi: at dantis beneficium ratio simplex est, non comparat, non subducit, non computat : tantum erogat, i. e. bona distribuit. Denique ratio beneficiorum constat, si bene erogatur.

Si redit... si non redit. Hanc Erasmi emendationem in textum recipere debui, probante Grutero, quamquam codd. mss. omnes *si reddet... si non reddet* praestant. Hoc enim durius iusto et contra Senecae consuetudinem est. Sic II, 31, 3 est : nihil de *reditu* cogitare.

In kalendario. Kalendarium fuisse librum foenebrem, in quo usurae per kalendas perscriberentur, notum est. Kalendis autem usurae exigebantur apud Romanos, ut in Graecia, tristi ἔνῃ καὶ νέᾳ, et hod. apud nos vel prima die incipientis mensis vel desinentis ultima. Martial. lib. VIII, epigr. XLIV, de Kalendario innuit : *Centum explicentur paginae Kalendarum.*

Nec avarus exactor. Post *nec* infulcit unus cod. ms. Colon. *ut* avarus exactor etc. male: est enim appositio. Monuit Muretus Var. Lect. XII, 1 : qui ibidem, quum edd. antiquiores Erasmi al. legant: *nec avarus exactor ad horam et diem* creditorem *appellat, debitorem* legendum esse censuit. Sed quum omnes codd. mss. omittant hanc vocem, expungendam iussi, Grut. Lipsio et Gronovio praeeuntibus

Beneficium expensum ferre. Quae dedisti, aut dare te simulasti inter expensa ferre.

Melius..... iacebunt. H. e. melior

occasio, aut imitatio aliquando gratos poterit efficere. Ne cessaveris: opus tuum perage, et partes boni viri exsequere. Alium re, alium fide, alium gratia, alium consilio, alium praeceptis salubribus adiuva.

III. Officia etiam ferae sentiunt: nec ullum tam immansuetum animal est, quod non cura mitiget, et in amorem sui vertat. Leonum ora a magistris impune tractantur: elephantorum feritatem usque in servile obsequium demeretur cibus. Adeo etiam quae extra intellectum atque aestimationem beneficii sunt posita, assiduitas tamen meriti pertinacis evincit. Ingratus

spes erit gratiam aliquando relatum iri. *Iacet* debitum quod dicto tempore solvi nullo modo potest; *male iacet*, si nunquam solvendum: *bene*, si solvendum.

Imitatio. Bona est lectio: aberrationes *invitatio*, etc.

Alium re.....adiuva. Apposite laudat Lipsius Platonis beneficii partiendi modum e Diogene Laërt. III, 95. Beneficentia quadrifariam dividitur: aut enim pecuniis, aut corporibus, aut disciplinis, aut verbis beneficium praestari, etc.

III. Anc. Pergit suadendo ut beneficia duplicentur, continuentur; ita enim cogendum hominem, ut grati animi det signa. Tum materia relicta, ad Gratias transilit, et mythologici inventi rationem docte et subtiliter enarrat: quamquam satis fuse.

Leonum ora..... tractantur. Circumferri ferae omnes solebant. Martial. Spect. Ep. XVII: *Lambere securi dextram consueta magistratis Tigris, ab Hyrcano gloria rara iugo, Saeva ferum rabido laceravit dente leonem.* Idem Spect. ep. IX: *Laeserat ingrato leo perfidus ore magistrum, Ausus tam notas contemerare manus.* Cf. et lib. I, epigr. CV. In Corippo praeclara quaedam de mansuetariis, hisce id nomen erat, feris: *Non secus Hyrcanae, quoties spectacula, tigres, Dat populis nova Roma suis, doctore magistro, Non solito terrore fremunt, sed margine toto Intrantes, plenum populorum millia circum Suspiciunt, magnoque metu mitescere discunt; Deponunt rabiem, gaudent fera vincla subire, Per medios intrare locos, ipsumque superbae Quod spectentur, amant. Caveam turbamque faventis Lustrant, et pronae solium regnantis adorant.*

Elephantorum..... demeretur cibus. Nam capti fame domantur, et offerentem deinde cibum amant audiuntque. Et *regem adorant, genua submittunt, coronas porrigunt.* Plin. lib. VIII, cap. 5. Cf. Aelian. Hist. Animal. lib. II, cap. 11; lib. XIII, cap. 22; Q. Curt. lib. VIII, cap. ult.; ipse Nost. epist. LXXXV. Martial. Spectac. lib. X, epigr. XVI: *Quod pius et supplex elephas te, Caesar, adorat.* Plinium, Aelianum vide. Addas nunc celeberrim. *Buffon* aliosque rerum naturalium descriptores, si tanti esse videatur.

est adversus unum beneficium? adversus alterum non erit; duorum oblitus est? tertium etiam eorum quae
2 exciderunt, memoriam reducet. Is perdit beneficia, qui cito se perdidisse credit. At qui instat, et onerat priora sequentibus, etiam ex duro et immemori pectore gratiam extundit. Non audebit adversus multa oculos attollere; quocumque se convertit, memoriam suam fugiens, ibi te videat: beneficiis tuis illum cinge.
3 Quorum quae vis, quaeve proprietas sit, dicam, si prius illa, quae ad rem non pertinent, transilire mihi permiseris, quare tres Gratiae, et quare sorores

Beneficia. Omnes codd. Mss. praestant, nec omitti potest. Gruterus quoque probavit. Erasmus aliique omiserant. Vincentius l. l., habet *Disperdidit beneficia.*

Is perdit... credit. In hanc et vicinas sententias Plin. Epp. III, 4: *Est ita natura comparatum, ut antiquiora beneficia subvertas, nisi illa posterioribus cumules. Nam quamlibet saepe obligati, si quid unum neges, hoc solum meminerunt, quod negatum est.* Publius mimographus callide: *Beneficium saepe dare, docere est reddere.*

Permiseris, quare. Sic Gronovius in Rottendorfii codice invenit, nullo vulgatae lectionis *permiseris. Num vel nunc dicam* ibi vestigio exstante. Optime. Sunt enim, quod egregie monuit Gronovius, quae mox transilit et transcurrit, ex iis, quae ad rem non pertinent, etc. Monuit haec Gronov. ad VII, 30.

Quare tres Gratiae, et quare. Quae hic de *Gratiis* exponuntur, e schola *Zenonis* profecta esse, et mentio *Hecatonis Chrysippique* abunde docet, et studio allegoriae in mythis explicandis Stoae proprio probatur, Hesiodum Theogon. 907 sq. in nominibus Charitum edendis sequutae. Nam Homerus ab eo diversa tradiderat. Proprie Olympo decorando et ornando destinatae a poëtis, ibique munere eodem, quo Nymphae in Oceano, functae, ad ea omnia sensim traductae sunt, quae pulchritudinem gratiamque creant, ideoque ad beneficiorum praesidium. Cf. doctam de *Gratiis* commentationem l. C. F. *Mansonis*, repetitam in libro bonae frugis pleno: *Versuch über einige Gegenstande aus der Mythologie der Griechen und Romer*, Lipsiae, ap. Dyck. 1794 8. Nr. IV. Annaeum autem Cornutum, quem olim Phurnutum Viri docti appellavere, c. XV περὶ τῶν Χαρίτων, comparanti manifestum erit, ex eodem eum fonte hausisse, ut Stoicum, unde Seneca sua deprompsit. Vide Cornutum in Thom. Galei Opusc. mythol. p. 161 sq. Amstelod. 1688. 8. Caeterum facile perspicies Gratias hic ut et Χαρίτας peculiari nec eo usitato sensu sumi. Neque enim quum Gratias poëtae inducunt Veneris comites, de beneficiis collatis, acceptis, redditis sermo est. Sed credendum est ab Annaeano sensu, qui prior fuit, vocem usu in hunc alium

sint, et quare manibus implexis, quare ridentes, iuvenes, et virgines, solutaque ac pellucida veste. Alii quidem videri volunt unam esse, quae det beneficium: alteram, quae accipiat: tertiam, quae reddat. Alii tria beneficiorum genera, promerentium, reddentium, simul et accipientium reddentiumque. Sed 4
utrumlibet ex istis iudicaverim, quid ista nos iuvat scientia? Quid ille consertis manibus in se redeuntium chorus? Ob hoc, quia ordo beneficii per manus transeuntis nihilominus ad dantem revertitur, et totius speciem perdit, si usquam interruptus est: pulcherrimus, si cohaesit, et vices servat. Ideo ridentes: 5
est aliqua tamen maioris dignatio, sicut promerentium. Vultus hilares sunt, quales solent esse qui dant,

a poëtis usurpatum deflexisse, et tunc pulchritudinis Deae illas adiunctas ut comites et socias. Quod autem ait Seneca tres eas fuisse, non omnes in hoc consentiunt; nam et Athenienses, et Lacedaemonii duas tantum Gratias esse existimaverunt, quas hi Cletam et Phaennan, illi Auxo et Hegemonen nominabant, et quibusdam Graeciae populis quatuor fuerunt. Sed trium Gratiarum opinio magis valuit, ut et Parcarum trium, trium Furiarum, etc.

Ideo ridentes: est aliqua tamen maioris dignatio, sicut promerentium, etc. Ex codd. Mss. optimis ap. Grut. et Gron. restitui. Plurimi enim habent: *servat. Ideoque est aliqua tamen maioris dignatio, sicut promerentium vultus.* In primo palat. *Ideo ridentes quia promerentium vultus hil. sunt, et qui dant et qui accipiunt beneficia.* Tò *ridentes* haud abesse potest: quare *ridentes* sint, dicturus erat, quod participium non poterat, non repetere, sicut et mox tò *iuvenes* et *virgines* reposuit. Post *promerentium* punctum maximum posui suadente Rubenio apud Gron. Ita non necesse est, ut verba: *quales solent esse, qui..... beneficia*, auctore Gronovio expungantur. Gronovius diversa et ea haud spernenda, ut erat vir elegantissimi iudicii, crisi usus est, cui tamen adstipulari non possum. Nam verba: *ideo ridentes* pro interpretatione manifesta habens, scribendum putat: *pulcherrimus si cohaesit et vices servat. Ideo est aliqua amoenioris dignatio, sicut promerentium vultus hilari sunt. Iuvenes*, etc. Vulgata lectio erat: *servavit. Ideo ridentes: quia promerentium vultus hilari sunt, quales solent*, etc. — *Ideo ridentes: est aliqua tamen maioris dignatio, sicut promerentium.* Cum Rubenio ap. Gronov. ad h. l. de Aglaia natu maxima exponо, quae promerentes refert, et maior dignationem aliquam prae sororibus obtinet.

Digitized by Google

vel accipiunt beneficia. Iuvenes: quia non debet beneficiorum memoria senescere. Virgines: quia incorrupta sunt, et sincera, et omnibus sancta, in quibus nihil esse alligati decet, nec adscripti; solutis itaque tunicis utuntur: pellucidis autem, quia beneficia conspici volunt. Sit aliquis usque eo Graecis emancipatus, ut haec dicat necessaria: nemo tamen erit, qui etiam illud ad rem iudicet pertinere, quae nomina illis Hesiodus imposuerit. Aglaian maximam natu appellavit, mediam Euphrosynen, tertiam Thalian. Horum nominum interpretationem, et prout cuique visum est, deflectit, et ad rationem aliquam conatur perducere: quum Hesiodus puellis suis, quod voluit, nomen imposuerit. Itaque Homerus uni mutavit, Pasithean

Quia incorrupta.... sancta... I. e. qui omnes a quacumque corporis animique labe atque macula liberae nihil habent in se vinculi cuiuslibet. Voces *in quibus* non separandae sunt, sed iungendae cum voce *omnibus*, scilicet virginibus his. Lipsius ad *vestes* referre maluit, quia *beneficia conspici volunt*. Huetus margini editionis qua utebatur, adscripserat: nempe qui accipiunt, non qui dant. At spectant haec utique ad virgines, quae volunt ut beneficia magni aestimentur.

Adscripti. Sic omnes fere codd. Mss. et edd. sensus est obligati, adeoque formulis concepti, coacti. Erasmi editio tertia habet *astricti*, quod etiam praetulit Mitscherlich ad Horat. Carm. I, 30, 6. Doctius tamen est illud, quod cum Gron. tuemur. De *adscriptus* pro obligatus, mancipatus, vid. de Ira III, 20, de Benef. VII, 7.

Vt haec dicet necessgria. I. e. has explicationes allegoricas ad rem nostram necessario pertinere.

Interpretationem. Sc. allegoricam.

Deflectit. Supple quisque.

Quum... quod voluit, etc. Sequitur in his Seneca opinionem iam Herodoto II, 53, ut verisimile fit, probatam, Homerum et Hesiodum ποιῆσαι θεογονίην Ἕλλησι καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντας etc. Sed locus iste Herodoti Criticis recentioribus dissentiendi de sensu verborum istorum ansam praebuit, aliis quippe Hesiodum versibus tantum theogoniam, quam conditam invenisset, expressisse, aliis condidisse contendentibus. Cf. Volfii Prolegom. ad Homer. p. LIV.

Itaque Homerus uni mutavit. Nempe uni Gratiae mutavit nomen Il. lib. XIV, vs. 267. Morpheo, seu Somno uxorem dedit eam Iuno. Eustach. ad Hom. lib. I, de gratia, qua somnus ap. omnes homines floret cogitat. Sequitur Homerum Statius, et Nostras V. Cl. *de Châteaubriand*, imitatus est in elegantissimi operis *Les Martyrs*, lib. XVII init. Seneca putasse videtur, mythologiae unum systema inter Graecos semper obti-

appellavit, et in matrimonium produxit, ut scias illas Vestales non esse. Inveniam alium poëtam, apud quem praecingantur et spissis auro Phrygianis prodeant. Ergo et Mercurius una stat: non quia beneficia ratio commendat vel oratio, sed quia pictori ita visum est. Chrysippus quoque, penes quem subtile illud acu- 8

nuisse, quum tamen verisimillimum sit, vel ex hac Gratiarum historia fabulari, et systemata haec non eadem ubique nec semper fuisse, et pluribus locis diversisque nominibus parentibusque floruisse cultasque esse Gratias. Caeterum poëtis libertatem in iis diis, qui solemni religione non essent sacrati, varie tractandis, esse concessam, nemo infitias iverit.

Alium poëtam. Quis *alius* ille *poëta* sit, ignoramus.

Apud quem praecingantur. Atqui omnes fere Gratias dicunt sine cingulis fuisse. Horat. Carm. lib. I, Od. xxx, vs. 5 et 6: *Solutis Gratiae zonis.*

Spissis auro Phrygianis. Sc. vestibus, quas Virgil. Aen. III, 483 *picturatas auri subtemine*, XI, 775 (ubi cf. Heyne V. S.), *sinus crispantes*, et Horat. IV Carm. 9, 14 *aurum vestibus illitum* appellat. Haec stamini subtemen aureum, fila aurea intexendi, bracteas aureas ac lamellas inserendi staminibus cum subtemine ratio in Phrygia inventa est: unde opus phrygionium et textores phrygiones. Simplicitatem itaque poëta ille reliquerat onerans Gratiam vestibus tam pretiosis barbarisque. Turnebus tamen, Lipsio aliisque assentientibus, quum diversam lectionem *phryxianis* (et apud Plin. Nat. Hist. VIII, 48 obviam) praetulisset, de villosa veste, *la frise*, ideoque de crassa interpretari maluit: praeiverat iam Erasmus ex parte.

Mercurius una stat. Horat. carmin. lib. I, Od. xxx: *Fervidus tecum puer et solutis Gratiae zonis properentque Nymphae Et parum comis sine te Iuventas Mercuriusque.*

Ratio commendat vel oratio. Sic praestant omnes codd. Mss. et edd. ante Muretum, qui διττογραφίαν hic suspicans, pro lubitu suo scilicet, scribi iussit: *commendat oratio*, voculis *vel ratio* expunctis. Pincianus emendaverat *ratio commendat*, rejectis voculis *vel oratio*. v. Murcti Var. Lectt. XV, 16 (in Iani Gruteri Lampade crit. Vol. II, p. 1149). Gruterus cum Lipsio et Gron. Muretum sequuti sunt. Equidem nullam causam reperi, cur codd. relinquerem, quum et ratio et oratio Mercurio propriae sint. Cf. Horat. Carmin. I, 10.

Sed quia pictori... est. At is non e praeceptis Stoae Gratias ut beneficiorum deas allegorizantis, sed artis suae, quae inssit, ut deo deam iungeret eum commendantem, pinxisse videri debet. Spectant autem haec ad morem artificum antiquorum, deas allegoricas diis heroibusque significanter addendi, e. c. victoriolas, genios, gratias, nunc in vulgus notum. Gratias cum Mercurio consociasse veteres, ut eius orationi blandimenta pararent, monuit quoque Plutarch. de Auditione p. 146, c. 8, T. VII Opp. ed. *Hutten.*

Chrysippus. Quae noster hic ait de *Chrysippo* (qui mortuus est circa ann. 200 ante Christ.) confirmata re-

quid in censum detulerunt: proximus enim poëta suum illa ferre nomen iubet. Hoc ut scias ita esse, ecce Thalia, de qua quum maxime agitur, apud Hesiodum Charis est, apud Homerum Musa.

IV. Sed ne faciam, quod reprehendo, omnia ista, quae ita extra rem sunt, ut nec circa rem quidem sint, relinquam. Tu modo nos tuere, si quis mihi obiiciet, quod Chrysippum in ordinem coëgerim, magnum mehercule virum, sed tamen Graecum, cuius

a Gronovio de pecunia veteri IV, 1. p. 260 probatus. Antea apud Erasmum erat *aliquid*. Recte habent sequentia: *In censum det.* i. e. ut verum in medium attulerunt, servos *nomenclatores* dominis suis nomina civium suggerentes imitati.

Hoc ut... Hesiod. Theogon. 907.

Charis. Graecum Gratiae nomen.

Homerum Musa. Apud Homerum non occurrit, sed ap. Hesiod. Theog. 77, si modo Hesiodi sunt versus, Musa huius nominis: sed Il. σ, 39 Nereis: nec novisse poterat Thaliam Musam, quippe quae Comoediae praeesse dicebatur, quod tamen, egregie observante C. Heynio (Opusc. acad. Tom. II, p. 310) ante Olymp. LIV et LXI factum non est. Vno tantum loco ap. Homer. Odyss. ω, 60 novenarius Musarum numerus occurrit, qui Heynii memoriam Obss. ad Il., α princip. fugit, etsi laudaverat eum Opusc. acad. l. l.

IV. Aso. Excusat se quod Chrysippum nimis vehementer forte agitaverit de Gratiis disserentem; et, quum beneficia explicare debuisset quomodo conferenda, referenda, circa mythologicas tricas acumen et tempus disperdentem.

Quod Chrysippum in ordinem coëgerim. l. castigaverim. Apud Livium, Senecam, Plinium Iuniorem aliosque obvia haec loquendi formula est, a militia haud dubie ducta.

Sed tamen Graecum. Ciceronis iam tempore macula levitatis Graecis adhaesit et ineptiarum: cf. Cic. de Orat. II, 4. Nec Iuvenalis meliorem de iis sententiam aevi sui expressisse putandus est, quum Graeciam mendacem Sat. X, 174 appellat, ut caetera satis nota omittam. Ipse adeo Polybius VI, 56, 13 sq. levitatem Graecorum damnat cum Romanis comparatorum. *Chrysippum* autem interdum caruisse gravitate philosopho utique dignissima, et nimiam habuisse argutandi cupiditatem hinc patet. Abreptus eo fuisse videtur et polygraphia Diog. Laërt. VII, 182 memorata, et studio poëtarum, quorum sententiis verbisque opera sua opplevisse insimulabatur ab adversariis: cf. Valcken. Diatribe p. 28, 29. Nec istam facetiam, a nostro §. 4 allatam, aliunde quam a poëta quodam in librum suum transtulisse videtur, quem scimus ab eius adversario Apollodoro incusatum tantopere compilasse aliorum scrinia ut, si tollantur aliena, vacua illi charta relinquatur. Cf. Diog. Laërt. l. l. Sed ne simus iniquiores iusto in hunc heroem Stoae, impediunt laudes testium locupletium, Ciceronis aliorumque, qui prudentibus cum scriptis suis

Digitized by Google

acumen nimis tenue retunditur, et in se saepe replicatur: etiam quum agere aliquid videtur, pungit, non
2 perforat. Hoc vero quod acumen est? De beneficiis dicendum est, et ordinanda res, quae maxime societatem humanam alligat: danda lex vitae, ne sub specie benignitatis inconsulta facilitas placeat; ne liberalitatem, quam nec deesse oportet, nec superfluere,
3 haec ipsa observatio restringat, dum temperat: docendi sunt libenter accipere, libenter reddere, et magnum ipsis certamen proponere, eos quibus obligati sunt, re animoque non tantum aequare, sed vincere: quia, qui referre gratiam debet, nunquam consequitur, nisi praecessit; hi docendi sunt nihil
4 imputare: illi plus debere. Ad hanc honestissimam contentionem, beneficiis beneficia vincendi, sic nos adhortatur Chrysippus, ut dicat verendum esse, ne quia Charites Iovis filiae sunt, parum se grate gerere sa-

porticum fulsisse memorant. Vide Diogen. Laërt. VII, 183 ibiq. Menag.

Etiam quum agere, etc. Huetus margini adscripserat: attente, studiose, data opera tractare.

Pungit, non perforat. Gallic. *Il effleure et ne pénètre pas.*

Hoc vero quod acumen est? H. e., quam miserabilis ingenii subtilitas.

Quibus obligati sunt. Quibus debent aliquid; quibuscum vinculum quoddam charitatis et referendae gratiae est. Cicer. ad Famil. lib. VI: *Dolabellam antea tantummodo diligebam; obligatus ei nihil eram..., nunc tanto sum devinctus eius beneficio, ut nemini plus debeam.* Idem Off. lib. I, cap. 58: *Patria et parentes cuius beneficiis obligati sumus.*

Re animoque. Duo h. l. distinguit, quae accuratissime secernenda sunt, nempe quid datum fuerit et quo animo. Magna enim aliquando prave et ingratiis donantur, ita ut parum grata accipientibus sint: parva tam libenter offeruntur, ut summopere placeant.

Nisi praecessit. H. e. nisi plus gratiae referat quam beneficii accepit.

Parum se grate gerere, sacrilegium sit. Ita codex Naz.: sicque Muretus Var. Lectt. XII, 1 quum in vett. libris invenisset *parum sacrate*, emendavit: *p. se grate g.* Erasmus in priore editione dederat: *Putemus certe parvum in genere sacrilegium*: sed postea inveniens in codice mss. *Putemus parum sacrate gerere sacrilegium et tam*, etc. placuit sibi in hac divinatione: *ut putemus contra patrem gerere sacril., si...* Itaque a docta marginali nota nos liberat cod. Naz.

crilegium sit, et tam bellis puellis fiat iniuria. Tu me 5
aliquid eorum doce, per quae beneficentior, gratiorque adversus bene merentes fiam, per quae obligantium, obligatorumque animi certent, ut qui praestiterint, obliviscantur; pertinax sit memoria debentium. Istae vero ineptiae poëtis relinquantur, quibus aures oblectare propositum est, et dulcem fabulam nectere. At qui ingenia sanare, et fidem in rebus humanis re- 6
tinere, memoriam officiorum ingerere animis volunt, serio loquantur, et magnis viribus agant: nisi forte existimas, levi ac fabuloso sermone, et anilibus argumentis, prohiberi posse rem perniciosissimam, beneficiorum novas tabulas.

V. Sed quemadmodum supervacua transcurram, ita exponam necesse est, hoc primum nobis esse discendum, quid accepto beneficio debeamus. Debere enim dicit se alius pecuniam quam accepit, alius consulatum, alius sacerdotium, alius provinciam. Ista autem sunt meritorum signa, non merita. Non potest beneficium manu tangi; res animo geritur. Multum 2

Tu.... doce. Huetus adscripserat: Chrysippum alloquitur.

Obliviscantur. Vetus monitum, et quod Chiloni (uni e septem sapientibus) tribuitur; eius nomine Ausonius (p. 149 bip.) ita versibus comprehendit: *Tu bene si quid facias, non meminisse fas est: Quae benefacta accipias, perpetuo memento.*

Beneficiorum novas tabulas. Iam inde a Solone notae sunt hae novae tabulae, quae veteribus debitis vel prorsus vel ex parte expunctis, in Antiquitatis Rebuspubl. in novum ordinem redigendis fieri interdum solebant. Hinc pro oblivione h. l. usurpatur. Cf. Ernesti Clav. Cic. s. v. *Tabula*, Sall. bel. Cat. c. 21.

V. Ang. Vsque ad caput XI disserit de eo, quod accepto beneficio debeamus, et quid beneficium sit. In hoc vero capite peculiariter de hoc disseritur, quod ad mentem dantis beneficium referendum sit, et quod haec res animo geratur. Quod esse vero, vel ex hoc patet quod beneficium, etiam re quae beneficii materia est ablata, perstet ac maneat. Tum comparatio ex civica et militaribus donis.

Res animo geritur. Egregie Gronov. sic legendum suasit, codice Naz. dante, *manu tangiles animo g.* Ex illo corrupto *les*, ait G., vulgatae edd. et alii libri *sed* fecerunt, quum debuissent *res.* Vlcus addit ulceri

interest inter materiam beneficii, et beneficium; itaque nec aurum, nec argentum, nec quidquam eorum quae a proximis accipiuntur, beneficium est, sed ipsa tribuentis voluntas; imperiti autem id, quod oculis incurrit, et quod traditur possideturque, solum notant: contra, illud quod in re carum atque pretiosum est,
3 parvi pendunt. Haec quae tenemus, quae adspicimus, in quibus cupiditas nostra haeret, caduca sunt; auferre ea nobis et fortuna, et iniuria potest: beneficium vero, etiam amisso eo quod datum est, durat. Est
4 enim recte factum, quod irritum nulla vis efficit. Amicum a piratis redemi: hunc alius hostis excepit, et in carcerem condidit; non beneficium, sed usum beneficii mei sustulit. Ex naufragio alicui raptos, vel ex

qui *solo animo cernitur* habet. — *Res animo geritur*. I. e. Gronovii verbis ut utar, in benefaciendo: vel tota res beneficii geritur animo. De mente voluntateque, qua beneficium datur, sermo est, non de materia, signo beneficii.

A proximis. Ita pal. tres. Codex autem Naz. *quae proximis*. In *proximis* omnes codd. Grut. conspirant. Modius Ep. 29 Novantiquarum lectt. (in Gruteri Lampad. Crit. Vol. V, p. 79) in membranis invenerat: *quae proxemis* i. e. ab amicis cognatisve, hi enim talia beneficia dare solent. Iam quum vocula *a* multis codd. desit, et *a proximis* s. *proximis* otiosum, quin sensu cassum videretur; Lipsius, Modius et Gruterus, adeoque ipse Gron. locum pro corruptum habuere. Modius *quae pro Xeniis*, Lipsius Gronoviusque *pro summis* praetulerunt divinando. Vtrumque, et vulgata et Lipsiana lectio, bene stare potest: ut sit sensus vulgatae: non id quod ab amicis cognatisve datur, beneficium est: huius vero, munera vel summa. Causa autem vulgatam deserendi nulla subest.

Est enim recte factum. Cicero de Offic. I, 3, 4 ed. Heusing. Perfectum, ait, officium rectum opinor, vocemus, quod Graeci κατόρθωμα vocant. Opponitur commune officium, τὸ καθῆκον μέσον, officium medium. Recte facta s. κατορθώματα a virtutibus ipsis proficiscuntur, ab iisque praescribuntur; quod aliter fieri putabant Stoici in officio medio. Recte facta sunt itaque virtutum functiones, ut sapere, iusta agere. (Κατορθώματα δ' εἶναι τὰ κατ' ἀρετὴν ἐνεργήματα, οἷον τὸ φρονεῖν, τὸ δικαιοπραγεῖν.) Haec et similia sunt sola in potestate nostra sita, τὰ ἐφ' ἡμῖν, quae nulla vis efficit irrita: de quibus egit Stobaeus Eccl. Eth. lib. II, cap. 8: coll. II, 7, p. 159 ed. Heeren.

Non beneficium, sed usum beneficii mei sustulit. Non impedit quin benefecerim; sed vetat ne ille meo beneficio utatur, fruatur, cui bene feci,

incendio liberos reddidi: hos vel morbus, vel aliqua fortuita iniuria eripuit: manet etiam sine illis, quod in illis datum est. Omnia itaque, quae falsum beneficii nomen usurpant, ministeria sunt, per quae se voluntas amica explicat. Hoc quoque in aliis rebus evenit, aliubi sit species rei, aliubi ipsa res. Imperator aliquem torquibus, murali, et civica donat: quid habet per se corona pretiosum? quid praetexta? quid fasces? quid tribunal et currus? nihil horum honor est, sed honoris insigne. Sic non est beneficium id, quod sub oculos venit, sed beneficii vestigium et nota.

VI. Quid est ergo beneficium? Benevola actio tribuens gaudium, capiensque tribuendo, in id quod facit prona, et sponte sua parata. Itaque non quid fiat, aut quid detur, refert, sed qua mente: quia beneficium non in eo quod fit aut datur. consistit, sed

Omnia itaque, etc. Illa, etsi pro beneficiis ipsis habentur, materia tantummodo eorum sunt, ideoque nomen beneficiorum mentiuntur. Sic saepe nubem pro Iunone amplectuntur imperiti, cerimonias, ritus cultumque pro ipsa colunt religione, et quod nos dicimus, formam pro re ipsa suspiciunt.

Murali suppl. *corona*, sicut et mox ante τὸ *civica*, quod frequenter apud omnes occurrit. Corona murali ii exornabantur qui primi in urbe expugnanda murum ascendissent. Liv. XXVI, 48.

Civica. E' fronde querna, unde quercus civilis ap. Virg. Aen. VI, 772, cum inscriptione, ob civem servatum: spectacula ineunti etiam ab Senatu assurgebatur, Plin. N. H. 21, 4. Vid. not. ad I, 26, 5 de Clementia.

Praetexta. I. e. limbo purpureo circumdata toga alba magistratuum superiorum insigne. Cf. Ernesti Clav. Cic. h. v.

Fasces. Signum summae potestatis. Nam consulibus solum et praetoribus dictatoribusque ius fuit fasces ante se praeferre. Claudian. III Consul. Honor. VII, 1: *Tertia Romulei sumant exordia fasces*; moxque: *Tentoria lictor Ambiat, et Latiae redeant ad signa secures.*

Currus. Triumphantium nempe.

VI. Aug. Definitur beneficium; et rursus, sed expresse magis, discrimen inter rem et animum profertur.

Benevola. Notanda haec vox in Annaeana definitione. Nam bene velle prius est quam bene facere, et qui benevolus agit, bene facit. Ac sane potuisset in his duobus vocabul. *benevola actio* subsistere. Nam quae sequuntur explicant potius quam definiunt, et e prioribus verbis sponte ac necessario defluunt.

2 in ipso dantis aut facientis animo. Magnum autem esse inter ista discrimen, vel ex hoc intelligas licet, quod beneficium utique bonum est: id autem quod fit, aut datur, nec bonum, nec malum est. Animus est, qui parva extollit, sordida illustrat, magna et in pretio habita dehonestat: ipsa, quae appetuntur, neutram naturam habent, nec boni, nec mali; refert, quo ille 3 rector impellat, a quo forma datur rebus. Non est ergo beneficium ipsum, quod numeratur, aut traditur; sicut nec in victimis quidem, licet opimae sint, auroque praefulgeant, deorum est honos; sed pia ac recta voluntate venerantium. Itaque boni etiam farre ac fitilla religiosi sunt; mali rursus non effugiunt im-

Quod beneficium utique bonum est. Stoice hoc capias. Bona autem sunt ea, quae in potestate nostra sunt, quae virtutes complectuntur, ideoque honesta, proba, decora sunt. Iam quum beneficium et accipienti et danti gaudium efficiat, ad finem pertinet, est enim actio ideoque ἀγαθὸν τελικόν. Cf. Stobaei Ecl. Ethic. II, 7 p. 90 sq. 100, 136, ubi tamen legendum est, Schneidero monente, e Luciani Schol. VII, p. 79 bip. τό, τε γὰρ τελικὸν ἀγαθὸν λέγεσθαι τέλος ἐν τῇ φιλοσυνθεσίᾳ.

Id autem.... malum est. Haec sunt τὰ ἀδιάφορα, indifferentia, si neutra, de quibus disserit Stob. II, 7, pag. 141 sq.

Quo ille rector impellat. Cum Grutero et Gronovio ex optimis codd. reposui. Antea: *quo illa rector animus* impellat. — *Quo ille rector impellat.* Rector ille est τὸ ἡγεμονικόν, animus κατ' ἐξοχήν, quod ait Porphyrius Io. Stob. Ecl. lib. I, c. 52, p. 836, ὡς ἂν ἄρχοντος χώραν ἔχειν ὑπετίθεντο, τὰ δὲ ἄλλα μέρη ἐν ὑπηρέτου τάξει ἀποδίδοσαν sc. Stoici οἱ ἀπὸ τῆς Στοᾶς.

Auroque praefulgeant. Nempe in cornibus et fronte: quod vel ex Homero Virgilioque notum est, e. c. Odyss. Γ, 382; Aen. IX, 626. Addas Plin. N. H. 33, 3: *Deorum honori in sacris nihil aliud excogitatum, quam ut auratis cornibus hostiae, maiores dumtaxat, immolarentur.*

Sed pia.... venerantium. Hinc Publ. Syrus v. 701: *purus deus non plenas adspicit manus.* Horat. Carm. lib. III, Od. XXIII, strophe ult.: *Immunis aram si tetigit manus, Non sumptuosa blandior hostia Mollibit aversos penates Farre pio et saliente mica.* Xenoph. cf. Απομνημ. A, ubi Θυσίας δὲ θεῶν μικρὰς, κ. τ. λ. Itidem Platon. Alcibiad. secund: Δεινὸν γὰρ εἴη εἰ πρὸς τὰ δῶρα καὶ τὰς θυσίας ἀποβλέπουσιν ἡμῶν οἱ θεοὶ, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὴν ψυχήν et mox: Οἱ δὲ, ἅτε ἀδωροδόκητοι ὄντες καταφρονοῦσιν ἁπάντων τούτων. Id fere in Euthyphrone asserit approbatque. Sed haec satis, et similia multa colligere, ut nota, nihil attinet.

Fitilla. Libri plerique praestant:

pietatem, quamvis aras sanguine multo cruentaverint.

VII. Si beneficia in rebus, non ipsa benefaciendi voluntate consisterent; eo maiora essent, quo maiora sunt, quae accipimus. Id autem falsum est; nonnunquam magis nos obligat, qui dedit parva magnifice: qui regum aequavit opes animo: qui exiguum tribuit, sed libenter: qui paupertatis suae oblitus est, dum meam respicit: qui non voluntatem tantum iuvandi habuit, sed cupiditatem: qui accipere se putavit beneficium, quum daret: qui dedit tanquam recepturus, recepit tanquam non dedisset: qui occasionem, qua prodesset, et occupavit et quaesivit. Contra ingrata 2
sunt, ut dixi, licet re ac specie magna videantur, quae danti aut extorquentur, aut excidunt, multoque gravius venit, quod facili, quam quod plena manu datur:

praeferunt Muretus Var. Lectt. XII, 1, Gruterus, Lipsius et Gronov. Est pultis genus. Erasmus habet *furre ac fictili*: quod equidem praeferrem, nisi scirem, difficilia in lectionis diiudicatione esse plerumque praeferenda, etsi Senecam obsoletas voces non frequentasse constat. Caeterum *Dei fictiles* occurrunt ap. Propert. IV, 1, 5: *Fictilibus crevere Dis haec aurea templa*; et fictilis Iupiter et Hercules a Tarq. Prisco facti memorantur Plinio XIV, 13; XXXV, 12, etc.

VII. Ano. Pergit in demonstrando non ex re data aut facta, sed dantis aut facientis animo, beneficium consistere. Et hoc argumento iam utitur, quod non eo maiora sint beneficia, quo maiora sunt quae accipimus.

Nonnunquam magis etc. Eamdem sententiam prompsit Aristot. de Moribus IV, 2 med., et quis Philosophus non? Exempla habes apud Ael. V. H. I, 31 et alia apud Plutarch. in Artaxerxe. Egregium exemplum est apud Evangel. Marc. XII, 41—44 et Lucam, XXI, 1—4, de vidua, quae omnia sua pauperibus dederat, etc.

Tanquam recepturus. Omnium codd. lectio est. Negativam tamen praestat Vincentius Bellovac. l. l. Erasmus quoque tenuit, et elegans est lectio. Sed qui dedit beneficia tanquam recepturus, libenti animo id facere solet: negativa itaque abesse recte potest. Egregie observat Gron., accipienda haec verba esse non ex more sapientis, sed ex more vulgi.

Occupavit. Praevenit, praevertit.

Excidunt. Est quod c. 1, 7 dixit, ut a nesciente accepit. *Lips.* — Similia habet Plutarch. de vitioso pudore c. 7; Vol. X, p. 171 Opp. Huttea.

Gravius. Ponderis magni esse videtur, h. e. maius, pretiosius, licet in se vile ac parvum.

Facili et *plena manu*. Facilis ea est manus, quae statim et comiter dat munuscula; plena haec quae multa et magna simul praebet.

exiguum est quod in me contulit, sed amplius non potuit. At hic quod dedit, magnum est: sed dubitavit, sed distulit, sed quum daret, gemuit, sed superbe dedit, sed circumtulit, et placere ei, cui praestabat, noluit; ambitioni dedit, non mihi.

VIII. Socrati quum multa multi pro suis quisque facultatibus offerrent, Aeschines pauper auditor, Nihil, inquit, dignum te, quod dare tibi possim, invenio, et hoc uno modo pauperem me esse sentio. Itaque dono tibi quod unum habeo, Me ipsum. Hoc munus rogo qualecumque est, boni consulas, cogitesque alios, quum multum tibi darent, plus sibi reliquisse.
2 Cui Socrates: Quidni tu, inquit, mihi magnum munus dederis, nisi forte parvo te aestimas? Habebo itaque curae, ut te meliorem tibi reddam quam accepi. Vicit Aeschines hoc munere Alcibiadis parem divitiis

Circumtulit. Ostentavit, ut in pompa. *Lips.*

VIII. Anc. Dicta approbat Aeschinis, qui quum pauperrimus esset, Socrati seipsum obtulit.

Socrati... etc. Vincent. Bellovac. in Speculo hist. IV, 93 memoriter e nostro haec sic attulit: *Socrati quum ceteri discipuli plura offerrent, Aeschines pauper se solum obtulit, dicens*, etc. — *Socrati*, etc. Idem narrat Diog. Laërt. Vit. Philos. lib. II, cap. 34: Αἰσχίνου δὲ εἰπόντος, Πένης εἰμί, καὶ ἄλλο μὲν οὐδὲν ἔχω, δίδωμί σοι ἐμαυτόν· Ἀρ' οὖν, εἶπεν, οὐκ αἰσθάνῃ τὰ μέγιστά μοι δεδούς.

Aeschines. Arcadia oriundus; unus ex iis qui magistri doctrinam fidelissime tenuerunt; Platonis et Xenophontis imitator plures Dialogos scripsit, quibus tituli hi fuerunt Alcibiades, Aspasia, Dracon, Erycia, Phaedon, Polyaenus, Talamnus. Axiochum quoque ei tribuunt, quod Platonis quidam esse volunt. Ceterum si plura scire voles de hoc *Aeschine*, cf. Bruhkeri Hist. crit. Philos. vol. I, p. 574, qui recte monet, Senecam haec ornasse, quandoquidem constet, ne ab *Alcibiade* quidem munera accepisse Socratem. Sed saepius iam vidimus, Senecam in iis quae ad historiam spectant, non satis cautum egisse criticum.

Et hoc uno modo. Paupertatem suam aequo animo tulerat: nunc quum Socratis disciplina uti se non posse putaret, nisi munus afferret, egestatem sensit. De eius paupertate multi sunt veteres, e. c. Diog. Laërt. l. l.

Alcibiadis. Viri huius celeberrimi ingenium, mores, militarem famam nemo non novit, qui antiquitatis non omnino ignarus est. Sed et sciendum clarissimis hunc natalibus ortum, et divitias pro tempore et patria propemodum immensas habuisse.

animum, et omnem iuvenum opulentorum munificentiam.

IX. Vides quomodo animus inveniat liberalitatis materiam, etiam inter angustias? Videtur mihi dixisse: Nihil egisti, fortuna, quod me pauperem esse voluisti: expediam nihilominus dignum huio viro munus: et quia de tuo non possum, de meo dabo. Neque est quod existimes, illum vilem sibi fuisse, qui pretium se sui fecit: ingeniosus adolescens invenit, quemadmodum Socratem sibi daret. .... Non quanti quaeque 2
sint, sed a quali dentur, perspiciendum. .... Callidus non difficilem aditum praebet immodica cupientibus: spesque improbas, nihil re adiuturus, verbis fovet. At peior, opinor, qui lingua asper, vultu gravis, cum invidia fortunam suam explicavit. .... Colunt enim, detestanturque felicem, et, si potuerint, eadem facturi odere facientem. .... Coniugibus alienis, nec clam 2

Quia de tuo non possum, de meo dabo. Ne obliviscaris, compellari h. l. Fortunam ab Aeschine vel Seneca; quod Ἀποστροφῆς genus Nostro in deliciis est. Quum igitur de *tuo* sit, divitias intelligit vel splendidam supellectilem, pretiosa vasa, splendidas vestes, etc. quae Fortunae sunt, non hominis.

Non quanti quaeque sint, etc. Rud. Agricola, notante Gratero, suspicabatur, multa hic in omnibus exemplaribus desiderari. Quae nimirum deinceps sequuntur ad finem usque capitis, nihil sunt praeterquam egregiae statuae lacera membra, aut verius frusta: quod et animadvertit Muretus. Quae autem mali huius origo fuerit, facile est intelligere. Quum enim Senecae opera iam vivo auctore multorum lectione et admiratione celebrata (cf. Quintil. Inst. Orat. X, 1, 126 sq. ed. Gesn.) post mortem, inprimis medio aevo, in scholis praelegi solerent (quod Io. Sarisberiensis, Vincentius Bellovacensis, Roger Baco aliique testantur); non mirandum est, quod eius operibus multa similia, dissimilia, etc., adderentur a lectoribus, magistris, discipulis, in textum haud ita multo post, ut saepe fit, librariis recepta quasi ipsius verba.

Callidus. Ante haec defectum odoror, et fuit de iis, qui donaturi, fallunt. 'Alter, inquit, benigne rerespondet, et dicit, non donat: alter ostendit opes, non communicat. Transiisse autem Seneca videtur ad abundantiam s. copiam ingratorum, et ideo ad vitia, quibus aevum suum scateret, comprimenda, quorum tamen maximum sit ingratus animus.

Coniugibus, etc. De his laciniis,

Digitized by Google

quidem, sed aperte ludibrio habitis, suas aliis permisere. Rusticus, inurbanus, ac mali moris, et inter matronas abominanda conditio est, si quis coniugem in sella prostare vetuit, et vulgo admissis inspectoribus vehi undique perspicuam. Si quis nulla se amica fecit insignem, nec alienae uxori annua praestat, hunc matronae humilem, et sordidae libidinis, et ancillariolum vocant. Inde decentissimum sponsaliorum genus, adulterium: et in consensu vidui caeli-

quae quomodo huc pertineant, dicere difficile est. Cf. quae supra n. 1. Desunt certe nonnulla, addita sunt alia, Senecae aliena. Sequitur autem excursio, sive παρέκβασις in aevi sui mores corruptos, sed cui recte observante Lipsio, alia occasio et caput fuit.

Neoclam quidem et mox *mali moris* omnes codd. mss. praebent, pro usitatiore; *malorum m.*: bene defendit Gron. contra eos, qui *rust. inhumanus ac malevolus*, aut *male morus* habent.

Inter... mat. ab. conditio i. e. quam matronae abominari debent, solent. *Conditio* est nostrum *sort, parti*. Exempla quaedam huius vocis attulit Gronov. Obss. I, 6, p. 48 ed. Lips. et Drakenboech. ad Liv. III, 45.

Si quis..... in sella, nempe gestatoria s. cathedra, qua matronae portabantur, succollabantur. Sella a duobus baiulis portata quum saepe sine velamentis esset, ab omni parte patebat, ita ut mulieres, quae hic de consilio indecore iacebant, quivis facile videret. Cf. post Lipsium in Elector. I. c. 19, Boettigeri Sabina p. 427 sq.

Prostare. Vox est solemnis de scortis meretricibusque, quae solebant pro foribus stare, ut transeuntes allicerent: unde vox *prostibulum* et *prostibulae*. Caeterum de omnibus mox dictum est quae venalia exponebantur. Horat. Epist. XX, Lib. I: *Vertumnum Ianumque, liber, spectare videris, scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus.*

Amica, ἑταίρα, meretrice. Ab antiqua igitur simplicitate morum tantopere defecerunt Romani, ut quod Horatii aetate probri loco esset, nunc honori duceretur: cf. Horat. Serm. 2.

Annua. Sic codd. optimi dant: alii *aemulum*.

Nec alienae... praestat. H. e. nisi annuo sumptu superbiam eius instruit et usum redimit. Cf. de Clementia, I, 15, 1.

Ancillariolum, ancillarum amoribus deditum. Martialis XII, 58: *Ancillariolum tua te vocat uxor, et ipsa Lectuariola est: estis, Alauda, pares*. Lips. Horatii (cf. Carm. II, 4) et Ovidii (Amor. II, 8, 9 sq.) exempla docent, turpitudinem ancillarum amore contrahi, publicam fuisse opinionem. Sed tempora mutantur.

Inde decentissimum. Probo cum Pinc. et Grutero: codd. Mss. vel *Indecentissimum* vel *inde certissimum*, vel *inde centesimum* exhibent.

Sponsaliorum, initium et gradus ad matrimonium et quasi *sponsalia* (contractus matrimonii) adulterium. *L.*

Vidui caelibatus. Mutuo utrinque

batus. nemo uxorem duxit, nisi qui abduxit. Iam rapta spargere, sparsa rapaci avaritia recolligere certant; nihil pensi habere, paupertatem alienam contemnere, suam quam ullum aliud vereri malum; pacem iniuriis perturbare, imbecilliores vi ac metu premere. Nam provincias spoliari, et nummarium tribunal, audita utrinque licitatione, alteri addici, non mirum: quando quae emeris vendere, gentium ius est.

X. Sed longius nos impetus evehit, provocante ma-

consensu et foedere solvunt coniugium diverteudo: tum liberi scilicet iunguntur.

Qui abduxit, palam ducit, quam a marito per adulterium clam abduxerat. *L.*

Iam rapta spargere, etc. Avaritiam cum profusione et luxu iunctam Sallustius iam locis notissimis descripserat, quem alii aevi sui turpitudinem explicantes sequuti sunt.

Iam rapta spargere, sparsa rapaci avaritia recolligere certant. Sic refinxit Lipsius ope cod. Naz. qui habet superpictum voci *agri*, alias legi *rapaci* vel *acri*, in caeteris cum Pinc. conspirat, qui habet: *sparsa erant agri av.* Planior codex fortasse exspectari debet.

Nihil pensi habere i. e. divina humanaque contemnere. Locus Sallustii a Lipsio citatus c. Catilin. c. 12 contendi meretur.

Quam ullum aliud vereri malum sc. magis. Sic cum Grutero auxilio membranarum, imprimis codicis Naz. reposui. Erasmus: *suam timere. Nullum aliud vereri malum non parcere iniuriis*, etc.

Pacem iniuriis perturbare, aut rapinis praesidum: et populos per se quietos in arma agere.

Nummarium tribunal. Intelligas cum Grutero de iudicibus, ideoque de iudiciis pecunia corruptis.

Audita utrinque licitatione. Postquam utrumque audiit vel magis vel minus pecuniae offerentem, et sententiae quae mox declarabitur pretium usque et usque agentem. Nam *liceri* est *pretium definire* aut *proferre.* Persius, Sat. v, vs. penult. et ultim.: *Continuo crassum ridet Vulfenius ingens Et centum Graecos curto centusse licetur.* Et *licitator* ille dicitur qui rei sub hasta positae pretium auget. Cic. ad Famil. lib. VII, epist. 11: *Nunc quando tuum pretium novi, licitatorem potius apponam quam illud minoris veneat.* Hinc iam quid licitatio sit patet. Idem nempe sonat cum auctione, hasta.

Alteri addici. Addicebantur res, post licitationes factas Cicer. pro Caecil. cap. 16: *Licetur Ebutius, deterrentur emptores multi, fundus addicitur Ebutio.*

X. Anc. Non credendum quod tam saepe decantaverunt poëtae, in deterius semper ire mores. Pravi et scelesti ab initio rerum humanarum homines exstitere, quamquam et pravitatis et scelerum variae formae fuere. Ergo non ira incalescendum,

Digitized by Google

teria. Itaque sic finiamus, ne in nostro saeculo culpa subsidat. Hoc maiores nostri questi sunt, hoc nos querimur; hoc posteri nostri querentur, eversos esse mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas et omne fas labi. At ista stant loco eodem, stabuntque, paululum duntaxat ultro aut citro mota, ut fluctus, quos aestus accedens longius extulit, recedens interiore litorum vestigio tenuit. Nunc in adulteria magis quam in alia peccabitur, abrumpetque fraenos pudicitia: nunc conviviorum vigebit furor,

si Beneficiis vicem aliquis non rependat. Quantulum id in delictorum humanorum summa!

Hoc maiores... sunt. Loca classica harum querelarum invenies a *Meinersio* libr. laud. diligenter collecta. Quorum haec praecipua sunt. Hor. Carm. lib. III, Od. VI: *Damnosa quid non imminuit dies? Aetas parentum peior avis tulit Nos nequiores, mox daturos Progeniem vitiosiorem.* Lucret. lib. II fin.: *Iamque adeo affecta est aetas; effortaque tellus Vix animalia parva creat, quae cuncta crearit Saecla, deditque ferarum ingentia corpora partu.* Arat. Phaenom. «Οὐκ» *χρυσείοις πατέρες γενεὴν ἐλίποντο Χειροτέρην, ὑμεῖς δὲ κακώτερα τεξεῖσθε.*» Cf. Arist. Phys. lib. IV: Διὸ ἀναγκὴ πάντα τὰ ἐν χρόνῳ ὄντα κ. τ. λ.»

Nequitiam. Nequitia propr. de libidine venerea et luxuria dicebatur Ciceronis aetate, sed postea omni morum innocentiae opponi solebat, atque doli, fraudis et malitiae nomen erat. Bene hoc observavit I. M. *Heusinger* in Obss. antibarbar. eiusdem Emendatt. adiectis (Gothae 1751, 8) p. 418 sq.

Et omne fas labi. E. cod. Naz., cui et alii codd. ap. Grut. respondent, cum Gronov. recepi. Antea Erasmus et alii: *et in omne fas labi.* Cogitat autem res divinas humanasque s. divina et humana iura, omne sanctum ac sacrum, quod mox ait profanari.

At recte habet: *aut*, quod Codd. afferunt, est solemnis aberratio. Nec verba statim sequentia §. 3 adversantur: *non exspectant uno loco vitia: sed mobilia et inter se dissidentia tumultuantur.* Gruterus tamen propter haec verba censebat, illud *aut* pro *haud* esse accipiendum, addens: verum nec ego hic ullam vocem. Vos Scaligeri, vos Fabri, vos Dousae, vos Lipsii, praeite quod censeam. Erasmus vulgatam tenuit.

Ista. Sc. vitia, nequitiam, etc. complectentia. Vitiositas, ait, nunquam deerit, sed diversas formas induet: quem v. c. vitium adulterii, viribus deficientibus, reliquerit, is edo bibaxque fiet, etc. Iam Aristoteles haec observaverat Ethic. IX, 4, med. Senec. Ep. XLVII fin. ait: Levis est malitia, saepe mutatur, non in melius, sed in aliud.

Nunc in adulteria, etc. Si quis Catilinae, Sullae, Iulii Caesaris, Luculli, Hortensii al. vitae rationem saltem e Meinersii libro laud. cognitam habuerit, is facillime veritatem

Digitized by Google

et foedissimum patrimoniorum exitium, culina: nunc cultus corporum nimius et formae cura, prae se ferens animi deformitatem: nunc in petulantiam et audaciam erumpet male dispensata libertas: nunc in crudelitatem privatam ac publicam ibitur, bellorumque civilium insaniam, qua omne sanctum ac sacrum profanetur. Habebitur aliquando ebrietati honor, et plurimum meri cepisse virtus erit. Non exspectant uno loco vitia: sed mobilia et inter se dissentientia tumultuantur, pellunt invicem, fuganturque. Caeterum idem semper de nobis pronuntiare debebimus, malos esse nos, malos fuisse, invitus adiiciam, et futuros esse. Erunt homicidae, tyranni, fures, adulteri, raptores, sacrilegi, proditores: infra ista omnia ingratus est, nisi quod omnia ista ab ingrato animo sunt, sine quo vix ullum magnum facinus accrevit. Hoc tu cave, tanquam maximum crimen, ne admittas: ignosce tanquam levissimo, si admissum est. Haec est enim iniuriae summa: Beneficium perdidisti. Salvum est tibi ex illo, quod est optimum: dedisti. Quemadmodum autem curandum, ut in eos potissimum beneficia conferamus, qui grate responsuri erunt: ita quaedam, etiamsi de illis male sperabitur, faciemus.

eorum quae Seneca hic et multis aliis locis attulit, perspiciet.

Caeterum.... futuros esse. Ea est Horatii Carm. III, 6, 46 querimonia: Aetas parentum, peior avis, tulit Nos nequiores, mox daturos Progeniem vitiosiorem. Antiquissima autem haec opinio est, iam apud Homer. Odyss. 2, 276 sq. obvia: luxu quippe aliisque vitiis, quae eum comitari solent, irruentibus. Cf. Ep. Senecae 97, 1 sq. Omne tempus, ibi ait, Clodios, non omne Catones fert. Menandri Comici verba eiusmodi habebis ap. Sen. Nat. Quaest. IV praef. a Clerico in collectione fragm. Menandri omissa.

Infra ista omnia ingratus est. Lipsius inter alia laudat Publii Syri versum hunccc, 786: *Dixeris maledicta cuncta, quum hominem ingratum dixeris.*

Ita quaedam. Lipsius de Ciceronis 1 de Off. 16, 7 et 8 praecepto pari cogitat: quidquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur vel ignoto. Ex quo sunt illa communia, non prohibere aqua profluente; pati

tribuemusque, non solum si iudicabimus ingratos fore, sed si sciemus fuisse; tanquam, si filios alicui restituere potero, magno periculo liberatos, sine ullo meo, non dubitabo. Dignum etiam impendio sanguinis mei tuebor, et in partem discriminis veniam: indignum, si eripere latronibus potero clamore sublato, salutarem vocem homini non pigebit emittere.

XI. Sequitur ut dicamus, quae beneficia danda sint, et quemadmodum. Primo demus necessaria, deinde utilia, deinde iucunda, utique mansura. Incipiendum est autem a necessariis; aliter enim ad animum pervenit, quod vitam continet: aliter, quod exornat, aut instruit. Potest in eo aliquis fastidiosus esse aestimator, quo facile cariturus est, de quo dicere licet: Recipe, non desidero: meo contentus sum. Interim non reddere tantum libet quod acceperis, sed abiicere. Ex his quae necessaria sunt, quaedam primum obtinent locum, sine quibus non possumus vivere; quaedam secundum, sine quibus non debemus; quae-

ab igne ignem capere, si quis velit; consilium fidele deliberanti dare: quae sunt iis utilia qui accipiunt, danti non molesta.

Magno periculo liber. Sc. per me.

Sine ullo meo pro sana lectione optim. codd. cum Grouov. habeo. Eras. et alii: *sine ullo meo incommodo.*

Tanquam... non dubitabo. Haec e margine esse in textum invecta putaverim: nam exemplum hoc non satis congruit orationis praecedentis nexui.

XI. Asc. Vsque ad finem libri quae beneficia danda sint, et quemadmodum, docet. Beneficia quae danda sunt, quadrifariam dispertit. 1, *necessaria*; 2, *utilia*; 3, *iucunda*; 4, *inprimis mansura.* (Similiter fere dividit Aristoteles Rhet. I, c. 5, 9, p. 68, vol. IV bip.) Hoc vero capite de primis tribus generibus sermo se habet.

Interim. Valet *interdum*; quod saepe notavimus.

Sine quibus non possumus vivere, V. g. cibus, aedicula, pecuniolae vis aliqua, etc.

Sine quibus non debemus. Fama, virtus, dum homini qui iamiam in eo est, ut delinquat, necessaria vitae impetraturus delicto, auxilium afferimus, et ne sceleris aetatem suam iam emancipet prohibemus. His Annaeus ipse mox adiungit meutem bonam, merito; et libertatem, non merito; ut mihi videtur. Nam quae lex vel in publicis tabulis scripta vel a natura cordi insita hominem iubet, si libertas non affuerit, mori?

Digitized by Google

dam tertium, sine quibus nolumus. Prima huius notae sunt, hostium manibus eripi, et tyrannicae irae, et proscriptioni, et aliis periculis, quae varia et incerta humanam vitam obsident. Quidquid horum di- 3
scusserimus, quo maius ac terribilius erit, hoc maiorem inibimus gratiam. Subit enim cogitatio, quantis sint liberati malis: et lenocinium est muneris, antecedens metus. Nec tamen ideo debemus tardius quemquam servare, quam possumus, ut muneri nostro timor imponat pondus. Proxima ab his sunt, sine 4
quibus possumus quidem vivere, sed ut mors potior sit: tanquam libertas, et pudicitia, et mens bona. Post haec habebimus coniunctione, ac sanguine, usuque, et consuetudine longa, cara: ut liberos, coniuges, penates, caeteraque, quae usque eo animus sibi applicuit, ut ab illis, quam a vita divelli gravius existimet. Subsequuntur utilia, quorum varia et lata 5
materia est. Hic erit pecunia non superfluens, sed ad sanum modum habendi parata: hic erit honor, et processus ad altiora tendentium: nec enim utilius quidquam est, quam sibi utilem fieri. Iam caetera

Sine quibus nolumus. Amici, parentes, nati, et quidquid plus vita diligimus.

Quidquid... discusserimus, repulerimus beneficiis nostris.

Subit enim, sc. eorum mentem qui beneficia acceperint *cog. quantis*, etc., et quo maior fuerit metus malorum, eo gratius est beneficium.

Imponat pondus. I. e. gravius auctiusque faciat.

Mens bona: Horat. Ep. I, 1, 59 sq.: *Rex eris, aiunt* (*Stoici*), *si recte facies. Hic murus aheneus esto, Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.*

Penates. Domus paterna.

Posthaec.... cara.... existimet. Haec sunt tertium genus sine quo vivere *nolumus.*

Hic erit. I. e. ad haec beneficia pertinet.

Nec enim...fieri. I. e. nullum beneficium utilius est, quam illud, quo nobismetipsis beneficia accipientibus commodo comparare possumus, quae tamen, quum sint utilia, utique bona et honesta esse oportet, secundum dogma stoicum perquam notum e Cic. de Off. libris.

Iam caetera beneficia, quae *iucunda* vocaverat.

Digitized by Google

ex abundanti veniunt, delicatos factura. In his sequemur, ut opportunitate grata sint, ut non vulgaria, quaeque aut pauci habuerint, aut pauci intra hanc aetatem, aut hoc modo; quae etiamsi natura pretiosa
6 non sunt, tempore aut loco fiant. Videamus quid oblatum maxime voluptati futurum sit, quid frequenter occursurum habenti; ut toties nobiscum, quoties cum illo sit. Vtique cavebimus, ne munera supervacua mittamus: ut feminae aut seni arma venatoria, aut rustico libros, aut studiis ac literis dedito retia. Aeque ex contrario circumspiciemus, ne, dum grata mittere volumus, suum cuique morbum exprobratura mittamus; sicut ebrioso vina, et valetudinario medicamenta. Maledictum enim incipit esse, non munus, in quo vitium accipientis agnoscitur.

XII. Si arbitrium dandi penes nos est, praecipue mansura quaeremus, ut quam minime mortale munus sit. Pauci enim sunt tam grati, ut quod acceperint, etiamsi non vident, cogitent. Ingratis quoque memoria cum ipso munere incurrit, ubi ante oculos est, et oblivisci sui non sinit, sed auctorem suum ingerit et inculcat. Eo quidem magis duratura quaeramus, quia nunquam admonere debemus: ipsae res evane-

6 *Ex abundanti*, abundanter; sic Seneca eiusque coaevi loqui solent: ex facili, ex toto, ex commodo, loco adverbiorum.

Sequemur. Sic Erasmus, antiquior quaeque editio et optimi codd. Mss. Alii *videamus*.

Opportunitate, καιρῷ, tempore commodo, circumstantia.

Aut pauci intra. Sic optimi codd. ap. Grut. et Gron. Alii addunt: *pauci habent*.

Vt toties nobiscum... sit. Acumen horum verborum facile est intelligere. Quoties ille nostro beneficio utatur, toties beneficium ad nos quasi revertitur, ideoque ille nostri memor erit.

XII. Aug. Quartam ad partem accedit, et illa praesertim beneficia commendat quae mansura sunt: toties accipientem nostri recordaturum quoties haec videbit: raro evanescente re, memoriam superstitem esse et manere gratiam. Tum de opportunitate dandi quam modo attigerat plura praecipit.

scentem memoriam excitent. Libentius donabo argen- 2
tum factum, quam signatum: libentius statuas, quam vestem, et quod usus brevis deterat. Apud paucos post rem manet gratia: plures sunt, apud quos non diutius in animo sunt donata, quam in usu. Ergo si fieri potest, consumi munus meum nolo: exstet, haereat amico meo, convivat. Nemo tam stultus est, ut monendus sit, ne cui gladiatores aut venationem iam munere edito mittat, et vestimenta aestiva bruma, hiberna solstitio. Sit in beneficio sensus communis: tempus, locum, personas observet: quia momentis quaedam grata et ingrata sunt. Quanto acceptius est, 3
si id damus, quod quis non habet, quam cuius copia abundat? quod diu quaerit, nec invenit, quam quod ubique visurus est? Munera non tam pretiosa, quam

Argentum factum in vasis et ornamentis: quod manet. At *signatum* in pecunia, quod nos dicimus *argent monnayé!* hoc citius dissipatur et abit. Facto argento opponitur infectum: porum et caelatum sunt species argenti facti.

Post rem manet gratia. Sic emendavit Pincianus e coniectura. Gruterus invenit quoque in cod. Naz. sed emendatum alterius manu. Et sine ullo dubio recipi debebat. Erasmus et omnes codd. praeter istum habent: *post remanet gratia.*

Venationem, ipsas feras venatu captas et venatui item (romanum illum dico) aptas, etc. Leones, elephantos et similes feras intelligit, qui secum invicem aut cum bestiariis pugnare debebant, nutriti in vivariis usque ad illum diem, quo spectaculum sive munus illud, cui venationis nomen erat, ad populum delectandum, edebatur. Cf. Plin. H. N. VIII, 7.

Munere edito. Munus imperatorum tempore accipiebatur pro omni ludorum genere qui populo a divitibus dabantur, sive Naumachia id esset, sive venatio, sive gladiatoria pugna; quamquam hoc saepius Martial. lib. IV, epigr. II: *Spectabat modo solus inter omnes Nigris munus Horatius lacernis.* Et alii sexcenties.

Sensus communis. Opponitur inepto animo (Cic. Orat. II, 4): qui sensu bono quidem praeditus est, sed ea nec iusto tempore locoque, nec hominum rationem habens, utitur, is *sensu communi* carere dicitur. Cf. Bentlei. ad Horat. Serm. I, 3, 66, qui et nostri loci memor fuit.

Momentis temporum rerumque.

Quanto acceptius est... copia abundat? Ad illud saepe Martialis tacite respicit, v. g. lib. IX, ep. XXVII: *Audet jucundo qui carmina mittere Nervae, Pallida donabit glaucina, Cosme, tibi; Paestano violas et cana ligustra colono Hyblaeis apibus Cor-*

rara et exquisita sint, quae etiam apud divitem sui locum faciant: sicut gregalia quoque poma, etiam post paucos dies itura in fastidium, delectant, si provenere maturius. Illa quoque non erunt sine honore, quae aut nemo illis alius dedit, aut nos nulli alii.

XIII. Alexandro Macedoni, quum victor Orientis animos supra humana tolleret, Corinthii per legatos gratulati sunt, et civitate illum sua donaverunt. Quum risisset Alexander hoc officii genus, unus ex legatis: Nulli, inquit, civitatem unquam dedimus alii, quam tibi et Herculi. Libens accepit delatum honorem, et legatos invitatione aliaque humanitate prosecutus, cogitavit, non qui sibi civitatem darent, sed cui dedissent. Et homo gloriae deditus, cuius nec naturam

sica mella dabit. Idem, lib. VII, ep. XXXVI: *Tam mala cur igitur dederim tibi carmina quaeris? Aloino nullum poma dedisse putas?* Proverb. quoque exstat fere tale: *In silvam ligna ferre, aquam in mare, ululas Athenas.*

XIII. Ano. Persequitur quae dicere incoepit, et haec saepe iucunda esse quae raro vel paucis contigerunt, Alexandri exemplo demonstrat, qui civitatem a Corinthiis oblatam ob hoc libentissime accepit, quod nulli nisi Herculi antehac data esset.

Alexandro Macedoni. Narrat haec quoque Plutarch. in libro de Monarchia, Democratia, et Oligarchia c. II, T. XII, p. 204 ed. Hutt. sed Megarensibus, sc. atticis, tribuit, quod Seneca de Corinthiis narrat. Illi tamen maior fides habenda esse videtur: Corinthi enim aut potius Ephyrae nulla fit mentio in Herculis rebus gestis, cuius, ut Alcmenae et Heraclidarum, monumenta Megarae, Pausania I, cap. 40 sq. memorante, exstabant. Ceterum Freinshem. in supplem. Curtii I, 14 fin. hoc factum esse fingit Thebis ab Alexandro M. eversis: gratulatum enim venisse, quod Graecorum quorumdam temeritatem et insolentiam castigasset, et iram eius mitigatum, quippe qui cum Atheniensibus sensissent. Senecam autem iusto iniquiorem fuisse in Alexandrum M. notum est. Vide. not. nostr. ad Epist. 91, 17.

Delatum honorem. «Sic omnis vetus lectio, excepta Naz., quae ad hanc tamen etiam faciem interpolata: prius vero habuisse videtur *accepit non dilutum honorem*, quod gustui meo merum mel, imo nectar.» *Gruterus.* Iure, addit Gron., intelligit non obsolefactum vulgando. Hinc Gron. in textum recepit, cui tamen adstipulari non possum. Ac primum quidem nemo dixerit, cur vulgata reiici debeat, et ipsa bonum sensum fundens et omnium codd. mss. anti-

Digitized by Google

nec modum noverat, Herculis Liberique vestigia sequens, ac ne ibi quidem resistens, ubi illa defecerant, ad socium honoris sui respexit a dantibus; tanquam caelum, quod mente vanissima complectebatur, teneret, quia Herculi aequabatur. Quid enim illi simile habebat vesanus adolescens, cui pro virtute erat felix temeritas? Hercules nihil sibi vicit: orbem terrarum 3
transivit, non concupiscendo, sed vindicando. Quid vinceret malorum hostis, bonorum vindex, terrarum marisque pacator? At hic a pueritia latro, gentiumque vastator, tam hostium pernicies, quam amicorum, qui summum bonum duceret, terrori esse cunctis

quarumque edd. et Vincentii Bellov. Spec. hist. V, 6 testimonio firmata: codex enim Nazarii non habuit, sed tantummodo habuisse *non dilutum honorem* videbatur Gruterō: deinde significatio participii *dilutus*, ut sit *obsolefactus vulgando*, nondum confirmata est. Sunae itaque critices leges tuentur vulgatam, respuunt editam a Gron. lectionem. Proinde reduxi veterem lectionem.

Herculis laus, quae hic habetur, Stoae propria esse videtur, cuius lineas primas ductus scimus iam a Prodico ap. Xenophont. Memor. Socr. II, 1, 21 sqq. Deinde et philosophi et rhetores Hercule tanquam exemplo praestantissimo usi sunt ad fortitudinem, iustitiam, moderationem et prudentiam praedicandam et commendandam. Cf. ad Senecae librum de Constantia sapientis, c. 2, 3 t. Si tamen, ut historicum decet, in rem inquiras, nihil nisi fictiones et pergulas pictorum esse, facile est reperire, quum Herculis vitam (circa 1380 ante Chr. Larchero ad Herodotum iudice) in tempora nullo fere cultu expolita, nullisque fere artibus bonis literisque florentia incidisse constet: ideoque nec *Fonten.* (*Mémoires de l'Académie des Inscript.* tom. VII, p. 51 sq.) nec alii cum Seneca sentientes audiendi sunt. Ceterum Alexandrum sibi proposuisse Herculem, Bacchum, quem Deum sui generis auctorem adgnovit, et Persae ad imitandum, et Plutarch. Tom. II, p. 332 ed. Francf. de Alexandri fortuna Orat. I extr. cum aliis retulit.

Illa defecerant cuncti agnoscunt codd. mss.; et edd. optimae notae consentiunt.

Orbem terrarum... vindicando. Quis non hic sublimem de Christo sententiam meminerit: *Pertransivit terram benefaciendo.* Quod fortasse non ignotum Senecae fuit, quippe qui cum D. Paulo versari et consuetudinem habere potuit. Vid. ad Paul. Ep.

Tam hostium pernicies, quam amicorum. Grut. animadvertit, rectum quidem verborum ordinem esse: *tam amicorum pernicies quam hostium*. At Senecae hunc ponendi morem familiarem esse docuit P. Faber lib. I, c. 23 Semestrium.

Digitized by Google

mortalibus, oblitus, non ferocissima tantum, sed ignavissima quoque animalia timeri, ob virus malúm.

XIV. Ad propositum nunc revertamur. Beneficium quod quibuslibet datur, nulli gratum est. Nemo se stabularii aut cauponis hospitem iudicat, nec convivam dantis epulum, ubi dici potest: Quid enim in me contulit? Nempe hoc quod in illum, et vix bene notum sibi, et in illum etiam mimicum ac turpissimum hominem. Numquid enim me dignum iudicavit? minime: morbo suo morem gessit. Quod voles gratum esse, rarum effice; quis patitur sibi imputari? Nemo

XIV. Arg. Non temere, non in omnes effundenda dona, atque, etiamsi multa simul effundantur, ita haec danda, ut nullus non aliquid sibi peculiare et proprium in hoc credat. Hinc enim pretium beneficio. Iudicium igitur in benefaciendo necessarium.

Stabularii, qui viantes ipsos atque animalia eorum excipit: ipse locus stabulum. Apuleii tempore parvi aestimati. Cf. Ei. Metam. p. 56. *Oudendorp.*

Cauponis. Caupo est κάπηλος, vinum et esculenta venui habens. Carmen Virgilio adscribi solitum, Copa ansam dedit viris doctis de cauponibus et tabernis cauponariis ambitiose exponendi, quos laudavit Wernsdorf. in Poët. Lat. min. Vol. II, p. 258. Contemptos autem esse caupones, et Hor. Serm. I, 1, 31 et Athen. XIII, p. 566 f. docent.

Mimicum. Ita mutavit Muretus, quum antea legeretur *inimicum*, atque eam coniecturam probat Stephanus Prood. lib. 2, c. 10, eodemque modo legi malle scripsit Lipsius Elector. 1, 10. Iam vero voculas hasce *inimicus* et *mimicus* a librariis confusas esse constat: nec hoc loco res dubia est, quin rectum sit iudicium, *mimicum* genuinam esse lectionem. Cui enim ignoratur mimica vilitas? Ipsum adeo adiectum, quocum iungitur, *turpissimus homo*, docet non de *inimico*, sed de *mimico* sermonem esse. — *Mimicum.* Mimos Romanorum fuisse dramata iuque scenam productos, ut verisimile fit, ad exemplum Graecorum, inprimis Doriensium, constat. Mores autem ridicule agebant actores, qui et *mimi* audiebant, non res gestas fabulis serendo, e vita hominum communi petitas, quas gesticulatione manuum motuque corporis exprimebant, ita tamen ut dicta et sententiae interponerentur. Argumenta itaque harum fabularum quum ridicula et obscoena essent, atque scurrilitate oblectarent, factum est, ut mimicum quoque ridiculum denotaret, et ut mimi homines nequam et voluptuosi haberentur. Bene itaque Seneca *cum turpissimo homine* coniunxit *mimicum*. Cf. Ast. de Plat. Phaedro p. 15 sq. et Eichstadii Epist. ad Astium p. 160 sq.

Morbo suo morem gessit, Lipsius immemor usus τοῦ *morbus*, alias ei

haec ita interpretetur, tanquam reducam liberalitatem, et fraenis arctioribus reprimam. Illa vero, in quantum libet, exeat: sed eat, non erret. Licet ita largiri, ut unusquisque, etiam si cum multis accepit, in populo se esse non putet; nemo non habeat aliquam familiarem notam, per quam speret se propius admissum. Dicat, Accepi idem quod ille, sed ultro. 3
Accepi quod ille, sed ego intra breve tempus, quum ille diu meruisset. Sunt qui idem habeant: sed non eisdem verbis datum, non eadem comitate tribuentis. Ille accepit, quum rogasset: ego, quum rogarem. Ille accepit: sed facile redditurus, sed cuius senectus et libera orbitas magna promittebat: mihi plus dedit,

notissimi, emendavit lectionem omnium codd. et edd. *moribus morem gessit*, ut allitterationem scilicet cuderet: perperam. — *Morbo*, i. vitio et inveterato affectui, ideoque et profusioni in *epulo* dando in Capitolio, vel in publico: vocem esse stoicam videbimus ad Epist. LXXV, IX, LXXIX, IV, et locus Cic. Tusc. III, 4 notus est. *Lagrange* vertit: *il n'a fait que suivre son goût pour le faste.*

Quis patitur sibi imputari? Sic omnes codd. et antiquae edd. Quum tamen sensus aliquid requirere videretur verbum, addidit de suo Rud. Agricola *communia*, alius quis *vulgaria*. Gruterus putat multa praecessisse has voces, omissa ab iis, quibus flores eligere curae fuisset. Lipsius non desiderare se tale quid professus est. Mihi quidem videntur illa; *quod voles gratum esse; rarum effice*, flosculi speciem ferre hic tamen locum non habentis, et e margine in textum illata esse. Quibus eliminatis sensus probus est, nec quidquam desiderari puto. *Lagrange*, de suo aliquid supplens, vertit: *On ne se croit pas redevable d'un service vulgaire.*

Admissum. Suppl. in familiaritatem et intimam amicitiam. Solemne hoc vocabulum *admitti* de amicis. Vnde facta haec loquendi formula: *Amici primae admissionis, amici secundae admissionis*, etc.

Sed ego intra breve tempus.... meruisset. Vnde plus aliquis sibi plaudit ac blanditur. Nam ut suave et iucundum superbo animo est multum meruisse, ita iucundissimum et suavissimum etiam ante promeritum amari, laudari, et beneficio affici.

Quum rogarem. Recepi auctore Grutero e codice Naz. cum duobus aliis quidem: *ego non rogarem* habente, sed cui haec verba superpicta erant: ut velint impetrasse ante totas preces: nam ultro datum quominus admittamus, recte iudicat Grut., faciunt praecedentia: *Accepi idem quod ille, sed ultro.* Antea: *quum rogarer*, quae quidem lectio nullis codd. mss. defenditur, etsi acute dictum contineat.

Tanquam... h. l. idem sonat cum *quasi*, et *ita* idem cum *eodem modo.*

Libera orbitas. Sic optimi libri et

Digitized by Google

quamvis idem dederit, qui sine spe recipiendi dedit. 4 Quemadmodum meretrix ita inter multos se dividit, ut nemo non aliquod signum familiaris animi ferat: ita qui beneficia sua amabilia vult esse, excogitet, quomodo et multi obligentur, et tamen singuli habeant aliquid, quo se caeteris praeferant. Ego vero beneficiis non obiiciam moras: quae quo plura maio- 5 raque fuerint, plus afferent laudis. Adsit tamen iudicium; neque enim cordi esse cuiquam possunt forte ac temere data. Quare si quis existimat nos, quum ista praecipimus, benignitatis fines introrsus referre, et illi minus laxum limitem aperire; ne perperam monitiones nostras exaudiat. Quam enim virtutem magis veneramur? cui magis stimulos addimus? quibusve tam convenit haec adhortatio, quam nobis, societatem humani generis sancientibus?

scripti et editi apud Grut. et Gron. qui cum Erasmo sentit, et lectioni: *liberorum orbitas* praefert, quippe ab iis profectae, qui vocem *libera* non intelligerent h. l.; Gruterus autem utramque vocem tam *libera* quam *liberorum* tanquam superfluam in rem malam abigit. — *Libera orbitas.* Liber est dissolutus, perditus, quam significationem bene probavit post alios Ruhnkenius in praef. ad Schelleri Lexicon Latino-batavum. Cicer. de Orat. II, 62 convivio liberorum, ubi liberorum, tanquam alienum, Ernestus delet, Schellerus mutat in Lupercorum. Ipse Cicero fragm. p. 1103, convocata de hortulis in auxilium, quasi *libera turba temulentorum.* Pro Coel. c. 18 libertas in adolescentia. Corn. Nepos in Themist. 3, etc. vide Gronov. Obss. III, 4, p. 352 lips. De heredipetis autem hic agi apparet: de quibus iam Plaut. in Mostell. III, 1 queritur: cf. Horat. Serm. II, 5; Epitect. Diss. IV, 1, 145 et Gataker ad Marc. Anton. VI, 59. Iam quo dissolutior orbarum vita esset, eo maior fuit heredipetarum spes, fore ut illi mox moriantur. Gronovius tamen cum Erasmo cepit locum de condendi testamenti libertate, quae parenti tam laxa non sit.

Quemadmodum meretrix, etc.) Laudat hic apposite Lipsius versus, quos Ennii esse putat, Festus vero v. *adnictat* Naevio in Tarentilla adscribit (cf. Thesaur. L. R. Stephano-Gesn. v. *Datatim*): Quasi in choro pila Ludens datatim dat se et communem facit. Alium tenet, alii adnictat, alibi manus Est occupata, ast alii pervellit pedem. Alii dat annulum spectandum; labris Alium invocat; cum alio cantat; attamen Alii dat digito literas.

Quam nobis Stoicis: nam Epicurei societatem divellebant, ad sua privatim commoda quidque referentes.

Digitized by Google

XV. Quid ergo est? Quum sit nulla honesta vis animi, etiamsi a recta voluntate incepit, nisi quam virtutem modus fecit, veto liberalitatem nepotari. Tunc iuvat accepisse beneficium, et supinis quidem manibus, ubi illud ratio ad dignos perducit: non quo libet casus et consilii indigens impetus differt: quod ostentare libet, et inscribere sibi. Beneficia tu vocas, quorum auctorem fateri pudet? At illa quanto 2
gratiora sunt, quantoque in partem interiorem animi nunquam exitura descendunt, quum delectant cogitantem magis, a quo, quam quid acceperis? Crispus Passienus solebat dicere, quorumdam se iudicium malle, quam beneficium: quorumdam beneficium malle, quam iudicium; et subiiciebat exempla: Malo, aiebat, divi Augusti iudicium: malo Claudii benefi-

XV. Arg. Quae superiorib. capitib. explicuit, breviter nunc repetit et iudicium in dandis muneribus maxime commendat; dantis enim iudicio accipientem nonnunquam summopere delectari. Tum concludit Crispi Passieni nobilis viri ingeniosum dictum adducendo, et vetando liberalitatem nepotari.

Quum sit nulla.... fecit. Quum virtus secundum Stoicos, animi sit habitus naturae modo atque rationi consentaneus (Cic. de Invent. II, 53); sequitur, nullam honestam animi vim, nullum honestum studium animi esse posse, nisi quod rationi conveniat, atque ita virtus fiat.

Nepotari. Sic Erasmus in posteriore editione cudi iussit e vestigiis vetusti codicis, quum in priore esset: *veto liberalitatem tecum potiri.* Invenit postea Gruterus in codd. Naz. et Colon., et iure probavit. — *Nepotari*, i. e. beneficium ei non dandum, qui illud nequiter profusurus sit. Huetus hic adscripserat margini: *auctore beneficii gloriari. Sequentia indicant. Perperam exponit Lipsius.* Sed festinanti haec excidisse videtur doctissimo praesuli. Temeritatem enim beneficii vetat Seneca.

Non quo libet.... differt. Sic codd. opt. Erasm. et al. *non quod quilibet.* Ad sensum, suppl. *quod* ante *non*, etc.

Quod ostentare.... sibi: quo beneficio accepto iactare possis et te dignum ferre. Lipsius cepit de dante beneficia; explicat enim illa, *inscribere sibi*, se auctorem profiteri: nexu tamen hanc expositionem repudiante.

Crispus Passienus, qui Neroni vitricus, Agrippinae alter maritus: amoeni ingenii orisque diserti. Vide Lips. ad Taciti Annal. XII, et cf. Sen. Nat. Quaest. IV praef. Plin. H. N. XVI, 44, post med.; Sueton. Ner. 6.

Claudii Imperatoris fatui qui multa donare solebat: parcior fuit *Augustus*, sed dedit prudenter.

cium. Ego vero nullius puto expetendum esse beneficium, cuius vile iudicium est. Quid ergo? Non erat accipiendum a Claudio quod dabatur? Erat: sed sicut a Fortuna, quam scires statim posse malam fieri. Quid ergo ista inter se mixta dividimus? Non est beneficium, cui deest pars optima, datum esse iudicio. Alioquin pecunia ingens si non ratione, nec recta voluntate donata est, non magis beneficium est, quam thesaurus. Multa sunt autem, quae oportet accipere, nec debere.

Quam thes. Quem forte inveneris, et nemini nisi fortunae debueris.

Nec debere. Nec pro iis obligari.

DE
BENEFICIIS
LIBER SECVNDVS.

Digitized by Google

ARGVMENTVM

LIBRI SECVNDI.

Assumit et repetit alterum membrum, Quemadmodum Beneficia danda? Varia dat praecepta: ut Libenter, Cito, Sine dubitatione. Quaedam Palam, quaedam in Secreto. Sed omnia tamen sine superbia, aut iactatione. Deinde, Quae nocitura, non dare, nec si petant: non item Turpia, et infamiae futura. Denique Personae aestimandae, et qui dat, et qui accipit: ut decora sint utrique. Pars altera libri, Ipse accipiens quomodo se gerat? A quibus capiat, et quomodo? imprimis Grate. Ex occasione, quid faciat ingratos, Superbia, Avaritia, Invidia. Pluribus deinde de Gratitudine, eamque constare voluntate, ubi res deficit.... LIPS.

L. ANNAEI SENECAE

AD

AEBVTIVM LIBERALEM

DE BENEFICIIS

LIBER SECVNDVS

I. Inspiciamus, Liberalis, virorum optime, id quod ex priore parte adhuc superest. Quemadmodum dandum sit beneficium: cuius rei expeditissimam videor monstraturus viam. Sic demus, quomodo vellemus accipere: ante omnia libenter, cito, sine ulla dubitatione. Ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis haesit, quod quis aegre dimittere visus est, et sic, tanquam sibi eriperet. Etiamsi quid morae intervenit, evitemus omni modo, ne deliberasse videamur. Proximus est a negante, qui dubitavit, nul- 2

I. Ang. Pergit docere, quod in primi libri fine iam tractavit, quemadmodum beneficia danda sint; et dari iubet libenter, cito, sine ulla dubitatione, imo antequam aliquis te rogaverit. Quod fusius persequitur; dicens nihil saepe iniucundius viro qui viriles animos habet, quam rogare.

Ex priore parte. Nempe ex parte antecedente, quae a capite 12, §. 3 usque ad finem libri I pertinuit.

Expeditissimam. Facillimam, quam nec nostri Ethices doctores, inprimis *Kant* eiusque asseclae repudiant, ut necessarie consentaneam principio morum.

Evitemus omni modo ne deliberasse videamur. H. e. videamur non potuisse rem optatam continuo praestare, minime vero noluisse, aut ambiguam voluntatem habuisse.

Proximus est a negante. Exquisitior haec lectio apparet in bonis codd. mss. Erasmus aliique *Proximus est autem negante,*

lamque iniit gratiam. Nam quum in beneficio iucundissima sit tribuentis voluntas ; qui nolentem se tribuisse ipsa cunctatione testatus est, non dedit, sed
3 adversus ducentem male retinuit. Multi autem sunt, quos liberales facit frontis infirmitas. Gratissima sunt beneficia parata, facilia et occurrentia, ubi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia. Optimum est, antecedere desiderium cuiusque : proximum, sequi : illud melius, occupare antequam rogemur ; quia quum homini probo ad rogandum os concurrat, et

Iniit gratiam. Cod. Naz. aliique boni codd. suadent, non quod Erasmus habuit, *meretur g.*—*Nullamque iniit gratiam*. Imo dolorem et fastidium, dum deliberat, affert. Ipse Noster infra, cap. 5 : *Nihil aeque amarum quam diu pendere. Aequiore quidam animo ferunt praecidi spem suam quam trahi. Quid? tu non intelligis tantum te gratiae demere, quantum moraе adiicis? Inde illae voces quas ingenuus dolor exprimit : Fac, si quid facis, et Nihil est tanti. Malo iam neges*. Cf. et Martial. lib. VI, epigramm. XVII, in Phoebum, cuius is finis est : *Iam rogo, Phylli, nega*. Idem, lib. VII, epigr. XLII : *Primum est, ut praestes, si quid te, Cinna, rogabo; Illud deinde sequens, ut cito, Cinna, neges. Diligo praestantem, non odi, Cinna, negantem. Sed tu nec praestas, nec cito, Cinna, negas*.

Adversus ducentem. Moventem ad beneficia voluntatem.

Male retinuit. I. nimis diu en tenuit. Gruterus tamen cum Lipsio Nannium Miscellan. IV, 22 (in Gruteri Lampad. crit. Vol. I, p. 1286 sq.) Horat. Ep. I, 10, 48 explicantem sequuntur, desumptam putantes hanc locutionem a comica Graecorum saltatione, quam χόρδαξα appellabant, ex Aristoph. Nub. 540, 555, ed. Brunck. satis nota : in qua praesultor funem ducit, quem alii eodem fune apprehenso praeeuntem sequuntur.

Frontis infirmitas. Pudor negandi. Nam quum frons (Plin. H. N. II, 57) tristitiae, hilaritatis, clementiae ideoque pudoris sit index, quumque *firma* frons ap. Senecam de Tranq. An. c. 4, 2 occurrat : recte Quintil. 12, 5, 4 *imbecilla* frons et nostro *infirmitas frontis* dici potuit. Laudat hunc locum Is. Casaubonus, ad Theophrast. Charact. p. 152 edit. Fischer.

Parata, facilia et occurrentia. Sic cod. Naz. aliique optimi codd. et edd. ap. Grut. et Gron. At Erasmus aliique *facile occurrentia*. Facile est interdum promptum, nulla difficultate paratum. Haec respondent superioribus illis : *libenter, cito, sine ulla dubitatione*.

Ubi nulla mora fuit, nisi. Sic cod. Naz. cum aliis bonis codd. At Erasm. Piucianus et Vincentius Bellov. IX, 107 Spect. hist. *nulla intervenit mora*.

Os concurrat. Concurrit os, quum turbato per pudorem et quemcumque aestum animi sanguine, oris musculi invitis etiam trahuntur et quasi convelluntur, ut fluctuum concurrentium

suffundatur rubor, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum. Non tulit gratis, qui quum 4
rogasset, accepit; quoniam quidem, ut maioribus nostris, gravissimis viris, visum est, nulla res carius constat, quam quae precibus empta est. Vota homines parcius facerent, si palam facienda essent; adeo etiam deos, quibus honestissime supplicamus, tacite malumus et intra nosmetipsos precari.

II. Molestum verbum est, onerosum, et demisso vultu dicendum, Rogo. Huius facienda est gratia amico, et cuicumque, quem amicum sis promerendo facturus. Properet licet, sero beneficium dedit, qui roganti dedit. Ideo divinanda cuiusque voluntas, et quum intellecta est, necessitate gravissima rogandi liberanda est. Illud beneficium iucundum, victurumque in animo scias, quod obviam venit. Si non con- 2

aut coruscantium subito nubium species quaedam circa labia, quibusdam etiam circa frontem exoriatur. Haec Gesner. ad Quintil. X, 7, 8 p. 528, qui nostri loci una cum Senec. de Ira III, 15 pr. Epist. XI, 2 et Quint. XI, 3, 86, 121 memor fuit. Eodem modo hanc exquisitiorem loquendi formam, in qua Burmann. ad Quintil. XI, 3, p. 1025 haerebat, Schellerus minus recte iratis tribuebat, ut exposuit Ruhnkenius in praefat. ad Schelleri Lexic. latino-batav., laudans Facciolati Animadv. crit. in Lexica p. 134.

Quoniam... est. Docet hoc tota Populi Rom. Historia: hinc illa pervicacia, quam in rebus adversis monstrare solebant, laudata merito a Polyb. III, 75, 8, XXVII, 8, 8.

Vota... essent. Eadem iam Ep. X attulit. Spectat Persianum illud: *aperto vivere voto*, Sat. II, vs. 6.

Adeo precari. Est observatio philosophi: vulgus tamen arceri iussit profanos, taciteque precatus est, ne invidiosi contrarium deos precarentur. Cf. Heynium ad Tibull. II, 1, 84.

II. Ang. Iterum commendat beneficentiam quae ante preces venit, modicumque donum asseverat, si rogaturo at nondum roganti contigerit, plus gratiae habere saepe quam opulentissima dona, si post preces data sint.

Facienda est gratia. Verbo moneo, luretum *faciendum est gratiam* a veteri cod. legere maluisse, contra usum Senecae.

Huius... amico. Hoc verbum *rogo* amico remittatur. In philosophia veteribus erat Arcesilaus, quem hanc legem egregie exercuisse tradit noster infra c. X, et Archelaus, Macedonum rex, qui Euripidi tragico impertiret dona non petenti.

Digitized by Google

tingit praevenire, plura rogantis verba intercidamus, ne rogati videamur: sed certiores facti, statim promittamus, facturosque nos, etiam antequam interpellaremur, ipsa festinatione approbemus. Quemadmodum in aegris opportunitas cibi salutaris est, et aqua tempestive data remedii locum obtinuit: ita quamvis leve et vulgare beneficium sit, si praesto fuit, si proximam quamque horam non perdidit, multum sibi adiicit, gratiamque pretiosi, sed lenti et diu cogitati muneris vincit. Qui tam parate fecit, non est dubium quin libenter faciat. Itaque laetus facit, et induit sibi animi sui vultum.

III. Ingentia quorumdam beneficia, silentium aut loquendi tarditas, imitata gravitatem et tristitiam, corrupit, quum promitterent vultu negantium. Quanto melius adiicere bona verba rebus bonis, et praedicatione humana benignaque commendare quae praestes? Vt ille se castiget, quod tardior in rogando fuit, adiicias licet familiarem querelam: "Irascor tibi, quod quum aliquid desiderasses, non olim scire me voluisti, quod tam diligenter rogasti, quod quem-
2 quam adhibuisti. Ego vero gratulor mihi, quod ex-

Facturos. Hic pro praeterito futuro, pro *facturos fuisse*, usurpatur.

III. Arg. Cavendum inprimis ne gravitatis intempestivae et tristitiae nescio cuius asperitas gratiam beneficii corrumpat, et annuenti denegantis vultum et rugas communicet; et quaerendum, si aliquem descendere ad preces necesse fuerit, illum solari, confirmare, ad honestam superbiam constantiamque et opinionem altam sui reducere, quam celerrime dato beneficio.

Vt ille se castiget, quod tardior in rogando fuit. Egregie hoc restituit Grut. e codd. mss. Pinc. Naz. aliisque. Erasmus cum aliis habet: *ut illum castiges, quod*, etc. Interpunxi ut habes in textu, sensu poscente, quum antea esset: *ut... fuit. Adiicias*, etc.— Infra c. 14, 3: *Viderit; de se, non de me queretur*, quae his similia videntur.

Diligenter rogasti. Tantam curam adhibuisti, tot et tam longis me ambagibus appetivisti, ambivistique potius quam petivisti, non statim et simpliciter me allocutus.

Adhibuisti. I. advocasti, assumpsisti, ut rei solent amicum auxilii

Digitized by Google

periri animum meum libuit: postea quidquid desiderabis, tuo iure exiges. Semel rusticitati tuae ignoscitur. „ Sic efficies, ut animum tuum pluris aestimet, quam illud, quidquid est, ad quod petendum venerat. Tunc est summa virtus tribuentis, tunc benignitas, ubi ille qui discessit, dicet sibi: "Magnum hodie lucrum feci; malo quod illum talem inveni, quam si multiplicatum hoc ad me alia via pervenisset. Huic eius animo nunquam parem referam gratiam. „

IV. At plerique sunt, qui beneficia asperitate verborum et supercilio in odium adducunt, eo sermone usi, ea superbia, ut impetrasse poeniteat. Aliae deinde post rem promissam sequuntur morae; nihil autem est acerbius, quam ubi quoque, quod impetrasti, rogandum est. Repraesentanda sunt beneficia: quae a quibusdam accipere difficilius est, quam im-

ferendi causa advocare: non est quasi: usus es, egregie annotante Ruhnkenio in docta praef. supra laudata, s. v. adhibeo.

Semel. H. e. non plus quam semel. Hodie tibi venium do. Ne posthac tam facilem me speres.

Rusticitati. Opponitur urbanitas. Quint. VI, 3, 18, pudor ineptus, ἀμουσία.

Multiplicatum hoc ad me alia via pervenisset. Erasmus et haud pauci codd. mss. sensu probo. Sed cod. Naz. aliique praestant: *multiplicatum hoc ad me de quo loquebar*, etc., unde pal. tert. fecit: *multipliciter.... de quo loquar*. Cui corruptelae Gruterus remedium quaerens emendat: *hoc ad me decuplo alia*, etc. Et fatendum, hoc aut simile quid hic fuisse. Nam inconstantia codd. non glossema solum, sed etiam corruptelam indicat, nec, quod Gruterus praetulit, haec verba eiicienda, sed emendanda esse censuerim.

IV. Asc. Rursus in hos invehitur qui non ante concedunt beneficium quam longas preces audiverint amicorum; et in hos qui postquam promisere, diu morantur antequam revera dent, iterumque iterumque sunt rogandi.

Supercilio. Fastu nimio. Ardua subrigens supercilia habet Ammian. Marcellin. XVI, 12: τὰς ὀφρῦς ἀνατείνας. Loquendi hanc formam iam supra aliquoties attigi, explicatam a Desid. Heraldo ad Martial. I, Epigr. XXV. Berglero ad Alciphron. I, 34, p. 195, 149 ed. Wagneri.

Repraesentanda. Statim danda. Cf. Ernesti Clav. Cic. h. v. *Lagrange* vertit: *Les bienfaits doivent être payés d'avance*.

petrare. Hic rogandus est, ut admoneat; ille, ut con-
2 summet. Sic unum munus per multorum teritur manus: ex quo gratiae minimum apud promittentem remanet: quia auctori detrahit, quisquis post illum rogandus est. Haec itaque curae habebis, si grate aestimari quae praestabis voles, ut beneficia tua illibata, ut integra ad eos, quibus promissa sunt, perveniant, sine ulla, quod aiunt, deductione. Nemo illa intercipiat, nemo detineat: nemo in eo quod daturus es, gratiam suam facere potest, ut non tuam minuat.

V. Nihil aeque amarum, quam diu pendere. Aequiore quidam animo ferunt praecidi spem suam, quam trahi. Plerisque autem hoc vitium est, ambitione prava differendi promissa, ne minor sit rogantium turba; quales regiae potentiae ministri sunt, quos delectat superbiae suae longum spectaculum, minusque se iudicant posse, nisi diu multumque sin-
2 gulis, quid possint, ostenderint. Nihil confestim,

Hic... admoneat. Aliquis alius rogandus est ut beneficii promissorem admoneat de promissis.

Consummet. Sic omnes fere codd., inprimis Naz., quod alteri lectioni, *ut sumat*, quam Erasmus aliique praestant, praeferam, etsi Lip. illam tuetur. In eadem fere re utitur Seneca hoc verbo infra c. 32, 1. De accipiendo e manu dantis s. auctoris munere sermo est, qui haud semel admonendus est per unum alterumve, ut beneficii dandi memor sit et tandem tradat, ultima quasi imposita manu.

Vt. Reduxi, Pinc. et Grut. codd. monentibus. Antea, *et*.

Sine... deductione. Lipsius firmat e marmore hispaniensi, inter formulas fuisse. Ernesti quoque in Clav. Cic. h. v. exempla quaedam e Cicerone adduxit.

V. Aug. Nihil aeque amarum quam diu pendere; perire mora exspectatum munus, et tantum gratiae demi, quantum cunctationi dari. Comparatio adjicitur e supplicio quod cito et uno ictu accipere nocentes cupiunt.

Praecidi spem suam, etc. Vid. quae supra ad cap. I, pag. 354, not. 2 diximus.

Ne minor sit. Est et causa alia, quam Plinius Panegyrico tangit: quod beneficiis suis commendationem ex difficultate captant.

Regiae potentiae ministri. Purpurati, ut Seianus.

Longum sp. I. magna series, copia supplicum: sive, diu duraturum

nihil semel faciunt; iniuriae illorum praecipites, lenta beneficia sunt. Quare verissimum existima, quod ille Comicus dixit:

> . . . . . Quid? tu non intelligis,
> Tantum te gratiae demere, quantum morae adiicis?

Inde illae voces, quas ingenuus dolor exprimit: Fac, si quid facis, et, Nihil est tanti: Malo mihi iam neges. Vbi in taedium adductus animus incipit beneficium odisse, dum exspectat, potest ob id gratus esse? Quemadmodum acerbissima crudelitas est, quae trahit poenam: et misericordiae genus est, cito occidere; quia tormentum ultimum finem sui secum affert; quod antecedit tempus, maxima venturi supplicii pars est:

spectaculum: sic II, 11, 5 longa pietas est.

Fac, si quid facis. Formula loquendi, quum moram aliquis indignatur. Martial. lib. III, Epigram. ad Haedylum: *Haedyle, cum propero dicis: Fac, si facis.*

Potest ob id gratus esse? Pincianus sic e codicibus mss. legit, cui nonnulli apud Gruterum fere respondent. Muretus cum Lipsio accepit. Erasmus autem scribit: *potest ob id ingratus esse?* Fatetur tamen in ms. suo fuisse: *potest ei ob ib iam gratus esse?* Quod posui nexui sententiarum magis convenit. Lipsius exponit: An, inquit, gratus animus ob id beneficium esse potest, quod mora in odium traxit?

Quemadmodum... cito occidere. Tyranni sciebant: ut Tiberius cuidam precanti poenae maturitatem, *Nondum, inquit, tecum in gratiam redii.* Et Caius Caligula, non temere in quemquam, nisi crebris et minutis ictibus animadverti passus est, perpetuo notoque iam praecepto: *ita feri, ut sentiat se mori.* Vtrumque in Suetonio (Tib. c. 61, Calig. 30). Adde Lucani: *moremque nefandae Dirum saevitiae pereuntis parcere morti.* Ciceronis locus exstat classic. in Verr. de Supplic. cap. 117: *Aderat ianitor carceris, carnifex praetoris, mors terrorque sociorum et civium, lictor Sestius: cui ex omni gemitu doloreque certa merces comparabatur. Vt adeas, tantum dabis; ut cibum tibi intro ferre liceat, tantum: nemo recusabat. Quid ut uno ictu securis afferam mortem filio tuo, quid dabis? ne diu crucietur? ne saepius feriatur? ne cum sensu doloris aliquo aut cruciatu spiritus auferatur? Etiam ob hanc causam pecunia lictori dabatur.* Ad id quoque facit Taciti locus lib. XV, ubi interfector Flavii Sobrii hominem iactat *Sesquiplaga interemptum.* Necnon Aeschyl. Agamemn. sc. paene ultim., cum moritura Cassandra haec effundit: Επεύχομαι δὲ καιρίας πληγῆς τυχεῖν, ὡς ἀσφαδάστων αἱμάτων εὐθυπτίμων Απορρυέντων, ἕμμα συμβάλλειν τέλει.

Digitized by Google

ita maior est muneris gratia, quo minus diu pependit.
4 Est enim bonarum etiam rerum sollicitis exspectatio gravis; et quum plurima beneficia remedium alicuius rei afferant, qui aut diutius torqueri patitur, quem protinus potest liberare, aut gaudere tardius, beneficio suo manus affert. Omnis benignitas properat: et proprium est libenter facientis, cito facere. Qui tarde, et diem de die extrahens profuit, non ex animo fecit. Ita duas res maximas perdidit, et tempus, et argumentum amicae voluntatis; tarde velle, nolentis est.

VI. In omni negotio, Liberalis, non minima portio est, quomodo quidque aut dicatur, aut fiat; multum celeritas fecit, multum abstulit mora. Sicut in telis eadem ferri vis est: sed infinitum interest, utrum excusso lacerto torqueantur, an remissa manu effluant; gladius idem et stringit, et transforat; quam presso articulo venerit, refert: idem est quod datur, sed in-
2 terest, quomodo detur. Quam dulce, quam pretiosum est, si gratias sibi agi non est passus, qui dedit! si dedisse, dum dat, oblitus est! nam corripere eum,

Ita maior est muneris gratia omnium codd. lectio est. At Vincentius Bellov. IX, 107, Spec. historial. habet: *ita maioris gratiae munus est.*

Sollicitis exspectatio gravis. Sic Pinc. e codd. legendum monet, nec differunt codd. Naz. et Col., praeterquam quod *gravis* non habent. Antea *sollicita exspectatio.* Caeterum omnia integra esse puto, etsi in sequentibus gnomae repetitae suspicionem movere possint, ex marginali nota in textum irrepsisse.

Tarde velle nolentis est. Similiter Publius Syrus 359: *Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter.* Martialis, Epigr. VI, 30, in Paetum.

VI. Arg. Eamdem materiam persequitur, quam comparatione adiecta illustrat, sagittarum nempe, quae remissane manu, an excusso lacerto torqueantur, minime simile est.

Excusso lacerto. Virgilio est: adducto lac., adductis lacertis. Ovid. Heroid. IV, 43: *Aut tremulum excusso iaculum vibrare lacerto.*

Presso articulo. Manu forti et adacta, etc.

Quam dulce, etc. Multa egregie facta afferri possent, nisi omnia nota. Unicum tamen ex multis in memoriam revocare iuvat exemplum recentioris aevi, Montesquievii illam actionem egregiam Massiliae circa anu. 1750 erga *Robert* quemdam, quam cuique innotuisse confido.

cui quummaxime aliquod praestes, dementia est, et inserere contumeliam meritis. Itaque non sunt exasperanda beneficia, nec quidquam illis triste miscendum. Etiam si quid erit, de quo velis admonere, aliud tempus eligito.

VII. Fabius Verrucosus beneficium ab homine duro aspere datum, Panem lapidosum vocabat; quem esurienti accipere necessarium sit; esse, acerbum. Tiberius Caesar rogatus a Nepote M. Aelio praetorio, ut 2
aeri alieno eius succurreret: edere illum sibi nomina creditorum iussit. Hoc non est donare, sed creditores convocare. Quum edita essent, scripsit, Nepoti iussisse se pecuniam solvi; adiecta contumeliosa admonitione, effecit, ut nec aes alienum haberet, nec beneficium. Liberavit illum a creditoribus, sibi non obligavit. Aliquid Tiberius secutus est; puto noluit plures esse,

VII. Arc. Exemplum profert beneficii tam illiberali animo collati, ut nec gratiam pepererit, nec beneficii nomine ornatum sit.

Fabius Verrucosus. Ignoramus, utrum amicus Senecae Fabius Rusticus, celeber historicus, an alius fuerit. Illius quidem mentionem interdum iniici reperimus Tacito Annal. XIII, 20, XIV, 2. Agricol. 10.

Panem lapidosum. H. e. asper et glomulis durioseulis et lapidibus sparsus. Horat. similit. lib. I, Sat. v, 89: *Panis longe pulcherrimus, ultro Callidus ut soleat humeris portare viator: Nam Canusi lapidosus.*

Aelio Nep. Sic cod. Naz. aliique ap. Grut. Antea *Allio.* Senecae autem tempore familiam hanc *Aeliorum* nomine appellatam esse, quae primum *Allii* vocarentur, docuerunt viri docti ab Ernestio Ind. hist. ad Cic. s. v. Aelii laudati. *Nepos* deinde est cognomen viri: quare initiali littera maiore excudi iussi, sequens Lipsii et Huetii iudicium. De hoc M. Aelio *Nepote* (cuius more romano inversa sunt nomina, ita ut cognomen ante praenomen et nomen gentis occurrat) nihil habemus compertum. Caeterum notum est, his temporibus cognomina saepe praeponi; qua de re exstat doctus Herm. Cannegieteri libellus, de mutata Romanorum nominum sub principibus ratione, Traiecti ad Rhen. 1758, 4. Rem narrant Tacit. Annal. I, 75. Sueton. Tib. 47, non tamen nominant Nepotem. — Plurimi editores et interpretes scribunt *nepote* cum minuscula littera quasi esset pro viro luxurioso, profligato: quae interpretatio optime convenit sequentibus *contumeliosa admonitione.* Ego vero crediderim duplicem illum intellectum hic adhiberi, de quo cavillatur imperator. Bouill.

Aliquid. Aliud quid adscripserat Huet. margini.

qui idem rogaturi concurrerent. Ista fortasse efficax ratio fuerit, ad hominum improbas cupiditates pudore reprimendas; beneficium vero danti tota alia sequenda est via.

VIII. Omni genere quod des, quo sit acceptius, adornandum est. Hoc vero non est beneficium dare, deprehendere est. Et ut in transitu de hac quoque parte dicam quid sentiam, ne Principi quidem satis
2 decorum est, donare ignominiae causa. Tametsi inquietudinem effugere Tiberius ne hoc quidem modo, quo vitabat, potuit. Nam aliquot postea, qui idem rogarent, inventi sunt; quos omnes iussit reddere in senatu aeris alieni causas, et ita illis certas summas dedit. Non est illud liberalitas, censura est; auxilium

VIII. Anc. Idem exemplum excutit, demonstratque Tiberium aes alienum rogantis solventem non beneficum aut liberalem fuisse.

Omni genere. I. e. omni modo et ratione. Inreconsulti crebriuscule et noster mox c. X, 2.

Hoc vero. Quod Tiberius fecit.

Hoc deprehendere est. Restituit Pinc. e codd., quod Grut. etiam in omnibus suis inveniebat. Receperunt Lipsius et Gronov. Lipsius explicat: Detegere vitia latentia et efferre. Olim *reprehendere*. Convenire tamen magis putabat Grut. *dependere*, i. solvere. At Seneca ignominiam signare voluit. *Deprehendere* est convincere aliquem criminis, ideoque detegere vitia latentia et efferre. Cicero sic aliquoties utitur. Cf. Ernesti Clav. Cic. h. v.

Tametsi inquietudinem effugere Tiberius ne hoc quidem modo, quo vitabat, potuit. Variant libri mss., unde Grut. suspicabatur, locum hunc trajectione verborum et defectu insigni laborare. Sed non opus est hac suspicione. Corruptela enim locus laborat. Cod. Naz., Col., et Palat. tert. habent: *Tamen inquit effugere... quod vitabat potuit.* Ex illo *inquit* alii fecerunt *inquies*, notante Erasmo in ora, alii *inquietudinem*, et e *vitabat* deinde *putabat*. Gronovius pro vero habet: *Tametsi id effugere*, etc. Equidem locum sanum et integrum habeam, ultimo tantum verbo *potuit* expuncto; legens, *nequit.... quod vitabat.* Illud enim *nequiit* turbas has fecisse videtur, quod quum raro occurrat, in *inquit* mutatum istud *potuit* creavit, et sic deinceps *inquietudinem*, cuius tamen nominis usus Senecae aetate nondum viguisse videtur. Huetus margini adscripserat: *Tametsi id effugere Tiberius, ne hoc quidem modo, quo vitabat, potuit.*

Nam aliquot.... dedit. Non repugnant Tacitus et Suetonius l. l. Ille unum tantum hac acerbitate usum fuisse Propertium Celerem narrat; hic ait: plerosque modestia et pudore deterritos esse.

Censura est; auxilium est; princ. e codd. restitui, expuncto *non* ante

est; principale tributum est. Beneficium non est, cuius sine rubore meminisse non possum. Ad iudicem missus sum: ut impetrarem, causam dixi!

IX. Praecipiunt itaque omnes auctores sapientiae quaedam beneficia palam danda, quaedam secreto. Palam, quae consequi gloriosum est: ut militaria dona, et honores et quidquid aliud notitia pulchrius fit. Rursus quae non producunt, nec honestiorem faciunt, [2] sed succurrunt infirmitati, egestati, ignominiae, tacite danda sunt: ut nota sint solis, quibus prosunt. Interdum et ipse qui iuvatur, fallendus est: ut habeat, nec a quo acceperit, sciat.

X. Arcesilaus, ut aiunt, amico pauperi, et pauper-tatem suam dissimulanti, aegro autem, et ne hoc quidem confitenti, deesse sibi in sumptum ad necessarios

auxilium, quod Gruterus immisit, ut antitheta ista haud indecore concurrerent: et ideo Lipsius quoque excepit humaniter: sed codicibus magis obtemperandum erat.

Tributum est quia velut ab invito tribuitur in aliorum necessitates.

IX. Arg. Quaedam danda palam, plura secreto, et ita ut qui accipiat, a quo acceperit, ipse nesciat.

Sapientiae non solum Stoicae, sed cuiuscumque.

Honores sunt magistratus.

Producunt. Ornant honoribusque donisque militaribus. Cf. Graevius ad Cicer. pro Domo sua, c. 9.

X. Arg. Exemplum ab Arcesilao amici pauperis sed paupertatem dissimulantis pulvino sacculum subiiciente. Tum eos exagitat qui nihil dant, nisi cui dantis nomen innotescet; neque tam benefecisse se gaudent quam videri benefecisse.

Arcesilaus. Condiscipulus Crantoris, magistro Polemone usus, post mediae Academiae auctor fuit coëvus Theophrasti, Zenonis Stoae conditoris, Epicuri, etc., mortuus est Ol. 133, 4. Cf. Brucker. Hist. crit. Phil. Vol. I, p. 746 sqq. qui et nostri loci p. 748, not. r) non immemor fuit, et Fabricii Bibl. gr. Vol. III, p. 162 Harl. Rem narrant Plutar. De adul. et amici discrim. c. 32. T. VII Opp. p. 204 Hutt. qui amicum eius appellat Apellem, et Diog. Laërt. IV, 37 qui Ctesibium nominat. Egregia Pet. Baylii Commentatio de Arcesilao in Diction. hist. et crit. legenda est.

Deesse sibi in sumptum ad necessarios usus. Egregie docet Gronov. contra Gruter. et Salmasium ad Scriptt. H. A. T. I. p. 69 sq., non iunctim *insumptum* i. e. pecuniam, esse scribendum, sed esse duas voces, et *deesse sibi in sumtum* valere: se rem non habere, aeris egere, neque nummum habere *unde Panis ematur, olus, vini sextarius, adde Quois*

usus, quum clam succurrendum iudicasset, pulvino eius ignorantis sacculum subiecit, ut homo inutiliter verecundus, quod desiderabat, inveniret potius quam
2 acciperet. Quid ergo? ille nesciet a quo acceperit? Primum nesciat, si hoc ipsum beneficii pars est; deinde multa alia faciam, multa tribuam, per quae intelligat et illius auctorem. Denique ille nesciat accepisse se: ego sciam me dedisse. Parum est, inquis. Parum, si foenerare cogitas: sed si dare quo genere accipienti maxime profuturum erit, dabis, contentus eris te teste.
3 Alioquin non benefacere delectat, sed videri benefecisse. Volo, inquis, sciat! debitorem quaeris. Volo utique sciat! quid, si illi utilius est nescire? si honestius, si gratius? non in aliam partem abibis? Volo
4 sciat! ita tu hominem non servabis in tenebris? Non nego, quoties patitur res, percipiendum gaudium ex accipientis voluntate: sin adiuvari illum et oportet, et pudet; si quod praestamus, offendit, nisi absconditur: beneficium in acta non mitto? Quidni? ego illi non sum indicaturus me dedisse, quum inter prima

humana sibi doleat natura negatis. (Sic fere Horat. lib. I, sat. 1, 74). Nam *necessarii vitae usus* ea sunt quae ad sustentandam vitam necessaria aut sunt, aut esse videntur, ut cibus primum, dein tectum et vestes. De hac Arcesilai liberalitate quae ap. antiquos celebrata fuit cf. Diog. L. l. l. Ctesibius aut Apelles, sacculo invento ab anu ei serviente, dixit: *Hic Arcesilai ludus* (παίγνιον, κλέμμα) *est.*

Dabis. omnium codd. et edd. lectio, quam Muretus omiserat. Quum bene intelligi possit, non video, cur non abesse liceat, si per codd. liceret.

Sed videri benefecisse. Benefici hominis famam magis aucuparis quam beneficentiae voluptatem. Videri mavis quam esse. Quod sapientiae omnino repugnat, quippe quae hoc lemma prae se ferat *esse quam videri.* Vt Aeschyleus Amphiaraus οὐ γὰρ δοκεῖν δίκαιος, ἀλλ' εἶναι θέλει. Sept. ap. Th. Act. IV, sc. III.

Beneficium in acta non mitto. I. e. non publico, non posteritati trado: *in acta mittere* proverbii speciem habet. Quid acta publica sint, cuique notum est: si quis tamen doceri amplius velit, is adeat Lipsium ad Taciti Annal. IV, 42.

Quidni? ego illi non sum. Sic Gruter. in Cod. Naz. invenit. Erasmus: *Quidni ego illi sum indicat.*, omisso τῷ *non*, et signo interrog. post *Quidni.* At Muretus ex ingenio dedit: *Quid? ego illi sum ind.*

praecepta ac maxime necessaria sit, ne unquam exprobrem, immo ne admoneam quidem? Haec enim beneficii inter duos lex est; alter statim oblivisci debet dati, alter accepti nunquam. Lacerat animum et premit frequens meritorum commemoratio.

XI. Libet exclamare, quod ille triumvirali proscriptione servatus a quodam Caesaris amico exclamavit, quum superbiam eius ferre non posset: "Redde me Caesari. Quousque dices: Ego te servavi, ego te eripui morti? istud, si meo arbitrio memini, vita est; si tuo, mors est. Nihil tibi debeo, si me servasti, ut haberes, quem ostenderes. Quousque me circumducis? quousque oblivisci fortunae meae non sinis? semel

Alter accepti nunquam omnium codd. et edd. lectio. At Vincentius Bellov. Spec. hist. IX, 107 habet: *alter memor esse accepti*, memoriter forsan loco hoc laudato.

Quidni?... commemoratio. Haud scio an expressa haec sint e Demosthenis Oratione de Corona, pag. 316, 6 sqq. Reisk. Ἐγὼ νομίζω τὸν μὲν εὖ παθόντα δεῖν μεμνῆσθαι τὸν πάντα χρόνον· τὸν δ' εὖ ποιήσαντα εὐθὺς ἐπιλελῆσθαι αὐτῶν... τὸ δὲ τὰς ἰδίας εὐεργεσίας ὑπομιμνήσκειν καὶ λέγειν, μικροῦ δεῖν ὁμοιόν ἐστι τῷ ὀνειδίζειν. Nec dubito, quin similia Terentii Andr. act. I, sc. 1, vs. 17, Ciceron. in Lael. c. 20, etc., cuique in mentem statim veniant.

XI. Arg. Oblivisci eum debere qui dedit, et videri muneris illius sui quasi nescium. Narrare idem esse propemodum ac si exprobraret. Meminisse nimis aut memorem se usque et usque significare idem quasi narraret. Nihil superbius magis invisum: quanto magis hoc in beneficio dando! fovendum denique beneficium, non daudum duntaxat: quanto minus putida iactatione corrumpendum.

Triumvirali proscriptione. Illaquae a. V. 711 fiebat. De hac cf. Plutarch. vit. Anton. c. 19 sq. et Dio Cass. 47, 3 sq.

Quod ille... posset. Quis, ignoro: sed plures sic servati. *Lips.* Spectant haec ad triumviratum Antonii, Lepidi et Octavii, qui *Caesar* hic et saepius vocatur. Cf. Sueton. Oct. 7, 27. Caeterum in legibus Corneliis a Dictatore L. Corn. Sulla a. V. C. 672 perlatis unam de proscriptione et proscriptis fuisse, quam postea Octavius aliique imitati sunt, contra inimicos et in gratiam amicorum, verbo tantum monemus. Nomina capitis damnatorum in tabulis proscriptionis publice affixis proscripta fuerunt, eorumque bona venierunt. Sed haec nota sunt vel e Cic. Orat. p. Rosc. Amerin. c. 43.

Quousque me circumducis. H. e. me huc illuc tecum trahis, munificum te iactitans, et me tibi obligatum. Explicant satis τὸ *circumduci* haec quae mox sequuntur: *Semel in triumpho ductus essem.*

Digitized by Google

2 in triumpho ductus essem.„ Non est dicendum, quid tribuerimus; qui admonet, repetit. Non est instandum, non est memoria revocanda: nisi ut aliud dando prioris admoneas. Ne aliis quidem narrare debemus; qui dedit beneficium, taceat: narret, qui
3 accepit. Dicetur enim, quod illi ubique iactanti beneficium suum: "Num negabis, inquit, te recepisse? et quum respondisset, Quando? Saepe quidem, inquit, et multis locis: id est, quoties et ubicumque narrasti.„ Quid opus est te loqui? quid alienum occupare officium? Est qui istud facere honestius possit: quo narrante et hoc laudabitur, quod ipse non narras. Ingratum me iudicas, si istud te tacente, ne-
4 mo sciturus est? Quod adeo non est committendum, ut etiamsi quis coram nobis narrabit, ei respondendum sit: Dignissimus quidem ille est maioribus beneficiis, sed ego magis velle me scio omnia illi praestare, quam adhuc praestitisse. Et haec ipsa non venaliter, nec ea figura, qua quidam reiiciunt, quae

Semel in triumpho ductus essem. ***Semel***, ut iam supra vidimus, est pro *semel duntaxat*, *non plus quam semel*. Sensus omnis: Si inter hostium manus delapsus, ab illis in triumpho ductus essem, at saltem hoc semel tantum passus essem.

Non est memoria revocanda. Sic omnes codd. Pinc. et Grut., quos tutius sequi, ait Gron., quam Lipsianum, *memoria renovanda* praebentem. Vtrumque probum est, nec quidquam tali casu mutandum est, nisi optimi et plurimi codd. concinant: recte itaque Gron. Lipsio non adstipulatus est, et Huetus in notis Mss.

Inquit. I. obiicitur. Saepe de hoc idiotismo monuere viri docti, e. c. Bentleius ad Horat. Serm. 1, 4, 78. Davis. ad Cic. Tusc. 1, 39. Φησί eodem modo usurpant Graeci. cf. Vptou ad Epictet. Diss. 1, 4, 9 ed. Schwgh. Laudavi ad I de Ira 3, 1 Heusinger.

Non venaliter. Sic codd. Erasmus aliique. Sed Muretus ex margine edd. Erasmi al. primus in textum recepit *verniliter*: at hoc sequentia exprimunt, nec de facetiis quae vernis adscribi solent, hic sermo est. Bentl. tamen ad Horat. Serm. I, 6, 108 *vernaliter* praetulit: Is. Casaubon. ad Theophrasti Charact. p. 19 ed. Fisch. *verniliter*. — ***Venaliter.*** I. e. non ita ut tuo ipsius commodo inservias, atque ideo his beneficiis tibi aliquid compares.

Figura i. dicendi modus, quem

Digitized by Google

magis ad se volunt attrahere. Deinde adiicienda omnis humanitas. Perdet agricola quod sparsit, si labores suos destituet in semine. Multa cura sata perducuntur ad segetem: nihil in fructum pervenit, quod non a primo usque ad extremum aequalis cultura prosequitur: eadem beneficiorum est conditio. Numquid ulla maiora possunt esse, quam quae in liberos patres conferunt. Haec tamen irrita sunt, si in infantia deserantur, nisi longa pietas munus suum nutriat. Eadem caeterorum beneficiorum conditio est: nisi illa adiuveris, perdes; parum est dedisse. fovenda sunt. Si gratos vis habere quos obligas, non tantum des oportet beneficia, sed et ames. Praecipue, ut dixi, parcamus auribus; admonitio taedium facit, exprobratio odium. Nihil aeque in beneficio dando vitandum est, quam superbia. Quid opus arrogantia vultus? quid tumore verborum? ipsa res te extollit. Detrahenda est inanis iactatio: res loquentur, nobis tacentibus. Non tantum ingratum, sed invisum est beneficium superbe datum.

XII. C. Caesar dedit vitam Pompeio Penno, si dat,

dissimulationem, s. potius accusatum vocaveris. Cf. Ruhnken. ad Lexicon Timaei, p. 18 sq. ed. II.

Numquid ulla. . . patres conferunt. Nempe vitam dedisse; nam de hoc illum locutum esse, sequentia probant.

Haec tamen irrita sunt; etc. Sic optimi codices Pinciani et Gruteri. Antea erat: *Nec tamen tuta sunt*; etc.

Nisi illa adiuveris. H. e. nisi additis aliis gratiam, quae ex prioribus sequitur, maiorem in dies reddas. Beneficium quod praestas hodie, cras minus gratum erit; adiuva hoc, ne pereat.

Loquentur omnium codd. et edd. lectio, quae non commutanda erat cum ea, quae margini cod. Naz. adpicta erat, *loquantur*.

XII. Anc. Exemplum affert Caii Caesaris, qui postquam senatorum vitae rem absolvit, hunc iubet sinistrum imperatoris pedem osculari; et beneficium sic corrumpit.

Caius Caesar dedit vitam, etc. Quae hic de Caio Caligula narrantur, ea nemini alii commemorari memini: nec Lipsio quidquam hac de re innotuit. Putat tamen, esse eundem Pompeium, quem postea fame mori coëgerit illud monstrum, quippe hominem opulentum et locupletem

Digitized by Google

qui non aufert: deinde absoluto, et agenti gratias, porrexit osculandum sinistrum pedem. Qui excusant, et negant id insolentiae causa factum, aiunt soccu-
lum auratum, immo aureum, margaritis distinctum, ostendere eum voluisse. Ita prorsus: quid hic contumeliosum est, si vir consularis aurum et margaritas osculatus est? et alioquin nullam partem in corpore
2 eius electurus, quam purius oscularetur. Homo natus in hoc, ut mores liberae civitatis Persica servitute mutaret, parum iudicavit, si senator senex, submissis honoribus, in conspectu principum supplex sibi, eo more iacuisset, quo victi hostes hostibus iacuere; invenit aliquid infra genua, quo libertatem
3 detruderet. Non hoc est rempublicam calcare? et quidem (dicet aliquis, nam potest ad rem pertinere) sinistro pede? Parum enim foede furioseque insolens fuerat, qui de capite consularis viri soccatus audie-

supra plerosque sui aevi, de quo idem Seneca de Tranq. Animi c. XI exposuit. Alius tamen fuerit necesse est, quum ad gentem Pennorum hic Pompeius pertinuerit.

Et negant. Sic optimi codices Pinc. et Grut. Antea legebatur: *eum negant.*

Persica servitute. Omnibus notus est reges revereudi modus apud Persas adhibitus, qui ad usque humum prostrati eos adorarent, pedesque osculareutur.

Summissis honoribus, omnium codd. lectio: at Pinc. et Muretus ex coni. *summis usus honoribus*; Lipsius *summis hon.*, qui, quod mireris, adeo *summissimis*, quod monstrum in duobus codd. depravatis invenerat, praetulerit. Sed *honores summittere* de supplice honoribus functo summis et ignominiose habito bene dici, nemo facile nunc dubitet: nexus sententiae adeo postulat.

In conspectu principum. I. e. procerum et populi primorum, Senatorum, explicare maluit Lipsius, quam Gruteri emendationem admittere: *in conspectu P. R.* i. e. Populi Romani. At nescimus, ubi, in Senatuue an coram populo, de capite consularis huius viri audiverit, iudex sederit C. Caligula.

Et quidem (*dicet.....pertinere*). Erasmus aliique *equidem*, unde Muretus *et quidem* fecit. Παρένθεσιν adiecit Gronovius: quo acquiescamus, non curantes Lipsium, qui ex variis lectionibus *titigat*, *licitet* fecit: *licet aliquis non putet ad rem pertinere.* Nihil inde lucramur.

Soccatus. Insolens hoc Romanis. Et Cicero Verri graviter obiecit, quod *solentus in publico stetisset.*

Digitized by Google

bat, nisi in os senatoris ingessisset imperator epigros suos.

XIII. O superbia magnae fortunae! O stultissimum malum! ut a te nihil accipere iuvat! ut omne beneficium in iniuriam convertis! ut te omnia nimia delectant! ut te omnia dedecent! quoque altius te sublevasti, hoc depressior es; ostendisque te non agnoscere ista bona, quibus tantum inflaris. Quidquid das, corrumpis. Libet itaque interrogare, quid tantopere te resupinet, quid vultum habitumque oris pervertat, ut malis habere perso-

Nam domi duntaxat soleae in usu fuere, in publico et certe quum iudicia obibant, calceati, togatique erant. Foedius autem agebat Caius, qui in muliebri etiam socco haec patrabat. *Lipsius*. Cf. Sueton. Calig. 52. Plin. Hist. Nat. lib. 37, c. 2.

Epigros suos. Sic emendat lectionem veterem, *pigros suos*, sensu cassam, Scaliger, cui adstipulati sunt Io. Meursius, Maussacus et Gronov. Est graeca vox ἐπίουρος, clavus ligneus. Cf. Niclas ad Geoponic. X, p. 688. Quum vero de soccis sermo sit, quos ut humiles tenuesque e lana, lino pilisve hircinis caprinisve confectos esse constat (cf. B. Balduini calceus antiquus cap. XIV ed. Lugd. Bat. 1711, 8, cura Io. Frid. Nielantii); difficile est demonstratu, qualis clavorum qualiumcumque, nedum ligneorum usus in iis esse potuerit, quem nemo adhuc exposuit. Nam non satis est, dixisse, soccis esse suffixos, aut de quocumque suffixo socci Caligulae intelligendos esse epigros istos. Nonne ridiculus foret, qui talibus socculis, quorum usus, ut calceorum muliebrium, inprimis domi esset, similium fere nostris *pantoufles*, epigros suffixos dixerit? Meliores igitur codd. sunt exspectandi. — *Epigros* vero Gronovius non pro soccis dictos esse vult, sed pro eo, quod soccis suppactum fuerit. Ergo formam potius, quam materiam in quocumque Caii suffixo consideraverit Seneca. Confert Gronov. de Beneficiis, lib. V, cap. 13, §. 3 sq. Denique loquitur Seneca de Caligula, quasi adhuc calcearetur, ut solebat, quum id cognomentum accepit.

XIII. Ang. In superbiam divitum et potentum invehitur, quae tam magna et inflata est, ut omnia in deterius mutet, et pessumdet beneficiorum gratiam.

Ostendisque te non agnoscere. Est vulgata lectio. Sed omnes codd. Grut. habent *tibi non*, et codex Naz. *tibi non adgnoscere*, quae quid sibi velint, non exsculpo. Mox *certe leni*, quum antea esset *levi*, e suis codd. restituit Grut.

Quid tantop. te resupinet. Habitus superborum designatur, caput attollendi, pectusque proiiciendi, quod est, sese supinandi καὶ ὑπτιάζειν. *Lipsius*.

Personam. Nempe histrionicam et alienam. *Lips*.

nam, quam faciem? Iucunda sunt, quae humana fronte, certe leni, placidaque tribuuntur, quae quum daret mihi superior, non exsultavit supra me, sed quam potuit, benignissimus fuit, descenditque in aequum, et detraxit muneri suo pompam; sic observavit idoneum tempus, ut in occasione potius, quam in necessitate succurreret. Vno modo istis persuadebimus, ne beneficia sua insolentia perdant, si ostenderimus non ideo videri maiora, quo tumultuosius data sunt; ne ipsos quidem ob id cuiquam posse maiores videri; vanam esse superbiae magnitudinem, et quae in odium etiam amanda perducat.

XIV. Sunt quaedam nocitura impetrantibus, quae non dare, sed negare, beneficium est. Aestimabimus itaque utilitatem potius, quam voluntatem petentium. Saepe enim noxia concupiscimus, nec dispicere quam perniciosa sint licet, quia iudicium interpellat af-

In aequum, parem se mihi gessit.

Pompam, ostentationem, apparatum, quo beneficia superborum iactantur.

Sic observavit. Tò *sic* e cod. Naz. al. ap. Grut. adieci, immutans *si* quod dant, in *sic*. *Sed* maluit Grut. e pal. tert.

Istis persuadebimus, et *quo tumultuosius* e codd. Pinc. et Grut. dedi, quum *istis* ap. Erasm. deesset et *quia tum*. ubique in edd. haberetur.

XIV. Arg. Non semper haec amicis danda, quae aut rogant, aut cupiunt. Quaedam enim nocitura impetrantibus. Nec dicendum: ille me rogat, concedo; utilitasne hinc fluat an damnum, ego non curo. Ipse viderit. Hoc igitur tantum largiendum, quod vere petenti utile futurum est.

Saepe enim noxia concupiscimus. Iam Socrates in Platonis Alcibiade posteriore egregie exposuit, homines plerosque quid malum noxiumve sit ignorare, attamen a diis precari. Quare deos id modo precandos esse monet, quod bonum sit. *Magnaque*, ait Iuvenalis X, vs. 111, *numinibus vota exaudita malignis*. Itaque et Iuvenalis Sat. laud. monet: *Permittes ipsis expendere numinibus, quid Conveniat nobis*. Mox et *Carior est illis homo quam sibi*. Bene laudat hic Lipsius Taciti illa ex Annal. XV, 21: *Plura saepe precantur, dum demeremur, quam dum offendimus.*

Interpellat. Sic plerique codd. Mss. praeter. cod. Naz., qui habet *interpolat*, quod Grutero valde placuit. Perperam. Cf. ad Epist. 47, 2. Facile haec confusio fieri poterat, quum non geminatae scribi solerent consonantes.

fectus; sed quum subsedit cupiditas, quum impetus ille flagrantis animi, qui consilium fugat, cecidit; detestamur perniciosos malorum munerum auctores. Vt frigidam aegris negamus, ut lugentibus ac sibi 2
iratis ferrum, aut amantibus quidquid contra se usurus ardor petit: sic ea, quae nocitura sunt, impense ac submisse, nonnunquam etiam miserabiliter rogantibus, perseverabimus non dare. Tum initia beneficiorum suorum spectare, tum etiam exitus decet: et ea dare quae non tantum accipere, sed etiam accepisse delectet. Multi sunt qui dicant: Scio hoc illi 3
non profuturum; sed quid faciam? rogat, resistere precibus eius non possum. Viderit; de se, non de me, queretur. Falsum est: immo de te, et merito quidem, quum ad mentem bonam redierit, quum accessio illa, quae animum inflammabat, remiserit. Quidni eum oderit, a quo in damnum ac periculum suum adiutus est? Exorari in perniciem rogantium, saeva bonitas est. Quemadmodum pulcherrimum opus est, 4
etiam invitos nolentesque servare, ita rogantibus pe-

Contra se usurus ardor. Homo fervidus et cupidinis vehementissimae igne flagrans, in perniciem suam re data usurus; sic enim *contra se utetur*. At quum *ardor* pro *homo ardens* h. l. occurrat, credideris forsan primo intuitu *contra se* esse *contra ardorem*, h. e., ita ut ardor extinguatur subinde et cedat; quod minime est.

Quae non tantum accipere, sed etiam accepisse delectet. H, e. quae non tantum hoc temporis articulo quo accipimus, laetitiam pariant, sed quae deinceps etiam gaudio sint; quae accepisse nec poeniteat, nec pudeat pigeatque.

Accessio bene istam vulgatam *accensio* removit in omnibus fere, sal-tem optimis codd. obvia haec lectio. Est invasio morbi et παροξυσμός, imprimis de initio febris.

Quemadmodum... nolentesque servare. I. e. morbis acutis, insania, etc. laborantibus sibique mala inferre conantibus: qui ad mentem bonam reducti gratias agunt. Terent. Heautontim.: *Atque hunc difficilem invitum servaret senem.* Recte observat Lipsius, Horat. de Arte Poëtica versum 467, *Invitum qui servat, idem facit occidenti*, huc non spectare, non magis quam hunc ex lib. I, epist. xx ad librum suum: ... *Quis enim invitum servare laboret?* Quae poëtica in aestu effusa non morum regulam esse Horat. putavit.

stifera largiri, blandum et affabile odium est. Beneficium demus, quod usu magis ac magis placeat, quod nunquam in malum vertat. Pecuniam non dabo, quam numeraturum adulterae sciam, ne in societate turpis facti ac consilii inveniar. Si potero, revocabo: sin minus, non adiuvabo scelus. Sive illum ira, quo non debebat, impellit, sive ambitionis calor abducit a tutis, non a semet ipso vim sibi inferri patiar: non committam, ut possit quandoque dicere: ille amando me occidit. Saepe nihil interest inter amicorum munera, et hostium vota. Quidquid illi accidere optant, in id horum intempestiva indulgentia impellit, atque instruit. Quid autem turpius, quam, quod evenit frequentissime, ut nihil intersit inter odium, et beneficium?

XV. Nunquam in turpitudinem nostram reditura tribuamus. Quum summa amicitiae sit, amicum sibi aequare, utrique simul consulendum est. Dabo egenti; sed ut ipse non egeam: succurram perituro; sed ut ipse non peream; nisi si futurus ero magni hominis, aut magnae rei merces. Nullum beneficium dabo,

In malum vertat codd. Pinc. et Grut. dant. Antea ap. Erasm. *in malum vertatur.*

At consilii est vulgata ab omnibus codd. Grut. confirmata. Erasmus et Muretus: *aut cons.*

A tutis; non a semet ipso vim sibi inferri patiar; non committam. Sic Pinc. Variant libri. Erasmus, *a tuis*, alii *acutis*, *acutius*. Media illa *non a semet... patiar* absunt ap. Erasm. Sed noli alcus aut ulcera cum Lipsio suspicari, aut divinum illum Apollinem in somnis cum Grutero praestolari; nihil enim deest.

Saepe nihil inter... amic. munera et hostium vota. Ἀχαιρος εὖνοι' οὐδὲν ἔχθρας διαφέρει, Amicitia intempestiva nihil ab inimicitia differt, Euripides Hipp. καλυπτόμενος fragm. XVII, T. II Opp. p. 448 ed. Beck.

XV. Ans. Nobis quoque turpe et ignominiosum fore, si amico turpia aut funesta indulserimus. Praeterea sibi et petenti sua consulendum; nec beneficentia nimia dedecus aut damnum sibi afferendum. Aestimandas praeterea personas, et non tam examinandum quis det, quam cui detur.

Summa amicitiae e quatuor cod. iisque optimis suasit Grut. Lip. Gron. quum Erasmus habeat *summa amicitia*, quod itidem probum est.

Nisi si... merces. Vel perire paratus

Digitized by Google

quod turpiter peterem; nec exiguum dilatabo, nec magna pro parvis accipi patiar. Nam ut qui quod dedit, imputat, gratiam destruit: ita qui quantum det, ostendit, munus suum commendat, non exprobrat. Respiciendae sunt cuique facultates suae, viresque; ne aut plus praestemus, quam possumus, aut minus. Aestimanda est eius persona, cui damus; 3 quaedam enim minora sunt, quam ut exire a magnis viris debeant: quaedam accipiente maiora sunt. Vtriusque itaque personam confer: et ipsum, inter illas, quod donabis, examina, numquid aut danti grave sit, aut paucum: numquid rursus qui accepturus est, aut fastidiat, aut non capiat.

XVI. Vrbem cuidam Alexander donabat vesanus,

sum, si impendo me in rem hominemque magnum, meius exitio redimendum. L. Inde Paulus ille animae magnae prodigus, Regulus al. ab Horat. (Carm. I, 12, 37 sq.), Scipio pro patre mori paratus, Codrus pro patria non timidus mori (Vellei Pat. I, 2) tantopere et optimo iure laudantur.

Turpiter peterem. Turpitudinem ego et dedecus subirem, si precarer; ut si a iudice venalem sententiam peterem, a nupta adulterium, a cive civitatis proditionem, ab homine quolibet auxilium in latrocinio, incendio, caede committenda.

Nec exiguum dilatabo, nec magna... patiar. Nec verbis ea amplificabo quae parva sunt, nec contra ea minuam et elevabo quae revera magna sunt.

Munus suum commendat, non exprobrat. Sic Pinc. et Grut. e codd. optimis: accessit Lipsius. Antea: *non comm. sed expr.* Referas ad praecedentia: nec magna pro parvis accipi patiar.

Respiciendae.... minus. Occupavit haec iam Cicero de Officiis lib. I, c. 14 init.

Aestimanda, etc. Nec Cicero praetermisit de Offic. II, 18. Publius Syrus 731: *beneficiis dignis ubi des, omnes obliges.*

Et ipsum, inter illas, quod donabis, examina. Pinc. et Gruterum e suis optimis mss. emendantes vulgatam: *Confer tecum. Inter illa quae donabis e.* sequuti sumus cum Lipsio. — *Inter illas.* Supple personas.

XIV. Ans. Alexandrum in causam adducit quod humillimo cuidam urbem donaverat, nimium onus, addideratque hanc vocem: *Non quid te accipere deceat, sed quid me dare, examino.*

Alexander .... vesanus, qui, etc. Iniquum in Alexandrum M. fuisse supra aliquoties docuimus. Cf. I, 13, 1 ubi quaedam loca attulimus huc pertinentia. Epitheton autem *vesanus* haud scio an hoc loco recte adhibitum sit a Seneca, qui statim laudem Alexandri adiungit. Magnum animum certe ea quae sequuntur de-

et qui nihil animo non grande conciperet. Quum ille cui donabatur, se ipse mensus, tanti muneris invidiam refugisset, dicens non convenire fortunae suae: «Non quaero, inquit, quid te accipere deceat, sed quid me dare.» Animosa vox videtur et regia, quum sit stultissima. Nihil enim per se quemquam decet: refert quid, cui, quando, quare, ubi, et caetera, sine
2 quibus facti ratio non constabit. Tumidissimum animal! si illum accipere hoc non decet, nec te dare. Habeatur personarum ac dignitatum proportio: et quum sit ubique virtutis modus, aeque peccat quod excedit, quam quod deficit. Liceat istud sane tibi, et te in tantum fortuna sustulerit, ut congiaria tua urbes sint: quas quanto maioris animi fuit non capere,

cent. Lips. h. l. annotavit: Nusquam noster pronus in hunc regem: quem revera vulgus et fortuna magis, quam prudentes et ratio attollunt. Enimvero etsi magna vitia Alexandri non negaverim, tamen concedendum est, regem qui talia animo conceperit et perfecerit, dignum laudatione, quin admiratione summa sui aevi fuisse. Nec vitio ei vertas, quod fortuna ei faverit, quum prudentissime ea uti sciverit, nec postules, ut homo humanitatis imbecillitatem exuerit: quis enim regum ducumve magnorum unquam exstitit, quem fortuna propitia tanta assiduitate et fide integra semper comitata sit, ut nulli vitio deditum se praestiterit, et ab illa incorruptum!

Tanti muneris invidiam. Odium, vel invidiam (nam hoc l. parum refert quis proprie sensus τοῦ *invidiam*) quae ex munere tanto accipienti adhaerere posset.

Animosa vox videtur et regia, quum sit stultissima. Pincian. e cod. eruit. Erasmus: *et quum regia sit, est stultissima.*

Nihil.... decet. Stoice hoc dictum est.

Proportio bona lectio est. Alii codd. ap. Pinc. praestant *ratio*, quam vocem pro glossa τοῦ *proportio* habeo, quippe cuius in tali re rarior usus fuit.

Vbique virtutis praestat quam *utrique virtuti*, et deinceps *congiaria* quam *coniugia.*

Aeque peccat.... quam quod def. Horat. Lib. I, Sat. 1 fin: *Non ego avarum Quum veto te fieri, vappam iubeo, aut nebulonem. Est inter Tanaim quiddam, socerumque Viselli. Est modus in rebus, sunt certi denique fines, Quos ultra citraque nequit consistere rectum.*

Congiaria proprie dicuntur principum dona publice plebi data. Conf. Ernesti Clav. Cic. h. v.

Quas quanto maioris.... spargere! Quam ille maior generosiorque fuit qui indignum se tanto munere, va-

quam spargere! est tamen aliquis minor, quam ut in sinu eius condenda sit civitas.

XVII. Ab Antigono Cynicus petiit talentum. Respondit, plus esse, quam quod Cynicus petere deberet. Repulsus petit denarium. Respondit, minus esse, quam quod regem deceret dare. Turpissima est eiusmodi cavillatio. Invenit quomodo neutrum daret; in denario regem, in talento Cynicum respexit: quum posset et denarium tanquam Cynico dare, et talentum tanquam rex. Vt sit aliquid maius, quam quod Cyni- 2
cus accipiat; nihil tam exiguum est, quod non honeste regis humanitas tribuat. Si me interrogas, probo: est

stoque oneri imparem confessus est, quam qui supra humanum modum intumescens putat dona spargenda temere in hunc, in illum, sive dignus, sive indignus fuerit.

Est tamen aliquis.... civitas. Observatiuncula subfrigida e margine videtur in textum immissa esse. Sensus est: quamquam tu magnus sis, ut urbes in plebem spargere possis, sunt tamen quos non deceat civitates accipere. Cogitasse videtur de Demetrio de quo mentio infra VII, 41. Hoc ironiae colore adumbravit.

XVII. Anc. Antigonum exagitat quod precanti Thrasyllo nec denarium, nec talentum dederit, hoc Cynico, hoc rege indignum praedicans. Repetit deinde incoeptum, et post comparationem a pila sumptam personarum servandam esse rationem ait.

Ab Antigono. Hic significatur *Antigonus* primus Alexandri Magni amicus et legatus, qui post eius mortem rex Syriae factus et octogenarius in proelio ad Ipsum (ante Chr. 301) fusus caesusque est; cf. Plutarch. vita Demetrii Poliorcetis, c. 29, Tom. V ed. Reisk.

Cynicus. Thrasyllus. Rem narrat quoque Plut. Tom. VII, p. 107 Hutten. Θρασύλλου δὲ τοῦ Κυνικοῦ δραχμὴν αἰτήσαντος αὐτόν (Antigonum) Ἀλλ' οὐ βασιλικόν, εἶπε, τὸ δόμα· τοῦ δ' εἰπόντος· Οὐκοῦν τάλαντον δός μοι· Ἀλλ' οὐ Κυνικόν, ἔφη, τὸ λῆμμα. Repetit hanc historiolam Plut: Vol. X, p. 171.

Talentum. Vt aestimare possis hanc cynici postulationem, recorderis necesse est talentum fuisse 5, 560 f.

Denarium latine pro graeco *drachma* posuit. Drachma autem huius aetatis est circiter 93 centesim. fr.

Si me interrogas, etc. Grut. et Lipsius mendosum esse hunc locum putarunt, quasi quaedam exciderint reprehensionem Cynici complexa. Cod. mss. tamen silent. Nec Vincent. Bellovac. Spec. hist. VI, 39 haec aliter legisse videtur ac nos: nam totam ῥῆσιν ab *Antigono* usque ad *tribunal* attulit, nulla dissertatiuncula omissae vestigii mentione iniecta. Vnde colligere licet, omnia sana esse, modo recte intelligamus illa: *Si me interrogas, probo*, h. e. si meam sententiam petere institueris, accedo illi.

Digitized by Google

enim intolerabilis res, poscere nummos, et contemnere. Indixisti pecuniae odium; hoc professus es; hanc personam induisti: agenda est. Iniquissimum est, te pecuniam sub gloria egestatis acquirere. Adspicienda ergo non minus sua cuique persona est, quam eius,
3 de quo iuvando quis cogitat. Volo Chrysippi nostri uti similitudine de pilae lusu: quam cadere non est dubium, aut mittentis vitio, aut accipientis. Tunc cursum suum servat, ubi inter manus utriusque, apte ab utroque et iactata et excepta versatur; necesse est autem lusor bonus, aliter illam collusori longo; aliter brevi mittat. Eadem beneficii ratio est; nisi utrique personae, dantis et accipientis, aptatur, nec
4 ab hoc exibit, nec ad illum perveniet, ut debet. Si cum exercitato et docto negotium est, audacius pilam mittemus; utcumque enim venerit, manus illam ex-

Huetus margini adscripserat: Supple ante haec verba: *Nec ego Cynici petitionem*, aut aliquid simile. Lipsius: Videtur aliqua dissertatiuncula fuisse (quae periit) super hoc facto. Subiicit: nunc, si me quoque interrogas, sum inter probantes. At hac opinione non opus est. *Si*, tu Cynice, *me interrogas*, etc. Conversiones tales abruptae sunt Senecae familiares, e. c. de Benef. I, 4, 5, ubi *tu*, i. e. Chrysippe, aeque abruptum sonat.

Probo, i. accedo regi Antigono, modo non cavillatus esset. Cynicorum autem erat, divitias contemnere, et minimis egere. Diog. Laërt. VI, 105. Demetrius quoque VII de Benef. init. exemplo sit.

Volo Chrysippi, etc. Eadem similitudine uti facit Plutarchus Theanorem pythagoreum, de Genio Socratis c. 13, p. 321 Opp. Vol. X.

Vitio probum est; libri tamen mss. *studio* aut *dubio*. L.

Longo.... brevi.) *Longo*, i. e. remoto. *Brevi*, vicino. Intelligere tamen utrumque etiam possis de tempore, ut *longo* sit diu exercitato, *brevi* indocto, non diu exercitato, propter sequentia. Doctior autem lusor in ludo pilae trigonalis, qui remotior, indoctior, qui vicinus stabat. Si vero de hoc ludo sermo sit, plerumque intelligitur pila trigonalis, quae a tribus tantum lusoribus in trigono s. triangulo consistentibus invicem pulsari, captari, excipi et reddi solebat. Cf. *Wernsdorf*, Excurs. X, To. IV Poët. min. lat. p. 398 sq. Male de hardasto intellexit Vptou ad Epicteti Diss. II, 5, 15 Schweighaeuseri. Ludum pilae trigonalis intelligas quoque in Epigram. 97 Meleagri (Analect. Brunck. Vol. I, p. 28), ubi cf. elegantem mihique amiciss. interpretem Iacobs. in Animadv. ad Anal. Vol. I, part. I, p. 110 sqq. ubi nostri loci memor fuit.

Digitized by Google

pedita et agilis repercutiet. Si cum tirone et indocto: non tam rigide, nec tam excusse, sed languidius, et in ipsam eius dirigentes manum, remisse occurremus. Idem faciendum est in beneficiis. Quosdam doceamus, 5 et satis iudicemus, si conantur, si audent, si volunt. Facimus autem plerumque ingratos, et ut sint, favemus: tanquam ita demum magna sint beneficia nostra, si gratia illis referri non potuit: ut malignis lusoribus propositum est, collusorem traducere, cum damno scilicet ipsius lusus, qui non potest, nisi consentitur, extendi. Multi sunt tam pravae naturae, ut malint perdere quae praestiterunt, quam videri recepisse, superbi et imputatores. Quanto melius, quantoque 6 humanius id agere, ut illi quoque partes suae constent; et favere, ut gratia sibi referri possit; benigne omnia interpretari; gratias agentem, non aliter quam si referat, audire; praebere se facilem, ad hoc, ut quem obligavit, etiam exsolvi velit? Male audire solet foenerator, si acerbe exigit: aeque si in reci-

Quosdam.... volunt beneficia accipere. Qui pilam mittit, ait S., accommodabit pilam collusori suo: eadem ratione et beneficia sunt adhibenda. Nisi hoc facimus, in causa erimus, cur ingratis beneficia demus. Itaque docendi sunt, ut grati esse *conentur*, i. possint, aggrediantur.

Et ut sint, favemus. Et in id intendimus, ut ingrati sint quibus largimur. Ingratorum vitio ipsi favemus, et nostra culpa eorum numerus in dies maior evadit.

Propositum est. Maligni lusores sibi proponunt, id sibi consilii animo iniiciunt, ut, etc.

Traducere, nempe per ora hominum quodammodo traducere, h. e. superbientium ludibrio exponere, παραδειγματίζειν.

Lusus qui non potest, nisi consentitur, extendi. Extendere lusum est inter collusores spatium magis ac magis longum relinquere. Eadem fere loquendi formula ac nuper *collusori longo* pro *remoto*.

Imputatores debitores sibi esse cupientes.

Ut illi qui beneficia dederit. Bene talis homo cum *foeneratore* comparatur, qui tristibus Calendis s. Idibus, quocumque igitur mense, more romano, usuras *exigit*, redigit, poscit, sive *moras quaerit*, lucri faciendi causa, ut usuras usurarum acquirere possit, sive ut illo debitore, qui sortem exsolvere vellet, in suo calendario utatur et iactet.

Digitized by Google

piendo tardus ac difficilis moras quaerit; beneficium
7 tam recipiendum est, quam non exigendum. Optimus ille, qui dedit facile, nunquam exegit: reddi gavisus est, bona fide quid praestitisset oblitus, qui accipientis animo recepit.

XVIII. Quidam non tantum dant beneficium superbe, sed etiam accipiunt: quod non est committendum. Iam enim transeamus ad alteram partem, tractaturi quomodo se gerere homines in accipiendis beneficiis debeant. Quodcumque ex duobus constat officium, tantumdem ab utroque exigit. Qualis pater esse debeat, quum inspexeris, scies non minus operis illic superesse, ut dispicias, qualem esse oporteat filium. Sunt aliquae partes mariti, sed non minores
2 uxoris. Invicem ista quantum exigunt, praestant, et

XVIII. Ang. Vsque ad finem libri quaestioni respondet: quomodo se gerere homines in accipiendis beneficiis debeant.

Quidam..... accipiunt. Munit sibi viam ad doctrinam, quam tractaturus est, eo quod principium actionum humanarum e Stoae praeceptis praemittit. Iam quum Stoici via physiologico-historica docuissent, amorem sui, sociabilitatem, etc., ideoque primorum naturae inde orientium studium homini innasci: ordo et decor in his rebus, quae *prima naturae* vocantur, acquirendis, disponendis ac fruendis sequantur necesse est: quem quidem impetum nomine *officiorum* s. decentium actionum comprehendunt: quae neque bonae neque malae sunt, nec ad beatitudinem quidquam conferunt, nisi demum *ratio* accesserit, quae his primis naturae pretium suum statuit et normam, s. *regulam honesti* constituendo ordinem firmat studiorum et actionum, quae a ratione in media, aestimabilia, etc., distinguuntur, quatenus naturae congruant. Hinc sequitur, quod honestum sit, id solum bonum esse iudicandum.

Alteram recepit Lipsius e suis libris. Antea *aliam*.

Quodcumque ex duobus constat officium. Duplex officii genus est, illud nempe quod praestare nos lex naturalis iubet, non erga alios alicunaque, sed erga nosmetipsos, aut Deum. Illud vero quod erga alios praestare, necessitas est; sed alii idem erga nos praestare debent, et eadem eos necessitas devincit, quae nos. Haec igitur officia e duobus constant, et hodie *synallagmatica* vocantur, a Graecis voc. σὺν et ἀλλάττω, quasi diceretur mutua, amoebea.

Scies non minus operis illic superesse. H. est, memineris tunc dimidiam tantum laboris partem tibi exantlatam esse, et ut patris, sic filii iam officia excutienda.

Invicem ista quantum exigunt, praestant. H. e. quae dari ab aliis vo-

Digitized by Google

parem desiderant regulam: quae, ut ait Hecaton, difficilis est. Omne enim honestum in arduo est, etiam quod vicinum honesto est; non enim tantum fieri debet, sed ratione fieri. Hac duce per totam vitam eundum est; minima maximaque ex huius consilio gerenda sunt: quomodo haec suaserit, dandum. Haec autem hoc primum censebit, non ab omnibus accipiendum. A quibus ergo accipiemus? Vt breviter tibi 3
respondeam: ab his, quibus dedisse vellemus. Nam etiam maiore dilectu quaerendus est, cui debeamus, quam cui praestemus; nam, ut non sequantur ulla incommoda (sequuntur autem plurima) grave tamen tormentum est debere, cui nolis. Contra, iucundissimum est ab eo accepisse beneficium, quem amare etiam post iniuriam possis, ubi amicitiam, alioqui iucundam, causa fecit et iustam. Illud vero homini 4
verecundo et probo miserrimum est, si eum amare oportet, quem non iuvat. Toties admoneam necesse

lumus; iisdem eadem dare par est, Horat. Art. Poët: *Scimus, et hanc veniam petimusque damusque vicissim.* Omne officium ius parit, et rursus a iure officium. *Invicem* in Seneca idem est ac τὸ Horatianum vicissim, et officiorum synallagmaticorum genus designat.

Hecaton Rhodius, Panaetii discipulus, fortasse in libris de officiis haec dixerat. Cf. Fabricii Bibl. gr. Vol. III, p. 563 Harl.

Quae.... difficilis est. Nempe quia nonnisi ratione exculta perspici atque adhiberi potest.

Vitam recte Grut. et Lips. e mss. recepere. Olim *viam*.

Haec autem.... accipiendum. Eandem sententiam protulit quoque Aristoteles Cyrenensis, Theophrasti coaevus, ap. Aelian. V. H. lib. X, 8.

Vt breviter.... vellemus. Haud multum abludit a principio ethices Kantiano. Cf. ad II, 1, 1.

Nam etiam dant codd. plerique et Erasm. Alii autem: *Num etiam*, *n. etiam*: merae aberrationes calami.

Grave tamen tormentum optimi codd. praestant.

Vbi amicitiam, alioqui iucundam, causa fecit et iustam Pinc. et Grut. codicibus debetur, qui *alicui* habebant, unde Lips. *alioqui* fecit. *Causa* est beneficium. — *Nam ut, fac, ut... Contra.... iustam.* Si egregium virum, cui beneficia debeas, elegeris, etiam iniuriam ei hoc facilius condonare poteris, quo praestantior est: ita eius praestantia atque pretium beneficiorum eius in causa erunt, cur amicitia in eum iusta sit. Similia habet Marc. Anton. VII, 22, de amore in hostes.

Toties admoneam, etc. Nondum in his libris admonuit de hoc discri-

est, non loqui me de sapientibus, quos quidquid oportet, et iuvat; qui animum in potestate habent; et legem sibi, quam volunt, dicunt: et quam dixerunt, servant: sed de imperfectis hominibus, honesta sequi volentibus, quorum affectus saepe contumaciter parent. Itaque eligendus est, a quo beneficium accipiam. Et quidem diligentius quaerendus beneficii quam pecuniae creditor. Huic enim reddendum est, quantum accepi: et si reddidi, solutus sum ac liber. At illi plus solvendum est: et nihilominus etiam, relata gratia, cohaeremus; debeo enim, quum reddidi, rursus incipere; monetque amicitia non recipere indignum; sic est beneficiorum quidem sacratissimum ius, ex quo amicitia oritur. Non semper, inquit, mihi licet dicere: Nolo; aliquando beneficium accipiendum

mine, sed fecit alibi, e. c. de Vita Beata c. 17 sq. Ep. 56 fin. 59 fin. cf. Ep. 104, 3 not.

De sapientibus. De sapiente Stoico, et de iis qui opponuntur, de *imperfectis* sive voluptatem sive insipientiam profitentibus saepe numero iam admonui.

Quos quidquid oportet et iuvat. Quibus id placet quod necesse est; qui sui imperium ita habent ut sine doloris sensu, imo libentissime et cum voluptate id faciant, quod necesse, quod legi summae consentaneum arbitrantur.

Qui animum.... servant. Qui nullis affectibus turbantur, qui legem vitae et actionum *quam volunt* ratione duce etc.: qui decreta sua firma et immota habent servantque.

Imperfectis. Vide supra not. *De sapientibus.*

Affectus contumaciter parent. Parent, sed repugnantes et inviti. Contumacia est id superbiae genus qua iis etiam resistimus quae optima et rationi consona sunt. *Pertinax* ille est qui dicti aut opiuionis aut incepti tenax, usque pergit; *contumax* qui pertinax cum superbia, mussat et obstrepit etiam quum paret. Et a *tumere* quod idem est cum τῷ *superbire* derivatur.

Reddendum est, quantum accepi. Aliquantulumve plus, nempe usura; sed hoc levisculum, nec ratiocinationis veritati obstat.

Monetque amicitia... oritur. Locus hic Gruteto et Lipsio vitiatus esse videbatur. Libri Mss. nihil opis praestant, nisi quod cod. Naz. aliusque habent: *manetque a. non reciperem indignum. sic ne in beneficiorum quidem* etc. Forsan sana tamen sunt omnia, si cohaereat cum *incipere* τὸ *monetque* etc. explicesque: amicitia monet, ut te ille non recipiat se indignum. Coacti tamen aliquid et ipse sentio.

Digitized by Google

est et invito. Dat tyrannus crudelis et iracundus, qui 6
munus suum fastidire te iniuriam iudicaturus est.
Non accipiam? Eodem loco pono latronem et piratam,
quo regem, animum latronis ac piratae habentem.
Quid faciam? parum dignus est, cui debeam. Quum
eligendum dico cui debeas, vim maiorem et metum
excipio: quibus adhibitis, electio perit. Si liberum 7
est tibi, si arbitrii tui est, utrum velis, an non, id
apud te ipse perpendes; si necessitas tollit arbitrium,
scies te non accipere, sed parere. Nemo in id acci-
piendo obligatur, quod illi repudiare non licuit. Si
vis scire an velim, effice ut possim nolle. Vitam tamen
tibi dedit; non refert quid sit, quod datur, nisi a
volente volenti detur. Si servasti me, non ideo ser-
vator es. Venenum aliquando pro remedio fuit: non
ideo numeratur inter salubria. Quaedam prosunt,
nec obligant.

XIX. Tuber quidam tyranni gladio divisit, qui ad

Et invito. Contra vulgatum, imo et iuris regulam, invito beneficia nec dantur, nec obtruduntur. Lactantius: Non est beneficium, quod ingeritur reluctanti etc. Atqui hic exceptio affertur, sed ita, ut beneficia tum esse non dicas, sed imperia. Ex Lipsio.

Electio perit. H. e. eligendi facultas iam non est.

Nemo in id; praestant omnes praeter Mureti ed. et codd. Illa dat: *nemo id.* Obligari in rem est nota loquendi ratio.

Vitam tamen... detur. Exemplo sit Iason, Pherarum in Thessalia dominus, cui, ut Ciceronis de Nat. Deor. III, 28 verbis utar, non voluit prodesse is, qui gladio vomicam eius aperuit, quam sanare medici non poterant. De hoc conf. not. infr.

Venenum..... fuit. Fortasse de Claudio cogitavit Seneca; nam Tacit. Ann. XII, 66, narrat, veneno a Locusta praeparato aut mixto alvum Claudii solutam esse.

XIX. Arg. Iasonis Pheraei exemplum allegatur, quem interfector nolens a tubere liberavit; tum et leonis qui bestiarium a ferarum impetu liberavit: negatque vel hanc, vel illum beneficium dedisse.

Tuber quidam tyranni. De Iasone Pherarum Thessaliae domino hic sermo est cuius vomicam (id enim tuber est) miles quidam gladio rupit, interficere dum voluit. Rem narrant Valer. Maxim. I, 8 extr. 7. Plutarch. de util. ex inimicis ca-

eum occidendum venerat; non ideo illi tyrannus gratias egit, quod rem quam medicorum manus reformidaverant, nocendo sanavit. Vides non esse magnum in ipsa re momentum, quoniam non videtur dedisse beneficium, qui malo animo profuit. Casus enim beneficium est, hominis iniuria. Leonem in amphitheatro spectavimus, qui unum e bestiariis agnitum, quum quondam eius fuisset magister, protexit ab impetu
2 bestiarum. Num ergo est beneficium ferae auxilium? Minime: quia nec voluit facere, nec benefaciendi animo fecit. Quo loco feram posui, tyrannum pone. Et hic vitam dedit et illa: nec hic, nec illa beneficium; quia non est beneficium, accipere cogi; non est beneficium, debere, cui nolis. Ante des oportet mihi arbitrium mei; deinde beneficium.

XX. Disputari de M. Bruto solet, an debuerit accipienda Vol. VII Opp. p. 277 Hatt., ubi Prometheum vocat Iasonem propter summam eius astutiam et prudentiam a Cic. de Off. I, 30 laudatam.

Casus.....hominis iniuria. Casui debetur beneficium, homini autem iniuria est adscribenda.

Leonem etc. Historiam hanc eamdem narrat Aul. Gell. Noct. att. V, 13, et Aelian. VII, 48 N. Anim.; ille ex Apionis Plistonicae libro V Aegyptiorum, quem Tiberii aetate vixisse constat. Potes et de leonis mansuetudine Plin. consulere lib. VIII Hist. Nat. et Philostrat. lib. VII.

Magister. Est dominus, qui nunc ad pugnam bestiarum in theatro adstabat. Androcles vulgo nominatur.

Num est ergo beneficium... animo fecit. Errare Annaeum nostrum patet; nam quis leonem credat dum magistrum ab irruentium bestiarum impetu vindicat, non illi bene velle, non animo bene faciendi agere? At placebat Stoicis et nostro feras dicere animi omnino expertes. Iuven. Sat. XV, 149: *His animas, nobis animum dedit.*

Quia non est.....cui nolis. Quam falsum erat quod supra exagitavimus, Non benefaciendi animo feram egisse, tam sunt ridicula haec quae subiunxit Annaeus. Nam nec accipere coactus erat bestiarius ille quem leo protegebat; nec ille beneficium debuit nolens, aut cui debere noluit. Nam verisimile est plus aliquantulum ferae auxilio bestiarium superbivisse, quam si humana ope aut vulgari quoquo modo incolumis evasisset.

XX. Ang. Brutum, etsi a I. Caesare vitam impetraverit post bellum civile et Pharsalicam cladem, non Caesari obligatum fuisse, qui dandi beneficii ius per iniuriam assecutus erat.

De M. Bruto. M. Iunius Brutus

cipere a D. Iulio vitam, quum occidendum eum iudicaret. Quam rationem in occidendo sequutus sit, alias tractabimus. Mihi enim, quum vir magnus fuerit in aliis, in hac re videtur vehementer errasse, nec ex institutione Stoica se egisse, qui aut regis nomen extimuit, quum optimus civitatis status sub rege iusto sit; aut ibi speravit libertatem futuram, ubi tam ma- 3
gnum praemium erat et imperandi, et serviendi; aut existimavit civitatem in priorem formam posse revocari, amissis pristinis moribus; futuramque ibi aequalitatem civilis iuris, et staturas suo loco leges, ubi

quem Caesaris interfectorem omnes norunt, se in bello civili ad Pompeium magnum aggregavit, sed acie Pharsalica male gesta se recepit ad *Divum Iulium* Caesarem, ei non solum ignoscentem, sed magni quoque facientem. Plutarch. Brut. c. 4, Tom. V Reisk. p. 354 sq. Caeterum unus Seneca tradidit, nisi fallor, Brutum iam eo consilio ad Caesarem rediisse, ut eum occideret.

Alias tractabimus. In librorum Senecae deperditorum quodam, forsan Moralium.

Ex institutione Stoica. Institutio Stoica docet, esse viri boni, legibus parere, et civilis officii non ignarum utilitati omnium consulere. Cic. de Fin. III, 19. Sed docuit quoque, eiusdem esse, mortem adeo oppetere pro Republica, et cariorem esse patriam nobis quam nosmetipsos. Egregia sunt quae Seneca h. l. de hac re attulit, optimis etiam recentioris aevi scriptoribus historiae rom. probata: ideoque dolendum est, periisse librum, in quo fusius rem pertraclasset. Caeterum Reipubl. liberae amicos sententiam tulisse videre licet ap. Plut. V, 367 sq. et Cic. Epist. VI, 15. XII, 1 etc.

Se egisse. Recte hoc Lips. et Gron. ex omnibus codd. et edd. restituerunt quum Muretus et Gruter., hac lectione, ut inepta, reiecta, invexissent *se gessisse.* Cf. Gronovii Obss. IV, 14, p. 688 ed. lips.

Quum optimus..... sub rege iusto sit. Vereor ne Seneca principali potentiae mancipatus h. l. esse videatur. Nam si dixisset posse felicitatem et gloriam reipublicae sub rege competere, aut, Taciti instar, certis temporibus optimam administrandarum rerum formam regnum esse, et omnia in unum conferri aliquando pacis interesse, veritatem hic sectari potius videretur quam imperatori morem gerere. Sed hic absoluto sensu dicta res servilem et obnoxium animum arguit. Tum debuit cogitare non esse ei necessario parendum qui vi princeps factus est. Ille enim etsi iustitiae amans est, non iustus est rex, quum non e iure regnet. Sed Caesarum primum non carpsit, Caesarum haeredi assentaturus.

Ubi tam magnum... serviendi. Ibi enim libertas manere non potest ubi praemia invitant altioris ingenii virum ut imperio potiatur, minores

viderat tot millia hominum pugnantia, non an servirent, sed utri. Quanta vero illum aut rerum naturae, aut urbis suae tenuit oblivio, qui, uno interempto, defuturum credidit alium, qui idem vellet? 3 quum Tarquinius esset inventus, post tot reges ferro ac fulminibus occisos. Sed vitam accipere debuit: ob hoc tamen non habere illum parentis loco, qui in ius dandi beneficii iniuria venerat. Non enim servavit is, qui non interfecit; nec beneficium dedit, sed missionem.

XXI. Illud magis venire in disputationem potest

viros ut huic opem ferant, et summam rerum tradant.

Vtri coniecerat Rud. Agricola, postea detectum a Grut. in cod. Naz., cui haec nota addita erat: *Pompeio an Iulio.* Muretus invenerat in vetere libro *servi*, unde fecit *cui.* Erasmus: *servirent servitutem*: qui tamen et *utri* praetulit. Mox idem Erasmus dedit ex coni. *in ius dandi beneficii*, quod Grut. superscriptum Cod. Naz. invenit. Antea legebatur: *qui unius dandi* aut *intus dandi.* — *Non an servirent, sed utri.* Nam ii etiam qui Pompeii partes sequebantur non tam libertatis et legum causam, etsi hanc prae se ferebant, tuebantur armis, quam ducis sui potestatem in dominium mox evasuram. Et ipse Pompeius, licet timide, summum imperium sibi deferri iamdudum cupiebat, minor sane audacia, ingenio, fortuna Caesaris, sed non melior Caesare. Et apud Lucanum, Cato, post Pharsalicam aciem in exercitum acerrime invehitur qui pro Pompeio, non pro libertate dimicavit. Lib. IX init. *Ergo pari voto gessisti bella, iuventus, Tu quoque pro dominis, et Pompeiana fuisti, Non Romana manus! Quod non in regna laboras, Quod tibi, non ducibus, vivis, moriensque quod orbem Acquiris nulli, quod iam tibi vincere tutum est, Bella fugis, quaerisque iugum cervice vacante, Et nescis sine rege pati?*

Post tot reges.... occisos. Etenim ante illum, tres ferro, unus fulmine perierant.

Debuit, Brutus.

Missionem. A re gladiatoria desumpta et translata est illa locutio. Mittitur qui liberatur. Pugna dicitur *sine missione*: quum necessum est caedere, aut caedi. Ego II Saturn. Lips. Conf. de Ira, I, 16, 29. Epist. 37, 2 not.

XXI. Arc. Varios casus enumerat in quibus quid faciendum ambigi potest. V. g. si captivo pretium redemptionis impurus ore promiserit, quo pacto agendum; si beneficium offeratur, offerenti nociturum, at honestum, an accipi par sit; si furto paratam pecuniam aliquis largiatur, reciperene illam debeamus, ut restituamus, an statim respuere. Et exempla duo coniuncta sunt, Arcesilai et Iulii Graecini.

aliquam, quid faciendum sit captivo, cui redemptionis pretium homo prostituti corporis et infamis ore promittit. Patiar me ab impuro servari? servatus deinde, quam illi gratiam referam? Vivam cum obscoeno? non vivam cum redemptore? Quid ergo placeat, dicam: etiam ab aliquo tali accipiam pecuniam, quam pro capite dependam; accipiam autem tanquam creditum, non tanquam beneficium. Solvam 2
illi pecuniam, et si occasio fuerit servandi periclitantem, servabo: in amicitiam, quae similes iungit, non descendam; nec servatoris illum loco numerabo, sed foeneratoris, cui sciam reddendum quod accepi. Est aliquis dignus a quo beneficium accipiam, sed danti nociturum est; ideo non accipiam, quia ille paratus mihi cum incommodo, aut etiam periculo suo prodesse. Defensurus est me reum, sed illo patroci- 3
nio regem sibi est facturus inimicum. Inimicus sim, si quum ille pro me periclitari velit, ego, quod facilius est, non facio, ut sine illo pericliter. Ineptum et frivolum hoc Hecaton ponit exemplum Arcesilai, quem ait a filio familias oblatam pecuniam non accepisse, ne ille patrem sordidum offenderet. Quid fecit laude dignum? quod furtum non recepit? quod ma-

Infamis ore. Non solum propter impudentiam, qua de rebus obscoenis loqueretur, sed ob usum oris in re venerea. Senecae tempore, orbe terrarum pacato, nonnisi piratarum in manus civis rom. cadere poterat, atque ex iis redimi. A barbaris populis, si quis forte in eorum potestatem cecidisset, nulla redemptio fuisse videtur.

Deinde. Sic dant omnes codices Mss. apud Gruterum. Antea erat *denique*.

Defensurus... inimicum. Exemplo est M. Tullius Cicero, qui Roscium Amerinum feliciter defendendo in Chrysogoni inimicitiam incurrit, ideoque Sullam, cuius ille fuit libertus, sibi fecit inimicum: qua re motus Roma relicta in Asiam secessit. Ipse Seneca tali modo offendisse videtur Caium Caligulam, qui, Dione Cassio referente LIX, 19, parum abfuit quin necari eum iuberet.

Hecaton. De Hecatone quem iam supra laudavit cf. ad I, de Benef. 3, 9; de Arcesilao ad II, 10, 1.

Digitized by Google

luit non accipere, quam reddere? quae est enim alie-
4 nam rem non accipere moderatio? Si exemplo magni animi opus est, utamur Graecini Iulii viri egregii, quem C. Caesar occidit ob hoc unum, quod melior vir erat, quam esse quemquam tyranno expediret. Is quum ab amicis conferentibus ad impensam ludorum pecunias acciperet, magnam pecuniam a Fabio Persico missam non accepit. Et obiurgantibus his, qui non aestimabant mittentes, sed missa, quod repu-
5 diasset: Ego, inquit, ab eo beneficium accipiam, a quo propinationem accepturus non sim? Quumque illi Rebilus consularis, homo eiusdem infamiae, maiorem summam misisset instaretque, ut accipi iuberet:

Graecini Iulii. Iulius Pomponius Graecinus hic traducitur, de quo cf. ad Epist. 29, 5. Erat senatorii ordinis et pater Iulii Agricolae, cuius vitam Tacitus descripsit. Est etiam in scriptt. Rei rusticae saepe citatus a Columella.

Ludorum. Vetus ita mos, quia largiter effundendum in voluptates illas populi, passim amici, imo et provinciae, conferebant.

Fabio Persico. Fabius Paulus Persicus consul fuit sub Tiberio anno V. C. 787, Christ. nat. 34, cum L. Vitellio Nepote. Tacit. Annal. lib. VI, cap. 28. Vnde cognomen *Persicus* ei haeserit, ignoratur. Cf. infra IV, 30.

Propinationem. Quia nempe ore infamis impurusque ferebatur. Mart. lib. XI, ep. 2c, 1: *Incideris quoties in basia fellatorum, In solio puto te mergere, Flacce, caput*; et lib. XI, epig. LXI: *Lingua maritus, moechus ore Manneius, Summoenianis inquinatior buccis.... mediumque mavult basiare quam summum.* Apposite laudat quoque Lipsius eiusdem Martialis lib. II, Epig. XV, iocum: *Quod nulli calicem tuum propinas, Humane facis, Herme, non superbe.*

Rebilus. Quis ille Rebilus fuerit, ignorare se fatetur doct. *Ruhkopf.* Nos certe in Fast. consularibus Caninium Rebilum invenimus, insignem et brevitate consulatus quem septem tantum horis gessit: creatus enim est a Caesare pro Q. Fabio Maximo mortuo prid. Kal. Ianuar. (trigesima prima die Decembris); et dicterio Ciceronis qui nullum ait vigilantia tam mirifica fuisse, qui toto suo consulatu somnum non vidisset. Vid. ad Famil. lib. VII, epist. XXX. Atqui ille ann. Vrb. cond. 709, ant. Chr. nat. 45 consul fuit. Hinc quidem ad Caium imperatorem anni 81 circiter effluxere. Sed Annaeus non dicit Caii temporibus vixisse Rebilum et admodum iuvenem fuisse Graecinum verisimile est, quum id dixit; nam munus populo ii praesertim edebant qui dignitates publicas ambibant, et qui ambibant iuventutem saepe nondum egressi erant. Tum e Fastis notum est Graecinum

Rogo, inquit, ignoscas; nam et a Persico non accepi. Vtrum hoc munera accipere est? an senatum legere?

XXII. Quum accipiendum iudicaverimus, hilares accipiamus, profitentes gaudium: et id danti manifestum sit, ut fructum praesentem capiat. Iusta enim causa laetitiae est, laetum amicum videre: iustior, fecisse. Grate ad nos pervenisse indicemus effusis affectibus: quod non ipso tantum audiente, sed ubique testemur. Qui grate beneficium accepit, primam eius pensionem solvit.

XXIII. Sunt quidam, qui nolunt nisi secreto accipere: testem beneficii et conscium vitant: quos scias licet male cogitare. Quomodo danti in tantum producenda notitia est muneris sui, in quantum delectatura est eum cui datur, ita accipienti adhibenda concio est. Quod pudet debere, ne acceperis. Quidam furtive agunt gratias, et in angulo, et ad aurem. Non 2
est ista verecundia, sed infitiandi genus. Ingratus est, qui, remotis arbitris, agit gratias. Quidam nolunt

consulatu ornatum ann. Chr. nat. 16: potuit ergo Rebilum et Persicum sic obiurgare fere ann. 4 ant. Chr. nat.: nam quadraginta annos nati consulatum adipiscebantur. Hoc modo minime mirum est hunc usque in annum vixisse Caninium Rebilum.

Vtrum.... legere. I. e. Graecinus tam caute egit in beneficiis accipiendis, quasi si senatum legeret, in quem nonnisi probos purosque admittas.

XXII. Arg. Vbi accipiendum iudicaveris, hilariter et sereno vultu accipiendum, et quasi memorem animum pollicearis dauti.

Pensionem, solutionem certis temporibus divisam et dispensatam.

XXIII. Arg. Non, ut quidam faciunt, de dante loquendum maligne; id non accipiendum quod accepisse te pudeat.

Concio omnes fere codd. Alii *conscio*, *conscientia*: quae magno Pinciano tamen in causa fuere, ut *adhibendus conscius* emendaret. At nil opus esse ea medela, docet locus Senecae de Clem. I, 1: O vocem in concionem omnium mortalium mittendam! — *Concio*, populus et turba. Sensus est: multi sunt convocandi quibus acceptum beneficium palam narres.

Quidam.... nomina secum fieri. Pincianus maluit: *quidam volunt nomina secum fieri* contra omnes codd., sensuque non postulante. Nec Huet. ab antiqua lectione recessit; adscripsit enim margini: quidam nolunt nomina sua referri in syllabum

nomina secum fieri, nec interponi pararios, nec signatores advocari, nec chirographum dare: idem faciunt, qui dant operam ut beneficium in ipsos collatum quam ignotissimum sit. Verentur palam ferre, ut sua potius virtute, quam alieno adiutorio consecuti dicantur. Rariores in eorum officiis sunt, quibus aut vitam, aut dignitatem debent: et dum opinionem clientium timent, graviorem subeunt ingratorum.

XXIV. Alii pessime loquuntur de optime meritis. Tutius est quosdam offendere, quam demeruisse: argumentum nihil debentium odio quaerunt. Atqui nihil magis praestandum est, quam ut memoria nobis meritorum haereat, quae subinde reficienda est: quia nec referre potest gratiam, nisi qui meminit; et qui meminit, iam refert. Nec delicate accipiendum est, nec submisse et humiliter. Nam qui ne-

debitorum, expensum sibi ferri. Itaque nihil mutandum. — Sensus est: *quidam nolunt* contractus de debito fieri. *Nomina* enim *facere* de creditore plerumque dicitur, qui summam pecuniae, nomine debitoris adiuncto, in tabulis suis scribit. Cf. Ernesti Clav. Cic. h. v.

Pararios, qui efficiunt, ut pecunia credatur debitori, proxenetas, conciliarios. Idem esse videntur quod nobis *courtier de commerce*. Cf. III, 15, 2.

Officiis, salutatione, deductione, etc. quae praestabant obnoxii aut clientes: verentur, ne pro clientibus habeantur.

XXIV. Ano. Eorum vituperatio qui se, dum magnitudinis speciem aucupantur, putide erga dantem gerunt, et delicate, supine, fastidiose, tacite munera accipiunt, quasi et in accipiendo veniam dent et faveant. Eorum contra laudatio qui beneficium verbis amplificant et maxime se obligatos ostendunt.

Demeruisse. H. e. bene meruisse, bene fecisse.

Tutius est... quaerunt; sensum, se depressos esse, superbia in odium mutat. Nolunt quoquam esse inferiores, et ne quisquam de beneficiis opinionem habeat, oderunt, inprimis si paulo maiora sint. Epist. XIX extr. Lipsius laudat Tacit. Annal. IV, 18: *Nam beneficia eo usque laeta sunt, dum videntur exsolvi posse; ubi multum antevenere, pro gratia odium redditur.*

Nisi qui meminit; et qui meminit, iam refert. Pinciano haec lectio debetur. Erasmus ultima: *et qui.... refert* non habet. Alii omittunt media *et qui meminit*, praestantque *eam refert.*

Delicate. Cum fastu et superbia, ut hic facit qui in deliciis vivere se iactitat. Et infra explicat per

gligens est in accipiendo, quum omne beneficium recens placeat, quid faciet, quum prima eius voluptas refrixerit? Alius accepit fastidiose, tanquam qui dicat: "Non quidem mihi opus est; sed quia tam valde vis, faciam tibi mei potestatem." Alius supine, ut dubium praestanti relinquat, an senserit: alius vix labra diduxit, et ingratior, quam si tacuisset, fuit. Loquendum pro magnitudine rei impensius, et illa adiicienda: "Plures quam putas, obligasti." Nemo enim non gaudet beneficium suum latius patere. "Nescis quid mihi praestiteris: sed scire te oportet, quanto plus sit quam aestimas." Statim gratus est, qui se onerat: "Nunquam tibi gratiam referre potero; illud certe non desinam ubique confiteri, me referre non posse."

XXV. Nullo magis Caesarem Augustum demeruit, et ad alia impetranda facilem sibi reddidit Furnius, quam quod, quum patri Antonianas partes secuto veniam impetrasset, dixit: "Hanc unam, Caesar, habeo iniuriam tuam; effecisti ut viverem et morerer ingratus." Quid est tam grati animi, quam nullo modo

2

τὸ *fastidiose* et *supine*. Vbi vid. nos.

Fastidiose, non libenter, parvi faciens, quasi non mereantur accipi. Sic noster Epist. XLIV, 2: *Castra quoque quos ad laborem et periculum recipiunt, fastidiose legunt.* Phaedrus fab. III prolog. vers. 23: *fastidiose tamen in coetum recipior*, i. e. quasi immerito.

Tanquam qui dicat. Dubitabat Pinc. de integritate horum verborum: sed omnes Mss. praebent, et bonam esse dictionem latinam notum nunc est: pro *tanquam si dicat*: exemplum quidem dedit Gronov. e Cic. de Off. I, 15, 6, ubi tamen Heusing. habet: *Etenim si*, non *qui*, quod Gronov. suaserat.

Qui se onerat, elegans et rarior huius verbi significatio haec est, qua quis sibi decori vel honesti observandi necessitatem impositam innuit. Cf. ad Senec. de Clem. I, 1, 6; ad Consolat. Polyb. 22, 3.

XXV. Anc. Eamdem materiam sequitur, adiecto C. Furnii exemplo qui gratias quam maximas Caesari egit, vita patris impetrata, qui Antonii partes secutus erat. Chrysippi apta comparatio affertur.

Furnius. Caius Furnius, qui Consul fuit a. V. 736. At pater eius, item Caius, inter Consulares relatus ab Augusto: quia designatus non

sibi satisfacere? quam nec ad spem quidem exaequandi unquam beneficii accedere? His atque eiusmodi vocibus id agamus, ut voluntas non lateat, sed aperiatur et luceat. Verba cessent licet, si quemadmodum debemus affecti sumus, conscientia eminebit in vultu. Qui gratus futurus est, statim dum accepit, de reddendo cogitat. Chrysippus quidem dicit, illum velut in certamen cursus compositum et carceribus inclusum, opperiri debere suum tempus, ad quod velut dato signo prosiliat. Et quidem magna illi celeritate opus est, magna contentione, ut consequatur antecedentem.

XXVI. Videndum est nunc, quid maxime faciat ingratos. Aut nimius sui suspectus, et insitum mortalitati vitium se suaque mirandi, aut aviditas, aut invidia. Incipiamus a primo. Nemo non benignus est sui iudex; inde est, ut omnia meruisse se existimet, et in solutum accipiat: nec satis suo pretio se aestimatum putet. Hoc mihi dedit; sed quam sero, sed post quot labores! quanto (1) consequi plura potuissem, si

iniverat a. V. 723. L. Occurrit quoque Fornius apud Cicer. Epist. Div. X, 26; et Tacit. Ann. IV, 52.

Compositus, commissus, qui cum altero s. pare certat: locus erat in Circo, stadio, unde cursores, στα-διοδρόμοι, currere incipiebant, vocatus *carceres* (sic Virg. Georg. I, v. 512: Vt cum carceribus, etc.) Inde *signo dato* a magistratu ludos edente, et ligno ferrove transverso, quod cursores coërcebat, in terram demisso, in stadium prosiliebant, ut priorem posterior *consequeretur* et superaret.

Chrysippus. ...prosiliat. Imago haec satis obvia est notaque vel Nov. Test.

Antecedentem. Benefactorem, qui tempore praeivit. Cf. de his omnibus Faber et Salmas. ad Solin. p. 642 sq.

XXVI. Arg. Quibus de causis homines ingrati fiant, nunc excutitur. Et hae multae sunt. Prima est, quod per nimium nostri amorem et aestimationem, nos a benefactore satis accepisse nunquam putamus, et nos in turbam coniectos esse semper conquerimur.

Aut nimius sui suspectus. Erasmus vestigiis Mss., in quo *suspectos*, ductus mutavit sic veterem lectionem *aut nimium sui suspectum*.

In solutum. I. e. quasi non datum, sed debitum: non fiat cum eo nomen, sed expungatur.

(1) Sic malo cum Lipsio aliisque.

illum, aut illum, aut me colere maluissem! Non hoc speraveram. In turbam coniectus sum; tam exiguo dignum me iudicavit; honestius praeteriri fuit.

XXVII. Cn. Lentulus augur, divitiarum maximum exemplum, antequam illum libertini pauperem facerent (hic qui quater millies sestertium suum vidit; proprie dixi: nihil enim amplius quam vidit), ingenii fuit tam sterilis, quam pusilli animi. Quum esset avarissimus, nummos citius emittebat, quam verba: tanta illi inopia erat sermonis! Hic quum omnia incrementa sua D. Augusto deberet, ad quem attulerat pauperatem, sub onere nobilitatis laborantem, princeps iam civitatis et pecunia et gratia, subinde de Augusto

Ruhkopfii editio *quando*, errore operarum, nam interrogationis notam post *maluissem* servat. Noviasimus editor Parisiensis vitium haud suspicatus, et *quando* pro *quandoquidem* interpretatus, interrogationis notam puncto commutavit, sententiamque corrupit. Ego tamen rectius, ut puto, mirationis puncto dixtinxi. *T.*

Praeteriri optimi codd.; alii *praeterire*. In numero capientium non fuisse. Adspectum ad Senatores qui praeteriri dicuntur quum non lecti. Sed in repulsa ab honoribus hoc verbum.

XXVII. Aug. Sequuntur causae immemoris animi. Nempe quod quum aliquid datur, aliquid demitur. Exemplum lepidum a Cn. Cornel. Lentulo augure conquerente quod, pecunia ingesta, eloquentiae fama iam nulla esse possit. Tum quod non satis datum videatur.

Cn. Lentulus augur. De eo Sueton. Tib. 49: Set constat Cn. Lentulum augurem, cui census maximus fuerit, metu et angore ad fastidium vitae ab eo (Tiberio) actum, et, ut ne quo, nisi ipso herede moreretur... Cf. de eo Lipsius ad Tacitum Annal. IV, 44.

Antequam illum libertini eius *pauperem facerent*. Moneo, ne putes, pauperem eum fuisse comparatum cum libertinis Claudii, Pallante et Narcisso. Pallas enim Claudii libertus possidebat ter millies HS. Cf. Tacit. Annal. XII, 53 fin. Ditior proinde his libertinis fuit Lentulus, qui tamen a libertis suis sensim pecunia sua privabatur.

Hic qui cod. Naz. Antea *hic*, omisso *qui*. Seneca sic loqui amat.

Quater millies sestertium. Sunt 400,000,000 H. S. vel nostrae monetae circiter 81,516,667 fr. Lips. et Gron. supputationes non curandae.

Ingenii fuit tam sterilis, q. pusilli animi optime correxit Pinc.; et Erasmus: *fuit tam... quam animi*, omisso *pusilli*. Mox *sub onere nobilitatis* cum Grut. et Gron. ex optimis codd. et antiq. edd. praetuli alteri lectioni *sub honore n.* Cf. Cic. de Off. III, 2, 5 Heusing. not. Consol. ad Polyb. 22, 3, de Clem. I, 1, 6 not.

Digitized by Google

solebat queri, dicens a studiis se abductum, nihil tantum in se congestum esse, quantum perdidisset,
2 relicta eloquentia. At illi inter alia hoc quoque divus Augustus praestiterat, quod illum derisu ac labore irrito liberaverat. Non patitur aviditas quemquam esse gratum; nunquam enim improbae spei, quod datur, satis est. Eo maiora cupimus, quo maiora venerunt: multoque concitatior est avaritia in magnarum opum congestu collocata; ut flammae infinito
3 acrior vis est, quo ex maiore incendio emicuit. Aeque ambitio non patitur quemquam in ea mensura honorum conquiescere, quae quondam eius fuit impudens votum. Nemo agit de tribunatu gratias, sed queritur, quod non est ad praeturam usque perductus; nec haec grata est, si deest consulatus; ne hic quidem satiat, si unus est. Vltra se cupiditas porrigit, et felicitatem suam non intelligit: quia non unde venerit, respicit, sed quo tendat.

XXVIII. Omnibus [1] his vehementius et importunius malum est invidia, quae nos inquietat, dum comparat. Hoc mihi praestitit: sed illi plus, sed illi maturius: et deinde nullius causam agit, contra omnes sibi favet. Quanto est simplicius, quanto prudentius,

Quo m. ven. quo maiora accepimus. Cf. N. Heins. ad. Ovid. Ep. IV, 113.

Aeque.... impudens votum. Simillimus locus est de Ira III, 31.

Satiat, sc. eum. Sic scribendum e mss. suadet Pincianus; concinunt optimi codd. Gruteri et ipse Erasmus, qui habet *satiet*. Alii dant aliter.

Si unus est, si semel tantum hoc labore functus est. Multa similia hic congeri possunt, sed brevitatis studio omitto.

(1) Hic potius capitis sectio facienda erat, haud infra in verbis *Hoc mihi*. T.

XXVIII. Arg. Eiusdem materiae continuatio: iniucundissimum et ad tollendam gratiam maxime idoneum cogitare plus alicui datum minus digno quam nobis. Ad id cogitare non esse viri sapientis. De benefico homine idem sentiendum quod de fortuna quae muneratur aliquando non dignos, nec a deteriore parte liberalitatem spectandam.

Sibi favet invidus: non diiudicat merita, sed se praeferendum censet.

Digitized by Google

beneficium acceptum augere: scire neminem tanti ab alio, quanti a se ipso aestimari? Plus accipere debui, sed illi facile non fuit plus dare; in multos dividenda liberalitas erat. Hoc initium est; boni consulamus, et animum eius, grate excipiendo, evocemus. Parum fecit; sed saepius faciet. Illum mihi praetulit; et me multis. Ille non est mihi par virtutibus, nec officiis; sed habuit suam venerem. Querendo non efficiam, ut maioribus dignus sim, sed ut datis indignus. Plura illis hominibus turpissimis data sunt; quid ad rem? quam raro Fortuna iudicat! Quotidie querimur, malos esse felices; saepe quae agellos pessimi cuiusque transierat, optimorum virorum segetem grando percussit. Fert sortem suam quisque, ut in caeteris rebus, ita in amicitiis. Nullum est tam plenum beneficium, quod non vellicare malignitas possit: nullum tam angustum, quod non bonus interpres extendat. Nunquam deerunt causae querendi, si beneficia a deteriore parte spectaveris.

XXIX. Vide quam iniqui sint divinorum munerum

Prudentius. Sic codex Pinc. et optimi ap. Grut. Alii *purius* s. *pudentius*. Simplicitas autem comprehendit pudorem candidumque animum, non item prudentiam. Cf. Heusinger. ad Cic. de Off. I, 26, 11.

Boni consulamus. Nota locutio pro: in bonam partem rem accipiamus, ne irascamur.

Sed habuit suam venerem. Nexus postulare videtur, ut oratio sic procedat: Etsi non omnibus virtutibus et officiis excellat, quibus ego emineo, tamen iis non omnino destitutus est: et suas ipse proprias virtutes habet, quibus placet. Simili fere modo quoque Lipsius cepisse videtur, interpretatus: suum gratiam, suum illicium, laudato Plin. H. N. XXXV, 10. Gronovius tamen potius fortunam quam gratiam interpretatur, ab eo, quod in talorum lusu felicissimus iactus, dicebatur Venus.

A deteriore parte, scilicet qua deficiunt, aut vincuntur, non ea, qua vincunt.

XXIX. Arg. Teleologia Senecam quoque usum esse ad deorum beneficentiam demonstrandam libenter videmus: quam quidem Stoae esse probatam constat, quippe quae omnia deorum et hominum causa producta esse docuit: Epicureis casu omnia regi existimantibus; Platone, homines totius causa adesse, non vice versa, docente, cui quidem discipulus Aristoteles assentiri non dubitavit.

Digitized by Google

aestimatores, etiam quidam professi sapientiam. Querunturquod non magnitudine corporis aequemus elephantes, velocitate cervos, levitate aves, impetu tauros: quod solidior sit cutis belluis, decentior damis, densior ursis, mollior sibris: quod sagacitate nos narium canes vincant, quod acie luminum aquilae, spatio aetatis corvi, multa animalia nandi felicitate. 2 Et quum quaedam ne coire quidem in idem natura patiatur, ut velocitatem corporum et vires; ex diversis ac dissidentibus bonis hominem non esse compositum, iniuriam vocant: et in negligentes nostri deos querimoniam iaciunt, quod non bona valetudo et virtus inexpugnabilis data sit,quod non futuri scientia. Vix sibi temperant, quin eo usque impudentiae provehantur, ut naturam oderint, quod infra deos sumus, 3 quod non in aequo illis stetimus. Quanto satius est ad contemplationem tot tantorumque beneficiorum

Etiam quidam professi sapientiam. In his Philosophis primum obtinet locum Theophrastus, Aristotelis discipulus, qui moriens accusasse naturam dicitur, quod corvis et cornicibus vitam diuturnam...hominibus... tam exiguam vitam dedisset. Cic. Tusc. III, 28. Epicureos idem sensisse constat e Lucretii loco noto de Rer. Nat. V, 201 sq. Conferri meretur Plin. H. N. VII procem. Sed iam Aristoteles de Part. Anim. IV, 30, Xenoph. Memor. Socr. IV, 3, et Cic. de N. D. II, 60 sq. hanc opinionem et querelam temerariam refutarunt.

Felicitate. Quidni admittamus hanc omnium codd. et edd. ante Pinc. et Muretum *facilitate* emendantium, veterem lectionem? Hac enim virtute nos multa animalia vincant, quippe iis insita, atque fortunam iis faciente.

Et vires. Addunt pauci et ii non bonae notae codd. post *et vires* haec verba: *pares animalibus habeamus*, quibus optimi ap. Pinc. Modium in Novantiq. Lectt. Epist. XXIX et Grut. carent.

Dissidentibus. H. e. Quod uno in corpore esse simul nullo modo possunt, ne Deo quidem iubente: ut v. g. corporis nostri compagem et volandi facultatem, aërem per pneumonas ita haurire et expellere, ut spirandi vices vitam servent, et sub aquis degere, rapide ex infantia in adolescentiam, ex hac in maturam aetatem pervenire, et tres aut quatuor saeculis durare, etc.

Virtus: bene defenditur a Lipsio, qui ad corporis virtutem sive robur transfert: exstat in omnibus codd. et edd., correcta a Pinc. et Mureto in *vitus*. Quidni de virtute ipsa animi intelligatur?

reverti, et agere gratias, quod nos in hoc pulcherrimo domicilio voluerunt secundas sortiri, quod terrenis praefecerunt. Aliquis ea animalia comparat nobis, quorum potestas penes nos est? Quidquid nobis negatum est, dari non potuit. Proinde quisquis es iniquus aestimator sortis humanae, cogita quanta nobis tribuerit parens noster, quanto valentiora animalia sub iugum miserimus, quanto velociora consequamur: quam nihil sit mortale non sub ictu nostro positum. Tot virtutes accepimus, tot artes, animum denique, cui nihil non eodem quo intendit momento pervium est, sideribus velociorem, quorum post multa saecula futuros cursus antecedit; tantum deinde frugum, tantum opum, tantum rerum aliarum super alias acervatarum. Circumeas licet cuncta: et quia nihil totum invenies, quod esse te malles, ex omnibus singula excerpas, quae tibi dari velles. Bene aestimata

Secundas sortiri. Ab egregio Pinciano est illa lectio, qui repererat *secunda* in suis mss., deinde a Grut. in optimis suis codd. inventum: antea legebatur *saecula sortiri.* — *Secundas sortiri.* Suppl. *partes.* Sic dicitur *primas occupare.*

Non sub ictu nostro positum. Valet, subiectum nobis et obnoxium: quod tangere, quod ferire possumus. Contra est, quod VII, 7, 3 de Benef. Deum extra ictum sua divinitas posuit.

Tot virtutes accepimus, non quasi sint innatae; Stoae haec repugnaret, sed Stoa docuit, animo natura sic comparato, ut bonum desideret ametque, mala aversetur, vero assentiatur, falsum repudiet; eum prima vita haec propius inspicere, liberrime agere, atque ideo virtutes et artes sibi conciliare posse, sapientiamque doceri et disci.

Cui nihil non eodem.... pervium est. H. e. qui rapidissimo cursu orbem pervagatur, et haec etiam quae invia corporeis sensibus sunt, facillime penetrat, et eo ipso temporis articulo quo penetrare cupit. Quod mox sequitur *sideribus velociorem* ridemus nos hodie qui stare sidera novimus. Tum *siderum* motus qui quidem apparet non ita rapidus est ut mentis humanae velocitati comparetur. Ceterum h. l. apposite laudat Lipsius versum Homeri notissimum Odyss. ή, 36: Τῶν νέες ὠκεῖαι ὡσεί πτερὸν ἠὲ νόημα, quorum naves celeres sunt sicut ala avium vel cogitatio; antecedit cogitatione phantasia atque supputatione. Conferenda Lipsii Physiologia Stoicorum, lib. III, cap. 19.

Deinde. Consentiunt mss. scribuntque *tantum deinde:* quod cur non feramus? Antea *denique.*

Bene aestimata, etc. Supple: si

naturae indulgentia, confitearis necesse est, in deliciis te illi fuisse. Ita est: carissimos nos habuerunt dii immortales, habentque. Et qui maximus tribui honos potuit, ab ipsis proximos collocaverunt. Magna accepimus, maiora non cepimus.

XXX. Haec, mi Liberalis, necessaria credidi, ut dicerem, et quia loquendum aliquid de magnis beneficiis erat, quum de minutis loqueremur: et quia inde manat etiam in caetera huius detestabilis vitii audacia. Cui enim respondebit grate, quod munus existimabit aut magnum, aut reddendum, qui summa beneficia spernit? Cui salutem, cui spiritum debebit, qui vitam accepisse se a diis negat, quam quotidie ab illis petit? 2 Quicumque ergo gratos esse docet, et hominum causam agit, et deorum: quibus nullius rei indigentibus positis extra desiderium, referre nihilominus gratiam possumus. Non est, quod quisquam excusationem mentis ingratae ab infirmitate atque inopia petat, et dicat: Quid enim faciam, et quomodo? quando superioribus

haec accurate exploraveris, quatenus coëant, tunc bene aestima naturae indulgentiam. Cariorem Diis hominem quam sibi esse (Iuvenal. Sat. X, 350) et naturam nos cogitasse, antequam fecerit, nec tam leve nos opus esse, ut illi potuerimus excidere, egregie antiquior philosophia docuit, nec Stoa humanitati defuit. Multa vett. hac de re loca collegit Gatacker ad Marc. Antonin. II, 11, p. 62 sq.

Et qui maximus..... collocaverunt: animus humanus enim est pars ipsa deorum. Loca Senecae et Stoicorum reliq. e. c. Consol. ad. Helv. c. 6, de Vit. Beat. c. 32. Epictet. Diss. I, 14 collegit Lipsius in Physiol. Stoic. III, 8.

Non cepimus. Non capaces fuimus maiorum.

XXX. Ano. Quod tam copiose de magnis beneficiis disseruerit se excusat, causamque hanc affert, necessariam hanc digressionem fuisse de minutis locuturo. Quam enim de parvis gratiam habiturus est, si post magna accepta ingratus fuerit? Dein reddi beneficia, ubi libenter accipiuntur et grato animo.

Manat etiam in cetera. Sic optimi codd. Pinc. et Grut. Antea *intercet.* Mox est e cod. Naz. *aut magnum*, quum alibi *aut* deesset.

Huius detestabilis vitii, ingrati animi; *negat* Epicurei assecla, qui Deos a cura nostri removet, casui et atomis omnia permittit.

dominisque rerum omnium gratiam referam? Referre facile est, si avarus es, sine impendio: si iners, sine opera. Eodem quidem momento, quo obligatus es, si vis, cum quolibet paria fecisti: quoniam qui libenter beneficium accepit, reddidit.

XXXI. Hoc ex paradoxis Stoicae sectae minime mirabile; ut mea fert opinio, aut incredibile est: eum qui libenter accipit beneficium, reddidisse. Nam quum omnia ad animum referamus, fecit quisque, quantum voluit; et quum pietas, fides, iustitia, omnis denique virtus intra se perfecta sit; etiamsi illi manum exserere non licuit, gratus quoque potest esse homo voluntate. Quoties quod proposuit quis consequitur, capit operis sui fructum. Qui beneficium dat, quid 2
proponit? prodesse ei cui dat, et voluptati sibi esse. Si, quod voluit, effecit, pervenitque ad me munus eius, ac mutuo gaudio affecit; tulit quod petiit. Non enim sibi invicem aliquid reddi voluit: aut non fuit beneficium, sed negotiatio. Bene navigavit, qui, quem 3

Si iners, sine opera Muretus restituit. Antea *si iners opera*. Codd. ap Grut. *si ineas operam*.

Paria fecisti i. e. rationibus redditis, reliqua nulla est.

XXXI. Aug. Fusius nunc explicat, aggrediturque demonstrare quod superioris cap. fine iam dictum fuit: beneficium, ubi eo animo quo datur, accipitur, iam reddi; Stoicorumque dogma auxilio vocat qui ad animum omnia referunt. Idem de grato animo dici potest quod de pietate, fide, iustitia. Atqui omnia haec in mente esse quis negat? Indignum est si quis ad Fortunam remittatur ut sensus suos exserat et significet.

Ex paradoxis. Paradoxa, quae sunt contra opinionem omnium, inprimis spectabant ad sapientem. Ipsa Cicer. Paradoxa docent, quae videas licet.

Nam quum.... referamus. Hinc ap. Cic. Acad. II, 45: quasi corporis simus expertes, animum solum complectitur.

Quant. vol. I. e. tantum fecit quantum voluit facere, etsi non exequatur.

Et voluptati sibi esse. Pinciani debemus mss., cui adstipulantur Grut., inprimis cod. Naz. Antea nullo sensu: *dat ex voluntate, supra est*.

Munus eius est Pinciani coniectura, digna quam in textum reciperem. Cf. c. 33, 3: Hunc percepit, qui quo voluit munus suum pertulit. Male hic confert Grater. III, 17, 3.

Negotiatio, foeneratio et mercа-

destinavit portum, tenuit. Teli iactus certae manus peregit officium, si petita percussit beneficium: qui dat, vult excipi grate; habet quod voluit, si bene acceptum est. Sed speravit emolumentum aliquod: non fuit hoc beneficium, cuius proprium est nihil de reditu cogitare. Quod accipiebam, si eo animo accepi
2 quo dabatur, reddidi. Alioquin pessima optimae rei conditio est: ut gratus sim, ad Fortunam mittor. Si illa invita respondere non possum, sufficit animus animo. Quid ergo? non quidquid potero, et faciam ut reddam? temporum rerumque occasionem sequar, et eius implere sinum cupiam a quo aliquid accepi? sed malo loco beneficium est, nisi et excussis manibus esse grato licet.

XXXII. Qui accepit, inquit, beneficium, licet animo benignissimo acceperit, non consummavit officium

tura. Cf. Ernesti Clav. Cic. sub vocc. *negotiator* et *negotiatio*, ubi commentatio de negotiatoribus rom. quae exstat in I. A. Ernesti Opuscul. phil. crit. nr. 1, in epitomen redacta est. Expressit noster Cleanthem. Cf. infra VI, 12 extr.

Ad Fortunam mittor: quia ab ea opes et externa petenda, quae refundat. Atqui ea in nostra potestate non sunt, nec illorum numero quae Stoici dicunt τὰ ἐφ' ἡμῖν: ab illa pendent: nulla autem virtus ab illa venit, ergo nec gratitudo.

Ut excepi e Pinc. emendante loco et. Ceterum noli cum Gratero suspicari hic quaedam deesse. Error eius est, semper aliquid deesse, plenius Senecam haec pertractasse, siquando acciderit, ut varient codd. mss. Quasi mirum esset, quod varient in auctore tam frequenter lectitato ab omni genere hominum, atque descripto!

Temporum, rerumque occasionem, εὐκαιρίαν.

Malo loco beneficium est. Hoc est malum et vix idoneum hominem dona nostra nacta sunt; sterili et malignae terrae semen credidimus. Simillima haec loquendi proprietas est τῷ *male iacet*, quod lib. I Benef. iam notavimus.

Excussis, vacuis: ducta haec loquendi ratio ab hoc quod, dum aliquid scrutamur, vestem excutimus, quae dum convertitur et demittit quae continet, vacua fit; vel quod excuti aliquid iubemus, ut sciamus an vacuum illud sit. Porro non vere manus excutitur. Tamen credi potest interdum potuisse avarum sive in vita, sive in scenicis fabulis, servo furaci dicere, postquam tunicam et pallium et indusium et omnia excuti iusserit: *Excute et manus.*

XXXII. Anc. Opus tamen esse, ut consummaverit officium qui accipit

suum; restat enim pars reddendi: sicut in lusu est aliquid pilam scite ac diligenter excipere, sed non dicitur bonus lusor, nisi qui apte et expedite remisit, quam exceperat. Exemplum hoc dissimile est: quare? quia huius rei laus in corporis motu est, et in agilitate, non in animo; explicari itaque totum debet, de quo oculis iudicatur. Nec tamen ideo non bonum lu- 2
sorem dicam, qui pilam, ut oportebat, excepit, si per ipsum mora, quo minus remitteret, non fuit. Sed quamvis, inquit, arti ludentis nihil desit, quia partem quidem fecit, sed et partem quam non fecit, potest facere: ludus tamen ipse imperfectus est, qui consummatur vicibus mittendi ac remittendi. Nolo 3
diutius hoc refellere; existimemus ita esse: desit aliquid lusui, non lusori; sic et in hoc de quo disputamus, deest aliquid rei datae, cui pars altera debetur, non animo, qui animum parem sibi nactus est; quantum in illo est, quod voluit, effecit.

munus aliquod, non grato dumtaxat animo, sed et redditione beneficii. Imperfectum sine hoc esse opus. Exemplum a pila lusoria quam et apte recepisse et scite remisisse necessarium omnino fit, ut bonus lusor audias.

Sicut in lusu.... pilam, trigonalem. Cf. ad II, 17, 3. Manu *excipitur* missa pila et remittitur ad tertium, qui ad primum lusorem remittere debebat. Hinc explices *vices* § 2 reiterationes missae pilae.

Exemplum hoc dissimile est. Hoc ipse sibi Noster obiicit quod mox comparationem suam explicando refellit. Hinc enim patet, quamquam aliquid dissimilitudinis est inter duas res, simillimas tamen has esse, et non modo comparari posse, sed valere a priore ad posteriorem consequentiam.

Si per ipsum.... non fuit. Si quae mora obstaculo fuit remittere pilam volenti, a causa aliena pendet, quam ipse amoliri non potuit.

Inquit. Adversarius quilibet. Hoc Annaeus de more suo.

Cui pars altera debetur. Omnium scriptt. et edd. lectio. Muretus ex ingenio dedit: *cui par alta*. Sed perperam. — *Pars altera* sunt vices. Vtitur eodem vocabulo, quo usus fuerat adversarius, et subtiliter distinguit inter beneficium et opus beneficii, rem datam: illud animo utrimque respondente, hanc maneam, nisi quid reddatur. Res data, quae manca est, comparatur cum ludo, animus cum lusore.

Digitized by Google

XXXIII. Beneficium mihi dedit: accepi non aliter, quam ipse accipi voluit. Iam habet, quod petit, et quod unum petit: ergo gratus sum. Post haec usus mei restat, et aliquod ex homine grato commodum; haec non imperfecti officii reliqua pars est, sed perfecti accessio. Facit Phidias statuam: alius est fructus artis, alius artificii; artis est, fecisse quod voluit: artificii, fecisse cum fructu. Perfecit opus suum Phi-
2 dias, etiamsi non vendidit. Triplex est illi fructus operis sui: unus conscientiae; hunc absoluto opere percepit: alter famae; tertius utilitatis, quem allatura est aut gratia, aut venditio, aut aliqua commoditas. Sic beneficii fructus primus ille est, conscientiae: hunc percepit, qui quo voluit, munus suum pertulit; secundus est famae; tertius eorum, quae praestari invicem possunt. Itaque quum benigne acceptum est beneficium, is qui dedit, gratiam quidem iam recepit, mercedem nondum. Debeo itaque quod extra beneficium est, ipsum quidem bene accipiendo persolvi.

XXXIV. Quid ergo? inquit. Retulit gratiam, qui nihil fecit? Primum fecit: bono animo bonum obtulit;

XXXIII. Anc. Continuatio eiusdem materiae. Comparatio beneficii cum statua optima. Huius triplicem fructum, conscientiae nempe, famae, utilitatis. Triplicem pariter fructum beneficii, quod postquam collatum est, conscius sibi boni faciuoris qui bene fecit erit, tum famam adipiscetur, denique mercedem habebit, ergo utilitatem percipiet. Sic perfectum beneficium, modo haec tria contigerint; sin unum e tribus defuerit, iam beneficium imperfectum fore.

Ergo gratus sum Cod. Naz. al.: plurimi tamen *ego gratus sum*. Male.

Accessio. Haec non ad officium necessario pertinet, si quis viribus destituitur: pertinet, si vires adsint.

Phidias. Cf. de hoc Socratis coaevo ad Epist. IX, 4.

Tertius emendavit Pincianus. Impressi autem et codd. habent *tertius et eorum*. Mea sententia, ait Grut., valde male.

XXXIV. Anc. Excursus de vocum significatione multiplici, qua fit ut uni vocabulo duplex, triplex, quadruplex sensus competat. De hoc disserit, ut se sibi consentientem ostendat, et quae modo dixit et repugnare sibi crediderit, optime conquadrare nos docet.

Bonum obtulit Mss. ad unum omnes et Erasmus. *Retulit* coni. Pin-

et, quod est amicitiae, ex aequo. Post divide: aliter beneficium, aliter creditum solvitur. Non est quod exspectes, ut solutionem tibi ostendam: res inter animos geritur. Quod dico, non videbitur durum, quamvis primo contra opinionem puguet tuam, si te commodaveris mihi, et cogitaveris res esse plures, quam verba. Ingens copia est rerum sine nomine, quas non 2
propriis appellationibus notamus, sed alienis commodatisque. Pedem et nostrum dicimus, et lecti, et veli,

cian. et Muretus in textum recepit. Sed Lipsius *obtulit* iure praetulit.

Et, quod est amicitiae, ex aequo. Suppl. *fecit.* Amicitia non facile sine aequalitate quadam constare potest: est enim ea quasi amicitiae conditio. Conf. Cic. Dialog. De Amic. V, etc.

Post divide. Sic cum Pinciano legam, i. e. distingue. Vetus lectio: *Posse deinde*, quae sine sensu est: quare Gruterus ait: ego circa hunc locum videor magnum odorari ulcus, sed invisum. Lipsius ait: mihi haec sana, et comicum est; *Postinde, Postdeinde*: eadem cum simplicibus. Apposui haec, ut lectori iudicandi per ipsum copia sit. — *Divide.* Haec vox in Senatu solemnis erat, si quis in consiliando res distinctas suapte coniunxerat, et qui post eum loquebatur, e prioris sententia quaedam recipienda censuerat, quaedam vero respuenda.

Non est..... ostendam. Non opus est ostendere, quomodo haec solutio fiat.

Si te commodaveris i. accommodaveris: eodem modo Cic. Ep. ad Divers. XIII, 53, ubi *Scheller* eò *te* in Lexico delere voluit, sed perperam. Bene autem Ruhnken. in praef. ad Schelleri Lexicon latinobatavum h. v., Facciolato (Anim. cr. in Lexica p. 127) et Dukero (ad Liv. XXXIII, 48) praeeuntibus, monuit, de iis quae non eadem reddantur, hoc verbum usurpatum esse.

Res esse plures, quam v. Pinc. unus et omnes Grut. codd. Antea: *res esse magis quam.*

Ingens copia est rerum sine nomine. Observatio haec de translatione vocabulorum multiplici nunc tritissima est, nec defuit iis viris doctis, qui et de origine et de natura rationeque universali linguarum philosophati sunt, e. c. Sulzero, Herdero, Mouboddo, Harris, etc. Cf. tamen, si tanti est, Ernesti iun. Lexic. technol. lat. rhet. h. voce.

Alienis commodatisque. Sic Pinc. unus et Grut. codd., quum antea esset: *sed aliunde commodatis.* — *Commodatisque.* H. e. quae a rebus propinquis similibus mutuati sumus; ut oestrum ab οἶστρος, insecto famoso quod usque et usque aculeo nos pungens in furias agit; cornu, quod proprio sensu armaturam nativam frontis significans, mox de exercituum alis, fluminum seue dividentium canalibus, Lunae phasibus dictum fuit.

Et veli. Pes veli, πούς, sunt funes, quibus vela, vento poscente, vel intenduntur, vel remittuntur, ita ut navis cursus iis tanquam pede suo nitatur. Cf. Virgil. Aen. V, 830

et carminis: canem, et venaticum, et marinum, et sidus. Quia non sufficimus, ut singulis singula assignemus; quoties opus est, mutuamur. Fortitudo est virtus, pericula iusta contemnens: aut scientia periculorum repellendorum, excipiendorum, provocandorum. 3 Dicimus tamen et gladiatorem fortem virum, et servum nequam, quem in contemptum mortis temeritas impulit. Parcimonia est scientia vitandi sumptus supervacuos, aut ars re familiari moderate utendi: parcissimum tamen hominem vocamus pusilli animi et contracti; quum infinitum intersit inter modum et angustias. Haec alia sunt natura; sed effecit inopia 4 sermonis, ut et hunc et illum parcum vocemus; ut

ibique Heyn. et Schneideri Lexicon crit. graecogerm. sub πούς ed. II. Hanc *pedis* significationem antiquissimam esse constat Homeri testimonio, qui Odysseae lib. V, 260, de navi ab Vlysse confecta dixit: κάλους τε πέδας τ' ἐνέδησαν ἐν αὐτῇ. Catullus Carm. IV, 21, *utrumque pedem* in exprimenda navigatione commodissima adhibet. Vid. Vulp. pag. 21; et Vossium, pag. 12 et 13; et Salmasium, Exercit. Plin. tom. I, p. 400; Potter. ad Lycoph. v. 1015; Graev. ad Cic. lib. XVI, Epist. Attic. 6; Burmann. ad Ovid. Fast. III, 565.

Sidus. Vel potius ἀναστερισμός siderum series quae ignota pro causa κύων apud Graecos, canis vel canicula apud Romanos nominata sunt, quamvis minime *canis* speciem praebeant. Horat. Carminib. libr. I, od. XVII: *Hic in reducta valle Caniculae Vitabis aestus.* Alius: *Torquet et exustas insana Canicula messes.* Cuius ἀναστερισμοῦ Sirius est stella primae magnitudinis, quae calori praeerat. Caeterum potuisset noster, quoniam de variis unius vocis significationibus disserebat, addere Canem in talorum ludo unitatem esse et casum in hanc faciem ubi unitas erat; qui casus infelicissimus omnium senioni opponebatur. Canis praeterea Cynicum designat, ut apud Graecos κύων. Martial. lib. III, epig. LIII, ad Cosmum: *Hunc quem saepe vides inter penetralia nostrae Pallados et templi limina, Cosme, novi, Cum pera baculoque senem, cui cana putrisque Stat coma, et in pectus sordida barba cadit... Esse putas Cynicum, deceptus imagine falsa: Non est hic Cynicus, Cosme; quid ergo? canis.*

Parcimonia. Plin. H. N. XXII, 24, homines animi humilis et praeparci, quos illi (Graeci) dixere micropsychos. Cf. Is. Casaub. ad Theophr. Char. pag. 124, ed. Fisch. qui graecam vocem μικρολόγος a Seneca expressam vult, et alia hominum parcorum nomina apud Comicos praesertim obvia comparat.

Haec alia sunt natura. Haec in se differunt, et aliam naturam habent.

et ille fortis dicatur cum ratione fortuita despiciens, et hic sine ratione in pericula excurrens. Sic beneficium est et actio, ut diximus, benefica, et ipsum quod datur per illam actionem; ut pecunia, ut domus, ut praetexta. Vnum utrique nomen est: vis quidem ac potestas longe alia.

XXXV. Itaque attende; iam intelliges, nihil me, quod opinio tua refugiat, dicere. Illi beneficio quod actio perficit, relata gratia est, si illud benevole excipimus: illud alterum quod re continetur, nondum reddidimus, sed volumus reddere. Voluntati voluntate satisfecimus, rei rem debemus. Itaque quamvis retulisse illum gratiam dicamus, qui beneficium libenter accepit; iubemus tamen aliquid simile ei quod accepit, reddere. A consuetudine quaedam quae dicimus, ab- 2
horrent: deinde de alia via ad consuetudinem redeunt. Negamus iniuriam accipere sapientem: et tamen qui illum pugno percusserit, iniuriarum damnabitur. Negamus rem stulti esse: et tamen eum qui rem aliquam

Sic beneficium est et actio, ut diximus, benefica. Sic optime Pinc. et Grut. codd., quum antea esset: *Sic beneficium et actio dicitur beneficii et ipsum.* Quum alii codd. habeant *diximus bona*, alii *est actio*, Gruterus hic odoratur vulnera, ut medici dicunt, *χρυπτὰ καὶ ὑπόνομα.*

Illi beneficio, rei ipsi quae datur, operi beneficii.

XXXV. Arg. Supra dicta repetit iungitque, et ait rei rem reddendam, animo animum, sed hoc magis esse, et beneficio gratiam reddi, simul ac grato animo accipitur.

Illud alterum, de quo dixerat, rem inter animos geri, quae mentem spectat, quod spirituale barbare voceres.

A consuetudine. Apposite laudat Lipsius Senecae de Const. sap. 3, 2, not. de iisdem Stoicis: Ita sublato alte supercilio in eadem ac caeteri descenditis, mutatis rerum nominibus. Quae sequuntur sunt Paradoxa Stoae. Cf. Lipsii Manuduct. III, 11.

Neg. ini. acc. sap. Scilicet non ut sapiens, sed ut homo, pugnos accepit. Vide Tom. I, Libr. de Constantia Sapientis, et inprimis cap. 2.

Negamus rem stulti esse. Sic Erasmus et unus pal.: at *rem* non comparet in Naz. cod., nec apud Vincent. bellovac. spec. historial. VI, 28, qui habet: *Negamus stulti quicquam esse*: alii dant: *Negamus stulti aliquid esse.* Sed vulgata praeferenda est. —*Stulti* i. qui neque proficientes neque sapientes sunt, εἰ φαῦλοι, ut tales privantur re, remque publicam capessunt. Cf. Lipsii Manud. III, 20.

stulto surripuerit, furti condemnabimus. Insanire omnes dicimus; nec tamen omnes curamus elleboro: his ipsis quos vocamus insanos, et suffragium et iurisdictionem committimus. Sic dicimus eum, qui beneficium bono animo accepit, gratiam retulisse: nihilominus illum in aere alieno relinquimus, gratiam
3 relaturum, etiam quum retulerit. Exhortatio est illa, non infitiatio beneficii. Ne timeamus, neve intolerabili sarcina depressi deficiamus animo. Bona mihi donata sunt, et fama defensa, detractae sordes, spiritus et libertas potior spiritu; et quomodo referre gratiam potero? quando ille veniet dies, quo illi animum meum ostendam? hic ipse est, quo ille suum ostendit. Excipe beneficium, amplexare, gaude: non quod

Insanire omnes dicimus est optimorum Pinc. et Grut. codd. lectio quum alii *scilicet stultos dicimus* habeant, Lipsius et Grou. τῷ *scilicet* eliminato *stultos* retineant. Grutero adsentior, utramque vocem expungenti auctoribus codd. Mss. Stoice enim loquitur Seneca. At illa: *scilicet stultos esse*, esse glossema, facile est videre. —*Insanire omnes dicimus*. Παραδόξον quod in deliciis Stoici habuere, et commendavit eloquentiae illecebris et fuco Tullius Parad. IV, ὅτι πάντες οἱ μαῖροὶ μαίνονται. Sequutus est Horat. Serm. lib. II, sat. III; quae tota circa hoc argumentum versatur.

Nec tamen omnes curamus elleboro. Elleborus herba quae ad insaniam curandam perutilis censebatur. Hanc ex Anticyra trahebant Romani. Hor. lib. II, sat. III: *Danda est ellebori pars multo maior avaris; Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.* Pers. Sat. IV, 16: *Anticyras melior sorbere meracas.*

Iurisd. Ius tribunalis conscendendi et pronuntiandae iustitiae.

In aere alieno relinquimus. Ab aere alieno non liberamus. Debitorem obligatumque linquimus.

Etiam quum retulerit omnium codd. est. Antea *reddiderit*.

Exhortatio....beneficii. Non hoc eo consilio dicimus, ut honor suus beneficiis detrahatur, atque gratiarum actio diminuatur, sed ut ad danda accipiendave beneficia adhortemur. *Infitiari* est creditum fraudare, ideoque beneficiorum acceptionem negare. Cf. Festus p. 300, 30. Godofr. Itaque non opus est, ut beneficiis acceptis timeamus, etc.

Detractae sordes, reatus remotus. Reos enim Romae vestibus sordidis luctus causa fuisse indutos constat. Sic infra IV, 12, 3.

Spiritus i. e. vita, Suppl. defensus, aut donatus.

Excipe... amplexare. Gradatio notanda in verbis. Oblatum munus ne sperne, sed sinito ad te venire, et manu excipito; dein amplexare brachiis.

Digitized by Google

accipias, sed quod reddas, debiturusque sis. Non adibis tam magnae rei periculum, ut casus ingratum facere te possit. Nullas tibi proponam difficultates, ne despondeas animo, ne laborum ac longae servitutis exspectatione deficias; non differo te: de praesentibus fiat. Nunquam eris gratus, nisi statim sis. Quid ergo facies? non arma sumenda sunt: et fortasse erunt. Non maria emetienda: fortasse etiam ventis minantibus solves. Vis reddere beneficium? benigne accipe, retulisti gratiam: non ut solvisse te putes, sed ut securior debeas.

Quod reddas. Melius omnino videretur forsan *quod redditurus* ut mox *debiturusque sis.* Perperam, neque ex praecedentium sententia. Eo nempe tempore quo recipis, non iam redditurus es, sed reddidisti et reddis, quum hoc animo accipias quo ille dedit; debiturus tamen es, non beneficium quidem, sed rem.

Non arma sumenda... erunt. Arma sumi necessarium non est, quamquam et id possibile est. Sumantur, non sumantur, hoc nihil refert, neque de tantulo res est.

Non ut... debeas. Non te liberatum iam ab aere alieno existimes, sed non ob aes alienum timeas et anxius sis.

Digitized by Google

DE

BENEFICIIS

LIBER TERTIVS.

Digitized by Google

ARGVMENTVM

LIBRI TERTII.

Agit de Ingratis. Qui illi sint? et an puniendi, aut ad iudicem vocandi? Accurata disputatione negat: et addit, poenam iis in Odio et Infamia esse, atque Animo ipso. Deinde ex occasione, an Dominus in servum gratus esse debeat? an ab illo Beneficium accipiat? Affirmat, et hoc uberius, quia creber tunc servorum usus. Annectit, An filius patri det Beneficium? Disputat in utramque, sed affirmantem affirmat. LIPSIVS.

Digitized by Google

L. ANNAEI SENECAE

AD

AEBVTIVM LIBERALEM

DE BENEFICIIS

LIBER TERTIVS.

I.

Non referre beneficiis gratiam, et est turpe, et apud omnes habetur, Aebuti Liberalis. Ideo de ingratis etiam ingrati queruntur, quum interim hoc omnibus haereat, quod omnibus displicet: adeoque in contrarium itur, ut quosdam habeamus infestissimos non post beneficia tantum, sed propter beneficia. Hoc pravitate naturae accidere quibusdam non negaverim: pluribus, quia memoriam tempus interpositum subduxit. Nam quae recentia apud illos viguerunt, ea interiecto spatio obsolescunt. De quibus fuisse mihi 2
tecum disputationem scio, quum tu illos non ingratos vocares, sed oblitos, tanquam ea res ingratum excuset,

I. Arg. Quis sit ingratus, inquiritur a cap. I usque ad cap. VI. In hoc vero specialius de ingratorum, quos omnibus vel ingratis displicere contendit, variis generibus. Alii sunt pravitate naturae sontes, alii ob interiectum temporis spatium. Tum alii in hoc peccant quod beneficium negent, alii quod dissimulent, alii quod non reddant; in hoc quidam quod ne meminerint quidem. Et hoc depravatissimi animi indicium esse demonstrat.

Et apud omnes habetur. H. e. apud omnes, eos etiam qui simili vitio laborant, vitium existimatur vituperaturque acerrime.

Quum.... haereat. Quum hoc vitium, ingratitudo, omnibus ingratis nihilominus haereat, quamvis iis ipsis displiceat.

Infestissimos. Pro inimicis. Apud

quae facit; aut, quia hoc accidit alicui, non sit ingratus, quum non accidat, nisi ingrato. Multa sunt genera ingratorum, ut furum, ut homicidarum; quorum una culpa est; caeterum in partibus varietas magna. Ingratus est, qui beneficium accepisse se negat, quod accepit: ingratus est, qui dissimulat: ingratus, qui non reddit: ingratissimus omnium, qui oblitus
3 est. Illi enim si non solvunt, tamen debent: et exstat apud illos vestigium certe meritorum intra malam conscientiam conclusorum, et aliquando ad referendam gratiam converti ex aliqua causa possunt, si illos pudor admonuerit; si subita honestae rei cupiditas, qualis solet ad tempus etiam in malis pectoribus exsurgere; si invitaverit facilis occasio: hic nunquam fieri gratus potest, cui totum beneficium elapsum est.
4 Et utrum tu peiorem vocas, apud quem gratia beneficii intercidit, an apud quem etiam memoria? Vitiosi

Ciceron. contra est, habere infestum, idem quod vexare, e. c. ad Att. IX, 16. Cf. Festus h. v.

Aut quia hoc, etc. Sic omnes codd. et vetustissimae edd. Erasmus tamen *an*. Gruterus se hinc expedire non potuit. Lipsio vulgata placuit. Gron. hinc fecit, *ut*, *quia haec a*. Sententia, ait, eadem: sed haec vis est particulae *ut* interdum, ut praeponatur interrogationi. Sic apud Plaut. Trinum. II, 2: *Ego indotatam tu uxorem ut patiar?* Trucul. IV, 2: *Ego ut haec mihi patiar fieri?* Enimvero illud *ut* hic nullam locum habet, quum nulla indignatio nullusve affectus exprimatur. Emendatione non opus est, sed interpretatione: oblivio, ait, ingratum non excusat, potius crimini est, quum ipsa ingratum facial, nec nisi ingrato obrepat. Hic sensus exit, interpunctione mutata. Antea erat: *oblitos: tamquam...facit. An...ingrato?*

Vt furum. Sc. *ut* multa sunt genera *furum*, etc.

In partibus. I. e. gradu modoque. Spectant autem haec ad dogma Stoae, peccata omnia esse paria: quatenus a lege discedunt peccantes. Cf. Tiedemann. System. III, p. 153.

Qui dissimulat. Qui libens occulit, non prae se fert. Sic dissimulata actio ap. Quintil. IV, 1, 60, dicitur esse oratoris, qui nec verbis, nec vultu, nec gestu nimium promitit, sed artem suam quasi occulit, celat: eodem modo Quint. IV, 2, 117, compositionem dissimulatam usurpat, in qua ars non apparet.

Intra malam conscientiam. Intra animi latebras contumacis et superbi et nihil nisi semetipsum amantis, ita ut prae tumore vix sibi conscius sit accepti muneris.

Intercidit. Periit, cessit; iam non est. Cicer. pro reg. Deiot. cap. 25

oculi sunt qui lucem reformidant; caeci, qui non vident. Et parentes suos non amare, impietas est: non agnoscere insania. Quis tam ingratus est, quam qui quod in prima parte animi positum esse debuit, et semper occurrere, ita seposuit et abiecit, ut in ignorantiam verteret? apparet illum non saepe de reddendo cogitasse, cui obrepsit oblivio.

II. Denique ad reddendam gratiam, et virtute opus est, et tempore, et facultate, et adspirante fortuna. Qui meminit, sine impendio gratus est. Hoc, quod non operam exigit, non opes, non felicitatem, qui non praestat, nullum habet quo lateat patrocinium. Nunquam enim voluit gratus esse, qui beneficium tam longe proiecit, ut extra conspectum suum poneret. Quemadmodum quae in usu sunt, et manum quotidie tactumque patiuntur, nunquam periculum situs adeunt: illa quae ad oculos non revocantur, sed extra

hunc Iambic. trimetr. acatalect. e Graeco nescio quo: *Pereant amici, dum inimici intercidant.*

Vitiosi oculi. Muretus emend. *lusitiosi oculi*, eumque sequutus est Gruterus. At recepta bona lectio est.

Vitiosi.. vident. Comparatio similis est Plutarchi de Atheis et Superstitiosis, quum illos nihil, istos prave videntibus assimilet et ideo illos palam deteriores putet esse. Lipsius ad Plutarch. de Superstit. c. 6, p. 66, T. VIII Opp. Hutt. respexisse videtur.

Quis tam ingratus est.. verteret? Quod ita verum est ut apud Romanos *immemor* saepe idem sonet cum *ingratus*, quasi non meminisse idem foret ac gratiam non referre: quod ipsum Senecam non notasse mirum est.

II. Anc. Meminisse vero iam est gratiam referre; et assidua memoria cultum beneficium aliquo modo redditur.

Virtute. Non sensu stoico eminentiore, quo est virtus ratio perfecta, Cic. Acad. Qu. I, 10; sed voluntate bona et illa persuasione, esse beneficium accipientis meminisse acceptorum, et gratiam referre, si occasio, opes viresque etc. adsint adspirentque.

Sine impendio gratus est. Sensus est: Gratiam accepti muneris reddit, nihil de suo penu, opibus, supellectile, tempore, voluptatibus, otio demens; nullam prorsus impensam faciens.

Situs. Sordium et corruptionis. Est graecum σὐρώς, sive interdum πῖνος, Gallic. quasi *moisissure*. Cf. Senec. Ep. 58, 3. Apulei. Florid. T. II. ed. bip. p. 139: Profecto, ut gladius non splendescit, situ rubiginat, ita vox in

conversationem, ut supervacua, iacuerunt; sordes ipsa colligunt vetustate: ita quidquid frequens cogitatio exercet ac renovat, memoriae nunquam subducitur, quae nihil perdit, nisi ad quod non saepe respexit.

III. Praeter hanc causam, aliae quoque sunt, quae nobis merita nonnunquam maxima velant. Prima omnium ac potissima, quod novis semper cupiditatibus occupati, non quid habeamus, sed quid petamus, inspicimus: non in id quod est, sed quod appetitur, intenti. Quidquid domi est, vile est, Sequitur autem ut, ubi quod acceperis, leve novorum cupiditas fecit,
2 auctor quoque eorum non sit in pretio. Amavimus aliquem et suspeximus, et fundatum ab illo statum nostrum professi sumus, quamdiu nobis placebant ea quae consecuti sumus: deinde irrumpit animum alio-

vagina silentii condita, diutino torpore hebetatur.

III. Ang. Immemoris animi alia causa est immodica cupidinum vis, quibus mancipati nova de novis usque optamus, et iis parum contenti quae vehementissime expetivimus, summaque esse credebamus, aliis iubiemus; ita ut praeterita obliviscamur, futura assidue cogitemus.

Prima omnium, etc. Antiqua est haec observatio, iam ap. Homer. Odyss. α, 351 sq. obvia, homines veteribus recentia praeferre ideoque rerum novarum studio teneri. Hinc Horat. Carm. III, 29, 33 monet: *Quod adest, memento Componere aequus*, etc. Pittacus unus e septem sic dictis sapientibus iam dixisse fertur, τὸ πκρὸν εῦ ποιεῖν esse optimum, h. e., egregie exponente T. Hemsterhusio ad Lucian. III, p. 365 sq. bip., res praesentes et quod fuerit oblatum, lucro apponere (Horat. Carm. I, 9, 14) inque rem suam convertere. Inconstantiam illam hominum saepe antiqui reprehenderunt, utpote expressam in Demo s. populi liberi imagine. Cf. Herodot. III, 81 ubique p. 239, 62 Valck. qui multa Ciceronis eo spectantia loca collegit, nec Demosthenis locum egregium p. 383, 5 ed. Reisk. neglexit. Conferri meretur Epictetus Diss. I, 24.

Prima omnium ac potissima. Sic Erasmus, al. Omnes tamen Pinc. et Grut. codd. *potentissimo*. Parum refert. Vtrumque occurrit. Sed vulgata nostro familiarior.

Inspicimus. Hanc vocem cod. Naz. et Col. omittunt.

Quidquid domi est... Sic habent omnes codd. omisso *enim*, quod vulgata habet.

Suspeximus. Demirati sumus, quasi summi ingenii hominem.

rum admiratio, et ad ea impetus factus est, uti mortalibus mos est ex magnis maiora cupiendi: protinus excidit, quidquid ante apud nos beneficium vocabatur. Nec ea intuemur, quae nos aliis praeposuere, sed ea sola quae fortuna praecedentium ostentat. Non 3 potest autem quisquam et invidere, et gratias agere; quia invidere, querentis et moesti est; gratias agere, gaudentis. Deinde quia nemo nostrum novit, nisi id tempus quod quummaxime transit; ad praeterita rari animum retorquent. Sic fit, ut praeceptores eorumque beneficia intercidant; quia totam pueritiam relinquimus: sic fit, ut in adolescentiam nostram collata pereant; quia ipsa nunquam retractatur. Nemo quod fuit, tanquam in praeterito, sed tanquam in perdito ponit: ideoque caduca memoria est futuro imminentium.

IV. Hoc loco reddendum est Epicuro testimonium,

Mos est, ex magnis maiora cupiendi. Horat. Carmin. lib. III, Od. XXIV, vs. ult.: *Improbae crescunt divitiae: tamen Curtae nescio quid semper abest rei.*

Nisi id tempus.... transit. Huetus margini adscripserat bene: instans et futurum.

Sic fit, ut praeceptores, etc. Repetit haec Seneca de Benef. VII, 28, 2. Si experientiam consulueris, multa haud dubie exempla occurrunt parum iucunda, quae veritatem huius observationis docere videntur: sunt tamen altera ex parte haud exigua, quae gratum animum in praeceptores bonos, nec mali eum merentur, testata sunt. Illa itaque levitati, haec bonitati naturae adscribam: neque tamen generalis inde regula deducatur, nec argumenti loco haberi possunt. Socrates enim, Plato, Zeno, Epicurus, etc. quanti aestimati sint a discipulis suis constat. Nec nostris temporibus defuere nec desunt, qui grati in praeceptores animi documenta ediderint edantve. Nonne huc pertinent quoque donationes quamplurimae, quibus instituta paedagogica inprimis a maioribus sunt ornata et condita? Seneca tamen ad corruptos sui aevi mores, et ad alumnum suum Neronem respexisse videtur. Cf. infra c. 17, 3; VI, 15, 1.

IV. Anc. Laus Epicuri facundissime in insaniam hominum disserentis qui praeteritas voluptates, quum solae securae sint, nec recordantur nec aliquid esse putant, vitamque omnem praesentium intuitu et futurorum finiunt, nil memoriae, pauca oculis, multa spei condonantes.

Hoc loco reddendum est, etc. Laudandus est Epicurus ob iudicium et sententiam bonam. Caeterum et haec Epicurum nonnisi de stultis, non de sapientibus pronuntiasse, patet a Cic.

Digitized by Google

qui assidue queritur, quod adversus praeterita simus ingrati; quod quaecumque percepimus bona, non reducamus, nec inter voluptates numeremus: quum certior nulla sit voluptas, quam quae iam eripi non
2 potest. Praesentia bona nondum tota in solido sunt; potest illa casus aliquis incidere: futura pendent, et incerta sunt: quod praeteriit, inter tuta sepositum est. Quomodo ergo gratus quisquam esse adversus beneficia potest, qui omnem vitam suam transilit praesentium intuitu ac futurorum? Memoria gratum facit: memoriae minimum tribuit quisquis spei plurimum.

de Fin. I, 17 sq., ubi est: Stulti autem malorum memoria torquentur...: praeterea bona praeterita non meminerunt, etc. Contra, sapientes bona praeterita grata recordatione renovata delectant.

Non reducamus. Optimi sic codd. Alii *in memoriam red.* Sed iam Erasm. notavit, videri illa: *in memoriam* adiecta esse ab enarratore, deinde Senecam et alios hoc verbo sine ulla adiectione gaudere uti pro verb. renovare, repetere. Gron. sic iam edidit laudavitque Cons. ad Helv. II, 2, ubi revocare est repetere.

Quum certior nulla.... voluptas. Cf. Senec. de Vit. Beat. c. 6.

Eripi non potest.... sepositum est. Cf. de Brevit. Vit. c. 10, 2 not. Sic Anthol. lat. III, 62, 7 Burm. est: *Pervixi: neque enim Fortuna malignior unquam Eripiet nobis quod prior hora dedit.* Similia e Pindaro Ol. II, 29 aliaque collegit Mitscherlich. ad egregium locum Horatii Carmin. III, 29, 41-48. Aristippi fere eandem sententiam servavit Athenaeus XI, c. 11, p. 544 a. b., quatenus vitam beatam unius esse temporis iudicabat: diversa tamen sensit Aristippus, si Athenaeo fides habeatur, quod neque praeteritum, neque futurum tempus ad se pertinere putavit, uno praesenti tempore bonum hominis metiens. Sed haec iam attigisse breviter video Schweigh. ad Athen. l. l.

Quomodo ergo gratus Pinc. in suis codd. invenit. Alii omittunt τὸ *ergo*.

Qui omnem vitam suam transilit praesentium intuitu ac futurorum? Memoria gratum facit: memoriae, etc. Vulgata habebat: *Transtulit? Praesentium intuitus ac praeteritorum memoria g. f.* Codd. tamen variant. *Transilit* dat. cod. Naz. omnes *intuitus.... futurorum*, non *praeteritorum* exhibent. Hinc distinctione mutata et unica litera (*intuitu* ex *intuitus*) detracta, fecit Gronov. lectionem, quam recepi in textum, ut nexui sententiae quam maxime consentaneam. Omitto Pinciani Gruterique emendationes magis auctorem quam librarios castigantes. Verbo memorabo Salmasii ad Epitect. et Simplic. p. 17, emendationem valde ingeniosam: *transilit praesentium totus ac f.*

V. Quemadmodum, mi Liberalis, quaedam res semel perceptae haerent; quaedam ut scias, non est satis didicisse: intercidit enim eorum scientia, nisi continuetur: Geometriam dico, et sublimium cursum, et si qua alia propter subtilitatem lubrica sunt: ita beneficia quaedam magnitudo non patitur excidere; quaedam minora, sed numero plurima, et temporibus diversa, effluunt; quia, ut dixi, non subinde illa tractamus; nec libenter, quid cuique debeamus, recognoscimus. Audi voces petentium! Nemo non victu- 2
ram semper in animo suo memoriam dixit: nemo non deditum se et devotum professus est, et si quod aliud humilius verbum, quo se oppigneraret, invenit. Post exiguum tempus, iidem illi verba priora, quasi sordida et parum libera, evitant: perveniunt deinde eo, quo, ut ego existimo, pessimus quisque atque ingratissimus pervenit, ut obliviscantur. Adeo enim ingratus est qui oblitus est, ut gratus sit cui beneficium in mentem venit.

VI. Hoc tam invisum vitium, an impunitum esse debeat, quaeritur: et an haec lex, quae in scholis

quia in cod. Naz. erat *tutos*. Comparat graec. ὅλος τῆς μουσικῆς etc. Sic *totus Dei* est ap. Valer. Flacc. Argonautic. I, 207. Senec. de Benef. VII, 26, 3, *lucri totus*. Sententia manet eadem.

V. Ang. Vt scientiarum quaedam, multa beneficia ea natura esse ut excidant effluantque. Nullum tamen non, dum petit, memorem se aeternum fore polliceri; paucos non statim oblivisci.

Sublimium cursum. Astronomiam designari a Seneca patet. Huetus annotaverat, τοὺς μετεώρων δρόμους. Cf. Senec. Nat. Quaest. VII, 1. Ergo *Sublimia* pro *stellae, sol*; ut apud Graecos τὰ μετέωρα.

Nemo non deditum se et devotum professus est. Omnium codd. et edd. lectio est, quam cum Gronov. teneam. Lipsii codex: *sed devotum*.

VI. Ang. Vsque ad caput 18 tractatur quaestio, utrum ingratus accusari et puniri an impunitus esse debeat. Hic solvit quaestionem, sed absque probatione et argumentis, aitque hanc culpam ex earum numero esse quas homo Diis reliquit puniendas, his in terris exosus, non supplicio tamen afficiens.

In scholis. Rhetorum. Nempe Se-

Digitized by Google

exercetur, etiam in civitate ponenda sit, qua ingrati datur actio, quae videtur aequa omnibus. Quidni? quum urbes quoque urbibus, quae praestitere, exprobrent, et in maiores collata a posteris exigant. Nostri maiores, maximi scilicet viri, ab hostibus tantum res repetierunt: beneficia magno animo dabant, magno
2 perdebant. Excepta Medorum gente, non est in ulla data adversus ingratum actio: magnumque hoc argumentum, dandam non fuisse: quia adversus maleficium omne consensimus; et homicidii, veneficii, parricidii, violatarum religionum, aliubi atque aliubi diversa poena est, sed ubique aliqua. Hoc frequentissimum crimen nusquam punitur, ubique improbatur: neque absolvimus illud; sed quum difficilis esset incertae rei ae-

neca pater exemplum actionis ingrati servavit in Controvers. lib. IV (IX), 1.

Aequa omnibus. Quae ad omnes ingratos similiter pertinet.

Quum urbes.... exigant. Exemplo sint Athenienses, qui re abello Medico a se gestas commemorant, quibus se res Graecorum et Lacedaemoniorum servavisse monstrant: quamobrem auxilium eorum se petitum venisse Lacedaemonem. Conf. Thuc. I, 73 sq.

Maximi scilicet viri. Grat. suspicatur, has voces ab amanuensi esse profectas.

Res repetierunt emendat Muretus. Antea *aes rep.* Erasmus omisit *aes* ...

Medorum. Muretus Var. Lectt. XII, 3 in veteri codice invenisse se ait: *Maedonum*, unde non dubium habet, quin legendum sit *Medorum*. Etsi omnes libri nobis coguiti obstinatissime *Macedonum* tenent, tamen hanc Mureti emendationem in textum recipere debui. Seneca, qui tenacissimae memoriae fuit, unam tantum gentem laudat, nec quisquam praeter *Medos*, i. e. Persas, alium populum, qui talem actionem tuitus esset, laudavit.

Excepta Medorum gente, etc. Morem hunc *Medorum* i. e. Persarum laudat Xenophon in Cyropaedia V, 2, 7, quem locum alioqui satis notum suppeditat Muretus Var. lect. XII, 3 p. 338 ed. Wolf. Halis Saxon. 1791. Ammian. Marcellin. XXIII fin. aliique. Nulla autem alia gens totius Antiquitatis hac adversus ingratum actione insignis est. Nec exemplum poenae, qua Philippus Macedoniae rex (infra IV, 37) militem ingratum affecit, probare potest, talem actionem apud Macedones in usu fuisse.

Actio, ut iurisperiti aiunt, ius aliquem reum agendi, et trahendi, ante tribunal et vindicandi in libertatem, in vincula, in restituendas pecunias, etc. *Nulla data adversus ingratum actio* ergo est: nullum in orbe terrarum tribunal est, nullus iudex, ante quem sisti aliquis eo nomine possit, quod immemor beneficii fuerit.

Digitized by Google

stimatio, tantum odio damnavimus, et inter ea reliquimus, quae ad iudices deos mittimus.

VII. Rationes autem multae mihi occurrunt, propter quas crimen hoc in legem cadere non debeat. Primum omnium, pars optima beneficii periit, si actio, sicut certae pecuniae, aut ex conducto et locato, datur. Hoc enim in illo speciosissimum est, quod dedimus vel perdituri; quod totum permisimus accipientium arbitrio. Si appello, si ad iudicem voco, incipit non beneficium esse, sed creditum. Deinde quum res ho- 2
nestissima sit, referre gratiam, desinit esse honesta, si necessaria est; non enim magis laudabit quisquam gratum hominem, quam eum qui depositum reddidit, aut, quod debebat, citra iudicem solvit. Ita duas res, quibus in vita humana nihil pulchrius est, corrumpimus, gratum hominem et beneficum. Quid enim 3
aut in hoc magnificum est, si beneficium non dat, sed commodat? aut in illo qui reddit, non quia vult, sed quia necesse est? Non est gloriosa res gratum esse, nisi tutum est, ingratum fuisse. Adiice nunc, quod

Odio damnavimus. Odimus; haec illi sola poena quam iure suo possunt ingrato infligere homines; sola infamia quam inurere est.

VII. 'Rationes quatuor enumerat cur nulla adversus ingratos actio esse soleat. Prima quod haec beneficii natura sit, ut arbitrio accipientium permittatur, neque iam id beneficium fore si ob gratiam non relatam actio sit, sed creditum. Secunda, quod desinit res honesta esse grati animi significatio, si necessaria fiat; atqui hanc necessariam fore, si hac absente in ius aliquis rapiatur. Tertia quod actionum nimius numerus foret. Quarta demum quod infinitam propemodum licentiam iudicibus permitteret, qui iam non tam iudices quam arbitri fierent, ob legum absentiam et beneficii parum cognitam naturam.

Sicut certae pecuniae. In stipulatione aut syngrapha expressae, quam nempe aliquis mutuari cupienti commodavit. Supplend. *actio*, quod paulo superius.

Si appello. I. e. si flagito et posco privatim, deinde ad iudicem, quod sequitur.

Citra iudicem. H. e. sine iudice; antequam ad iudicis legumque auxilium confugeres.

Gratum hominem et beneficum. Vulgata erat: *gr. hom. et beneficium* ante Pinc., qui recte fecit *beneficum*, probante Lipsio; etiam propter sequen-

Digitized by Google

huic uni legi omnia fora vix sufficient. Quis erit, qui non agat? quis, cum quo non agatur? omnes sua extollunt, omnes etiam minima, quae in alios contulere, [4] dilatant. Praeterea quaecumque in cognitionem cadunt, comprehendi possunt, et non dare infinitam licentiam iudici. Ideo melior videtur conditio causae bonae, si ad iudicem, quam si ad arbitrum mittitur: quia illum formula includit, et certos, quos non excedat, terminos ponit; huius libera, et nullis astricta vinculis religio, et detrahere aliquid potest, et adiicere, et sententiam suam, non prout lex aut iustitia suadet, sed prout humanitas et misericordia impulit, [5] regere. Ingrati actio non erat iudicem alligatura, sed regno liberrimo positura. Quid sit enim beneficium, non constat: deinde quantumcumque sit, refert quam benigne illud interpretetur iudex. Quid sit ingratus, nulla lex monstrat. Saepe et qui reddidit quod accepit, ingratus est; et qui non reddidit, gratus. De qui-

tia, quae omnia ad hominem ipsum talem referenda. Muretus refinxerat: *gratum animum et beneficium*.

Omnia fora. I. e. omnia iudicia totius imperii romani. Moneo hoc, ne cum Lipsio de trinis foris, quae Senec. de Ira II, 9 memorat, interpreteris.

Omnes suas extollunt, etc. Expressa haec sunt ex Aristot. VIII, c. 13 (15) de Moribus s. Ethic. Nicom. οἱ μὲν γὰρ παθόντες τοιαῦτά φασι λαβεῖν παρὰ τῶν εὐεργετῶν, ἃ μικρὰ ἦν ἐκείνοις, καὶ ἐξῆν παρ' ἑτέρων λαβεῖν, κατασμικρύνοντες· οἱ δ' ἀνάπαλιν, τὰ μέγιστα τῶν παρ' αὐτοῖς καὶ ἃ παρ' ἄλλων οὐκ ἦν, καὶ ἐν κινδύνοις ἢ τοιούταις χρείαις.

Praeterea.... possunt. I. e. nulla res in iudicium deducitur, quam non, quanti sit, aestimare possit iudex. Comprehendere animo, intelligere est ap. Ciceron. Orat. I, 18. Sic explicat Gruterus. Sed sequentia docent esse supplendum *legibus*.

Ideo melior..... causae bonae. Bona causa formulam non timere debebat. De arbitris hic locus classicus est.

Formula. Cognitionis nempe, ad cuius praescriptionem iudices debent iudicium suum dirigere, et quid cognoscendum iudicandumque sit, ex ea intelligere. Dabatur autem a praetore illa formula (*instruction* vocamus) quae *arbitro*, qui et ipse iudex erat, non data est: quippe qui nulla formula coërcitus, ex fide bona, ex aequo et bono controversiam dirimeret. Cf. Ernesti Clav. Cic. h. v.

Erat. Huetus not. mss. « fort. *erit*. Nihil tamen muto. » Nec opus est.

Ingrati actio.... positura. Quia for-

busdam etiam imperitus iudex dimittere tabellam potest: ubi fecisse, aut non fecisse pronuntiandum est, ibi prolatis cautionibus, controversia tollitur. Vbi vero 6
inter disputantes ratio ius dicit, ibi animi coniectura capienda est: ubi id, de quo sola sapientia decernit, in controversiam incidit, non potest ad haec sumi iudex ex turba selectorum, quem census in album, et equestris hereditas misit.

VIII. Itaque non haec parum idonea res visa est, quae deduceretur ad iudicem. Sed nemo huic rei satis idoneus iudex inventus est: quod non admiraberis, si excusseris, quid habiturus fuerit difficultatis, quisquis in eiusmodi reum exisset. Donavit aliquis magnam

mnla praetore praescribi non poterat, legibus quippe deficientibus, nec vi beneficii constituta.

De quibusdam.... potest. I. e. effari et pervulgare. Sane solent ex tabella iudices sententiam proferre, quod est notum. Sed et qui inter plures tabellam fert, dimittit eam, quam a se tradit quaesitori, sive praetori. Dixit Portius Latro *ferre tabulam* ap. Senecam patrem Controv. VII, 8: iudex quam tulit tabellam de reo, revocare non potest; quaesitor non mutabit pronuntiationem.

Cautionibus. Sic dicuntur scripturae ipsae, quibus creditori debitor cavet seque obstringit.

Ratio. Quae leges sequitur formulamque iuris; ei *sapientia* opponitur: haec ad dogma Stoicum de sapiente spectat, quae de beneficiis ideoque de re quae inter animos geritur, iudicare potest.

Vbi id, de quo, etc. Sermo est de causa publica, quam nos fere criminalem dicimus, in qua *iudices selecti*, lege iulia e Senatoribus et Equitibus selecti et in V decurias divisi (Suet. Calig. 16) sententiam ferebant, similes Anglorum *Jurymen* s. nostrorum *Jurés*. Cf. Sueton. Iul. 41; Clav. Cic. Quaestio.

Census in album. Census senatorius in *album*, tabulam s. indicem, misit, ubi indices scripti erant.

Equestris hereditas. Quicumque igitur docere poterat se quadringinta sestertia possidere, fuit eques, s. quoque lustro a Censore in album equitum relatus est. Cf. Ovid. III, Eleg. 8, 56 Amorum: *dat census honores. Inde gravis iudex, inde severus eques.* Plin. H. N. XIV praef. et XXXIII, 1.

VIII. Ano. Summi laboris rem esse diiudicare quis sit vitii gradus in viro ingrato. Namque res saepe aequas, inaequales animos; saepe dona minoris pretii esse, maioris vero beneficentiae mentem dantis. Exempla varia proferuntur.

Quisquis in.... exisset. Id est, quisquis sorte lectus venisset iudex in tali causa publica, in qua iudices a praetore sive iudice quaestionis per sortitionem, nominibus eorum ex urna sorte eductis, eligebantur. Hinc

pecuniam, sed dives, sed non sensurus impendium. Donavit alius, sed toto patrimonio cessurus. Summa
2 eadem est, beneficium idem non est. Etiam nunc adiice: hic pecuniam pro addicto dependit, sed quum illam domo protulisset; ille dedit eamdem, sed mutuam sumpsit, aut rogavit, et se obligari ingenti merito passus est. Eodem existimas loco esse illum, qui beneficium ex facili largitus est, et hunc, qui accepit ut daret? Tempore quaedam magna fiunt, non summa. Beneficium est donata possessio, cuius fertilitas laxare possit annonam: beneficium est unus in fame panis.
3 Beneficium est, donare regiones, per quas multa flumina et navigabilia decurrant: beneficium est, arentibus siti, et vix spiritum per siccas fauces ducentibus, monstrare fontem. Quis inter se ista comparabit? quis expendet? difficilis est sententia, quae non rem, sed vim rei quaerit. Eadem licet sint, aliter data non idem pendent. Dedit mihi hic beneficium; sed non libenter, sed dedisse se questus est, sed superbius me quam solebat, aspexit; sed tam tarde dedit, ut plus praestiturus fuerit, si cito negasset. Horum quomodo iudex inibit aestimationem, quum sermo et dubitatio et vultus meriti gratiam destruant?

exire h. l. est eligi sorte. De re cf. Ascon. ad Ciceronem in Verr. Act. I, cap. 7.

Addicto. I. e. qui esset condemnatus et cuius bona creditoribus tradebantur: de nexis noli cogitare, sed de condemnatione. Nam Liv. VIII, 28 docente, iam a. V. C. 429 ligari nexi desierunt: cf. Heineccii Antiq. rom. ad Instit. III, 30, 459.

Sumpsit ab argentario, foeneratore magnas usuras soluturus.

Rogavit. Mutuum ab amico.

Laxare. Diminuere *annonam*, frumenti pretium.

Beneficium..... decurrant. Laudat Lipsius Epist. 89, 18 sq. et de Tranq. An. c. 11.

Beneficium est arentibus.... fontem. Haec et similia iubebant adeo leges antiquissimae velut a natura praescripta humanitati. Vide e. c. Cicer. de Off. I, 16; III, 13, et, quem ibi Heusinger. laudat, Valcken. ad Herodot. VII, 23, p. 614.

Non idem pendent. Non idem ponderis pretiumque habebunt.

Digitized by Google

IX. Quid quod quaedam beneficia vocantur, quia nimis concupiscuntur; quaedam non sunt ex hac vulgari nota, sed maiora, etiamsi minus apparent? Beneficium vocas, dedisse potentis populi civitatem, in quatuordecim deduxisse, et defendisse capitis reum: quid utilia suasisse? quid retinuisse, ne in scelus rueret? quid gladium excussisse morituro? quid efficacibus remediis refocillasse lugentem, et quos desiderabat volentem sequi, ad vitae consilium reduxisse? quid assedisse aegro, et quum valetudo eius ac salus momentis constaret, excepisse idonea cibo tempora, et cadentes venas vino refecisse, et medicum adduxisse morienti? Haec quis aestimabit? quis dissimilibus beneficiis inbebit beneficia pensari? Donavit tibi domum: sed ego tuam supra te ruere praedixi. Dedit tibi patrimonium: sed ego naufrago tabulam. Pugnavit pro

IX. Anc. Aliam causam allegat qua fit ut beneficia aestimare vix ullus queat, nempe quod ea quorumdam beneficiorum natura sit, ut non appareant, ea v. g. quae silentio constant, etc.

Quia nimis concupiscuntur E. c. civitas: ideoque sunt conspicua, in oculos se ingerunt.

In quatuordecim. Sc. ordines in theatro, ideoque equitem fecisse. Lege Roscia theatrali, lata a L. Roscio Othone trib. pl. a. V.C. 686 sancitum est, ne quis in quatuordecim gradibus orchestrae, in qua Senatores sedebant, proximis sederet, nisi qui eques et equestri censu esset. Confer. Ernesti Iudic. Legg. Roscia theatralis.

Quid assedisse aegro, etc. Horatium Serm. I, 1, 86 sq. nostro ob oculos fuisse putes; adeo sunt similia. Sic enim ille: *At si condoluit tentatum frigore corpus, Aut alius casus lecto te adfixit, habes qui Adsideat, fomenta paret, medicum roget*, etc.

Ac salus. Haec verba duo non habebantur in plerisque exemplaribus Pinc., et abesse poterant: sed exstant in codd. pal. et Naz., et ferri possunt.

Momentis constaret. Ex apto tempore penderet.

Cadentes. Languentes et minus tumidus, spiritibus defectas. Ep. 95, 22 not. adde de Ira III, 9. *Lipsius*.

Ruere. Quod Romae crebrum et ideo apte inter exempla.

Tabulam. Qua enataret. Cf. Cic. de Off. III, 23, 3. Haec simplicior ratio est illa, qua quis ad tabulam, ubi naufragium esset pictum, ut misericordes stipem darent naufrago, referat, ut Horat. A. P. 21, Persii Sat. VI, 33.

te, et vulnera excepit: at ego vitam tibi silentio dedi. Quum aliter beneficium detur, aliter reddatur, paria facere difficile est.

X. Dies praeterea beneficio reddendo non dicitur, sicut pecuniae creditae. Itaque potest, qui nondum reddidit, reddere. Dic enim, intra quod tempus deprehendetur ingratus? maxima beneficia probationem non habent: saepe intrá tacitam duorum conscientiam latent. An hoc inducimus, ut non demus beneficia sine teste? Quam deinde poenam ingratis constituamus? unam omnibus, quum disparia beneficia sint? an inaequalem, et pro cuiusque beneficio maiorem, aut minorem? Age, intra pecuniam versabitur taxatio: quid quod quaedam beneficia vitae sunt, et maiora vita? His quae pronuntiabitur poena? Minor beneficio? iniqua est. Par et capitalis? quid inhumanius, quam cruentos esse beneficiorum exitus?

XI. Quaedam, inquit, privilegia parentibus data quae tamen nulla ratione demonstrabis. Tu nosti quiddam, nec ego, dum privatus homo maneo, affirmante te dubito; sed simul ac iudex tribunal conscendero, argumentis iam et probationibus his quae infitiationem tollant opus erit, non tua affirmatione, et hoc etiam tempore quo te verum credo dicere, damnabo quod te veridicum non demonstraris.

Tibi silentio dedi. Te non accusando, quum rogarer, aut torquerer, sive te non indicando, quum hostis insequeretur.

X. Arg. Aliae difficultates quae denuo impediunt quominus ulla adversus ingratum actio sit. 1° Tempus. Quo pacto enim statui et finiri potest tempus intra quod gratiam referre necesse sit? et quae mora ingratum aliquem efficit? 2° Qua poena ille plectendus est qui immemoris animi reus convincitur? Qua, si pecunia data constiterit beneficium? Qua, si vita?

Deprehendetur. Iudicabitur, convincetur.

Probationem non habent. Non patiuntur examen, inspectionem, vel potius non ea sunt quae demonstrare possis. Quaedam enim revera sunt,

An hoc inducimus, ut non demus, etc. e Mss. Pinc. sunt. Erasmus: *An hoc indicimus, ut nunc d.* qui suspicabatur, scriptum fuisse, *hoc interdicimus.* — *Non*; Elzev. *ne.*

Intra pecuniam. Vltrane pecuniam aestimatio non fiet? Haec erat rudior medii aevi aestimatio.

XI. Arg. Obiectionem refellit quae a parentum privilegiis trahitur. Nempe dant beneficia pater, mater; sed

sunt. Quomodo horum extra ordinem habita ratio est, sic aliorum quoque beneficiorum haberi debet. Parentum conditionem sacravimus, quia expediebat liberos tolli: sollicitandi ad hunc laborem erant, incertam adituri fortunam. Non poterat illis dici, quod beneficia dantibus dicitur: Cui des, elige; ipse tecum, si deceptus es, querere; dignum adiuva. In liberis tollendis nihil iudicio tollentium licet: tota res voti est. Itaque ut aequiore animo adirent aleam, danda illis 2
aliqua potestas fuit. Deinde alia conditio est parentum, qui beneficia quibus dederunt, dant nihilominus daturique sunt: nec est periculum, ne dedisse se illis mentiantur. In caeteris quaeri debet, non tantum an receperint, sed an dederint. Horum in confesso merita sunt: et quia utile est iuventuti regi, imposuimus illi quasi domesticos magistratus, sub quorum custodia contineretur. Deinde omnium parentum unum 3
erat beneficium: itaque aestimari semel potuit; alia diversa sunt, dissimilia, infinitis inter se intervallis unum est beneficiorum talium genus; caetera diversa, dissimilia, infinita: haec igitur nulla regula possunt comprehendi; illa una comprehendit.

Inquit. Obiicitur.

Privilegia. Quam durae Romae leges fuerint, quibus patria potestas constituta sit, est notum. Ter venumdare poterat filium pater, nec nisi manumissione filius a patre, liber erat. Etsi haec potestas temporis successu diminuta esset, tamen vis eius quaedam s. potestas aliqua mansit. Conf. Heineccii Ant. rom. ad Instit. I, 9, p. 134, edit. IV, Argent. 1734. Qui non tollebat filium filiamve, non pro legitima prole agnoscebat. Res nota.

Cui des, elige; ipse tecum, si deceptus es, querere; dignum adiuva. Haec sic legenda distinguendaque coni. Grut. et in codd. Naz. Colon. et pal. invenit. Probant Lipsius et Gron. atque Huetus in nott. Mss. Lipsius tamen *dehinc* vel *dein* ante *dign.* addi vult: sed perperam. Antea *Cui des, elige ipse tecum. Si deceptus es, quaere dignum; adiuva.*

Dant nihilominus daturique sunt omnes codd. optimi Pinc. Grut.: alii omittunt *dant* et *que*, ut Lipsiani, qui tamen suspectae fidei sunt.—*Beneficia quibus..... daturique sunt.* Omne temporis spatium igitur comprehendit parentum caritas, praeterita nempe, praesentia et futura.

Domesticos magistratus. Hinc Claudius iuvenem probri plenum, sed quem pater probatissimum sibi affirmabat, sine ignominia dimisit, *hu-*

Digitized by Google

distantia: itaque sub nullam regulam cadere potuerunt, quum aequius esset omnia relinqui, quam omnia aequari.

XII. Quaedam magno dantibus constant: quaedam accipientibus magna sunt, sed gratuita tribuentibus: quaedam amicis data sunt, quaedam ignotis. Plus est, quamvis idem detur, si ei detur quem nosse a tuo beneficio incipis. Hic auxilia tribuit, ille ornamenta, ille solatia. Invenies, qui nihil putet esse iucundius, nihil maius, quam habere in quo calamitas acquiescat: invenies rursus, qui dignitati suae, quam securitati, consuli malit: est qui plus ei debere se iudicet per quem tutior est, quam ei per quem honestior. Proinde ista maiora aut minora erunt, prout fuerit iudex, aut ad haec, aut ad illa inclinatus animo. Praeterea creditorem mihi ipse eligo: beneficium saepe ab eo accipio, a quo nolo; et aliquando ignorans obligor. Quid facies? ingratum vocabis eum, cui beneficium inscio, et, si scivisset, non accepturo, impositum est: non vocabis eum, qui utcumque acceptum non reddidit?

XIII. Aliquis dedit mihi beneficium, sed idem postea

bere, dicens, *censorem suum*. Suet. Claud. c. 16.

Vnum erat beneficium. Vnius generis omnia haec beneficia sunt. Quod per se patet. Nam parentum dona haec sunt, vita quam nascendo accepimus, cultus et institutio ad inventutem usque, et patrimonium.

Omnia relinqui. In vacuo aut in incerto, vel si mavis omnia omitti, et sine regula, qua cuncta attingantur, linqui.

XII. Arg. Varia insuper beneficiorum genera enumerantur, ratione temporum, operae quam dans impendit, utilitatis quam accipiens percipit, etc., habita.

Ornamenta. Ad dignitatem, honores, etc. spectant. Sic Cicero Sext. 5, ornamenta equestris ordinis appellat censum, i. e. divitias Cf. Ernesti Clav. Cic. h. v. et *Ornare*.

In quo, etc. Apud quem, dum calamitate conficitur, solatium inveniat.

XIII. Arg. Id quoque gratiam referre volenti obstaculo esse, quod ille nobis iniuriam faciet qui antehac beneficium dederit; et quid tunc faciendum non facillimum distinguere. Obiectio confutatur ex hoc petita quod non vindicando data, tardiores alios efficimus ad beneficia danda.

Sed idem postea fecit iniuriam. Ad

fecit iniuriam. Vtrum uno munere ad patientiam omnium iniuriarum adstringor: an perinde erit ac si gratiam retulerim, quia beneficium suum ipse insequenti iniuria rescidit? Quomodo deinde aestimabis, utrum plus sit quod accepit, an in quo laesus est? Dies me deficiet omnes difficultates persequi tentantem. Tardiores, inquit, ad beneficia danda facimus, non vindicando data, nec infitiatores eorum afficiendo poena. Sed illud quoque tibi e contrario occurrat: 2 multo tardiores futuros ad accipienda beneficia, si periculum causae dicendae adituri erunt, et innocentiam sollicitiore habituri loco. Deinde, erimus per hoc ipsi quoque ad danda tardiores; nemo enim libenter dat invitis: sed quicumque ad benefaciendum bonitate invitatus est, et ipsa pulchritudine rei, etiam libentius dabit, nihil debituris nisi quod volent. Minuitur enim gloria eius officii, cui diligenter cautum est.

XIV. Deinde, pauciora erunt beneficia, sed veriora; quid autem mali est, inhiberi beneficiorum temeri-

haec verba laudat Lipsius Epist. Senec. LXXXI, quae talia habet: *Illud magis quaerendum quod non satis, ut existimo, explicatum est: An is qui profuit nobis, si postea nocuit, paria fecerit et nos debito solverit. Adiice si vis et illud: Multo plus postea nocuit quam antea profuerat. Si rectum illam rigidi iudicis sententiam quaeris, alterum ab altero absolvet et dicet: Quamvis iniuria praeponderet, tamen beneficiis donetur quod ex iniuria superest. Plus nocuit, sed prius profuit. Itaque habeatur et temporis ratio.* Lege et quae sequuntur, digna sane quae legas, etsi ad rem minus pertinentia.

Perinde....ac. I. aeque ac. Ruhnken. in praef. ad Schelleri Lexic. latinobat. monuit unam huic proverbio hanc vim esse, nec unquam pro *multum*, *valde* poni, laudavitque Duker. ad Liv. XXIII, 21.

Cautum est. Cui conditiones adscriptae, praemia et fructus in certo sunt. *Lipsius.*

XIV. Anc. Ex hoc quod nulla adversus ingratum actio sit, nulla repetitio, sequitur duntaxat inhibitam iri beneficiorum temeritatem; quod bonum et optandum valde. Caeterum pollui beneficia, si mercedem exegeris, et hanc saepe reddi non posse.

Inhiberi beneficiorum temeritatem. Quid mali esset si temerariae eorum imprudentiae fraeni imponantur qui

Digitized by Google

2 tatem? Hoc enim ipsum secuti sunt, qui nullam legem huic constituerunt: ut circumspectius donaremus, circumspectius eligeremus eos, in quos merita conferrentur. Etiam atque etiam cui des, considera: nulla actio erit, nulla repetitio. Erras, si existimas succursurum tibi iudicem. Nulla lex te in integrum restituet: solam accipientis fidem specta. Hoc modo beneficia auctoritatem suam tenent, et magnifica sunt: pollues illa, si materiam litium feceris. Aequissima vox est et ius gentium prae se ferens, Redde quod debes. Haec turpissima est in beneficio, Redde. Quid reddet? Vitam, quam debet, dignitatem, securitatem, sanita-
3 tem? reddi maxima quaeque non possunt. Aut pro his, inquit, aliquid quod tanti sit. Hoc est quod dicebam, interituram tantae rei dignitatem, si beneficium mercem facimus. Non est irritandus animus ad avaritiam, ad querelas, ad discordiam: sua sponte in ista fertur. Quantum possumus resistamus, et quaerenti occasiones amputemus.

XV. Vtinam quidem persuadere possemus, ut pecunias creditas tantum a volentibus acciperent! utinam nulla stipulatio emptorem venditori obligaret!

beneficia promiscue, et delecta nullo habito, spargunt in vulgus.

Nulla actio, nulla repetitio. Nunquam hac de re iure in aliquem agi potest, quasi te laeserit, aut beneficia ut debitum reposcere possis.

Aequissima vox.....ius gentium l. est ius naturale. Cf. Ernesti Clav. Cic. s. voce *Ius*. Omnium populorum mores institutaque, quin adeo leges hoc ita ferre, notum est.

Prae se ferens. Declarans.

Vitam, quam debet etc. Sic optimi codd., non *vitam, inquam, debet.*

XV. Arg. In infidos hominum mores invehitur, quibus iudicum timor causa unica est cur debitores creditum solvant; optatque verbis solis posse fidem adhiberi, citra stipulationem: et id turpissimum ait quod minus viro nobili, gravi, seni, diviti, et summis honoribus functo fidendum sit quam illius annulo.

Stipulatio. Quae et ipsa conceptis verbis olim in emptionibus adhibita est. Plauti comoediae docent. Contractus verbales nunc appellare solent: ad stipulationem et praetor et iudex interdum cogebant, tunc formulae in edicto erant praescriptae,

nec pacta conventaque impressis signis custodirentur! fides potius illa servaret, et aequum colens animus! Sed necessaria optimis praetulerunt, et cogere fidem, quam spectare, malunt. Adhibentur ab utraque parte 2
testes; ille per tabulas plurium nomina, interpositis parariis, facit: ille non est interrogatione contentus, nisi reum manu sua tenuit. O turpem humano generi fraudis ac nequitiae publicae confessionem! annulis nostris plus quam animis creditur. In quid isti viri ornati adhibiti sunt? in quid imprimunt signa? nempe ne ille neget accepisse se quod accepit. Hos incorru- 3
ptos viros et vindices veritatis existimas! at his ipsis statim non aliter pecuniae committentur. Ita non honestius erat a quibusdam fidem falli, quam ab omnibus perfidiam timeri? Hoc unum deest avaritiae, ut beneficia sine sponsore non demus. Generosi animi et magnifici est, iuvare et prodesse: qui dat beneficia, deos imitatur: qui repetit, foeneratores. Quid illos, dum vindicamus, in turbam sordidissimam redigimus?

XVI. Plures, inquit, ingrati erunt, si nulla adversus

quae tacite monebant, obligationem inde orituram esse, siquis migraret stipulationem. Cf. Hugo l. I, p. 263 sq.

Ille. Creditor.

Interrogatione. I. stipulatione. Huetus margini adscripserat: Interpositis parariis, qui quaerebant et in quo ille nummos utiliter collocaret, et a quo ille mutuo sumeret; et ita de utroque bene merebantur. Conf. ad lib. II, cap. 23, §. 2, et illius loci notam.

Reum. Huetus Salmasio et Gronovio adstipulans ait: h. e. nisi reum chirographo suo obligatum habuit. — Verbali itaque contractu ille creditor non contentus erat, nisi et chirographum, quo stipulatio carere solebat, accessisset a debitore.

Reum manu sua tenuit. Sic Mss. non *rem*. Sensus: nisi reum promittendi chirographo suo tenuit. Quae verissima interpretatio est Salmasii C. X de modo usur. iudice Gron.

Annulis. Quibus chirographa signabantur.

In quid. H. e. quam ob causam? quid volentes, sperantes, caventes?

Ornati. Divites, praesertim equites. Cf. ad 12, 1. *Ruhk*. Quid non, honoribus ornati?

Adhib. Tanquam testes vocati.

Vindicamus. Dum talibus acticibus ingratorum tutos securosque esse volumus.

Turb. sordid. Sc. foeneratorum.

XVI. Anc. Iterum adversarios redarguit, qui asseverant ob negle-

ingratum datur actio. Immo potius, pauciores: quia maiore delectu dabuntur beneficia. Deinde, non expedit notum omnibus fieri, quam multi ingrati sint; pudorem enim rei tollet multitudo peccantium, et
3 desinet esse probri loco commune maledictum. Numquid iam ulla repudio erubescit, postquam illustres quaedam ac nobiles feminae, non consulum numero, sed maritorum, annos suos computant? et exeunt matrimonii causa, nubunt repudii? Tam diu istud timebatur, quam diu rarum erat; quia vero nulla sine divortio acta sunt, quod saepe audiebant, facere
4 didicerunt. Numquid iam ullus adulterii pudor est, postquam eo ventum est, ut nulla virum habeat, nisi ut adulterum irritet? argumentum est deformitatis pudicitia. Quam invenies tam miseram, tam sordidam, ut illi satis sit unum adulterorum par? nisi singulis divisit horas? et non sufficit dies omnibus? nisi apud

ctam adversus ingratos actionem fore ut ingratorum numerus maior in dies fiat. Et id ipsum argumentum praecipuum, quod non expedit notum fieri omnibus (ut tot actionibus mox fieret), quam multa delicta committantur. Sic adulteriorum numerum prope infinitum ex quo tot adulteris dies dictus. Et occasione arrepta luxuriam saeculi sui et perditos mores vellicat.

Multitudo peccantium. Noster de Clem. I, 22, 2: facit enim consuetudinem peccandi multitudo peccantium; et minus gravis nota est, quam turba damnatorum levat, et-

Numquid.... computant. Hanc morum corruptionem confirmant Iuvenalis VI, 228: *Fiunt octo mariti, Quinque per autumnos*; et Martialis VI, 7. Quotannis itaque plures maritos habent nonnullae feminae. Divortiis quidem modum Augustus imposuerat (Suet. Aug. 34), sed libido et licentia evicerant, et sub Caesaribus ita remiserat severitas, ut divortia fierent, si uxori aut marito placeret, nec opus esset, ut utrique consentirent. Cf. Adam, *Antiquité Romaines*, et Hugo lib. laud. p. 373 sq.

Exeunt.... repudii? Martial. VI, 7: *Quae nubit toties, non nubit, adultera lege est.*

Acta. Sc. libri publici, *registres.* In acta esse relata, ut rata et legitima essent, docuit Lips. in Exc. ad Tac. An. V.

Argumentum.... pudicitia. Nulla pudica est nisi deformis.

Tam miseram, tam sordidam. Tam ignobili loco natam.

Nisi apud alium gestata est, apud

Digitized by Google

alium gestata est, apud alium mansit? Infrunita et antiqua est, quae nesciat, matrimonium vocari unum adulterium. Quemadmodum horum delictorum iam 4
evanuit pudor, postquam res latius evagata est: ita ingratos plures efficies et audaciores, si numerare se coeperint.

XVII. Quid ergo? impunitus erit ingratus? Quid ergo? impunitus erit impius? quid malignus? quid avarus? quid impotens? quid crudelis? Impunita tu credis esse, quae invisa sunt? aut nullum supplicium gravius existimas publico odio? Poena est, quod non audet ab ullo beneficium accipere, quod non audet ulli dare, quod omnium designatur oculis, aut designari se iudicat; quod intellectum optimae rei ac dulcissimae amisit. An tu infelicem vocas, qui caret 2
acie oculorum, cuius aures morbus obstruxit: non

alium mansit. Sic omnes. Mss. probatque Gronov. Muretus: *nisi ad alium*, etc. Pinc. emend.: *est, apud alium pransit*, Grutero probante. — *Nisi apud alium gestata est, apud alium mansit*. Notum, inter exercitationes corporis non utiles modo, sed et delicatas ac voluptarias, fuisse gestationem, unde et ipsa loca gestationes: cf. Boettigeri Sabina p. 427 sq. Apud alium gestari est: alius gestatione uti, in alius umbra vectari: manere autem est, non diutule consistere alicubi, sed pernoctare: cf. Cic. ad Attic. X, 13; ad Q. fratr. II, 7, etc. Solebant autem veteres saepe per diversas causas abnoctare et in urbe etiam apud amicos cubitare. Sueton. Octav. 78. Nemo mirabitur igitur in tanta libertate idem usitasse matronas. Sic fere exponit locum Gronov.

Infrunita, ἄφρων, insulsa, fatua: de Vit. Beat. XXIII, 3 not.

Et antiqua est Mss. dant. Erasmus *antiquata*.

Vnum adult. Sic omnes Mss. At Pinc. *unius adulterium*, bono sensu.

Audaciores. Variant codd. qui dant *auctiores*.

XVII. Ang. Instat adversarius, sciscitaturque an mittendus ergo sit impunitate gaudens qui deliquit. Negat Seneca hunc impunitum quem spernunt omnes, quem odere. Comparatio vitae moestae, anxiae, incertae quam ingratus agit; serenae, securae, beatae cuius compos vir gratus.

Quid ergo? impunitus erit impius? Obiectionis imitatione respondet, ad quam loquendi figuram haec et seqq. referenda esse, monet Lipsius: quod cuiquam probari puto.

Intellectum.... dulcissimae. I. bonae famae et beneficiorum.

vocas miserum eum, qui sensum beneficiorum amisit? Testes ingratorum omnium deos metuit, urit illum et angit intercepti beneficii conscientia: denique satis haec ipsa poena magna est, quod rei, ut dicebam,
3 iucundissimae fructum non percipit. At quem iuvat accepisse, aequali perpetuaque voluptate fruitur; et animum eius a quo accepit, non rem intuens, gaudet. Gratum hominem semper beneficium delectat, ingratum semel. Comparari autem potest utriusque vita: quum alter tristis sit et sollicitus, qualis esse infitiator ac fraudulentus solet, apud quem non parentum, qui debet, honor est, non educatoris, non praece-
4 ptorum; alter laetus, hilaris, occasionem referendae gratiae exspectans, et ex hoc ipso affectu gaudium grande percipiens; nec quaerens quomodo decoquat, sed quemadmodum plenius uberiusque respondeat, non solum parentibus et amicis, sed humilioribus quoque personis. Nam etiamsi a servo suo beneficium accepit, aestimat non a quo, sed quid acceperit.

XVIII. Quanquam quaeritur a quibusdam, sicut ab

Intercepti beneficii conscientia. Interceptum beneficium dicit, quod mente sibi fingat beneficium, quum a dante ad accipientem decucurrit, decursurum rursus ab accipiente ad dantem. Ingratus vero animus id fieri prohibet; unde beneficium interceptum videtur.

Infitiator. Is proprie dicitur infitiator qui negat quod debet se debere. Cicer. pro Flacc. cap. 48: *Una et eadem est omnibus in locis fraudatorum et infitiatorum impudentia.* Idem, in Catil. lib. II, cap. 21: *Hos ego non tam milites acres quam infitiatores lentos esse arbitror.* Vid. et de Orat. lib. I, cap. 168. Martial. lib. I, epigramm. CIV: *Si dederint Superi decies mihi millia centum, Dicebat nondum Scaevola factus eques, Qualiter o vivam! quam large, quamque beate! Rescrunt faciles, et tribuere, Dei. Sordidior multo post hoc toga, parmula peior... In ius, o fallax atque infitiator, eamus.*

Educatoris. I. paedagogi servi, qui infantem comitaretur in ludum litterarium. Cf. ad II de Ira 22, 1.

Praeceptorum. Cf. ad c. 3, 3.

Decoquat. Fidem non solvat, rem creditori minuat et absumat.

XVIII. ARG. Sequuntur quaestiones, an servus domino, filius patri, beneficium dare possit: usque ad finem libri. Beneficium vel a servo interdum conferri. Officium enim est

Hecatone, an beneficium dare servus domino possit? Sunt enim qui ita distinguunt: Quaedam beneficia 2
esse, quaedam officia, quaedam ministeria; beneficium esse, quod alienus det; alienus est, qui potuit sine reprehensione cessare; officium esse filii, uxoris, et earum personarum, quas necessitudo suscitat, et ferre opem iubet; ministerium esse servi, quem conditio sua eo loco posuit, ut nihil eorum quae praestat, imputet superiori. Praeterea servos qui negat dare aliquando domino beneficium, ignarus est iuris humani; refert enim cuius animi sit, qui praestat, non cuius status. Nulli praeclusa virtus est, omnibus patet, omnes admittit, omnes invitat, ingenuos, libertinos, servos, reges, et exsules; non eligit domum, nec censum: nudo homine contenta est. Quid enim erat tuti adversus repentina; quid animus magnum promitte-

vel ministeriam, quod debet; quod non debet, et dat aut facit, beneficium est. Tum de conditionibus non agendum ubi de praeclaris factis agitur, et omnibus patere virtutem. Ad hoc, regi a subdito, duci a milite, potentiori ab humillimo quoque beneficium dari posse: quidni domino ab uno e servis?

Hecatone. Philosopho Stoico, de quo ad I, 3, 7 monitum est.

Alienus. Nullo necessitudinis genere nobis coniunctus, potest *cessare*, cunctari beneficia nobis dare. Nisi fallor, hoc uno ex loco discimus hanc Stoae distinctionem non improbandam, etsi Romae non semper observatam accurate, quod discere licet e Ciceron. de Offic. II, 19 sq.

Necessitudo. Omnis coniunctio sanguinis, affinitatis, amicitiae. Cf. Ernesti Clav. Cic. h. v.

Praeterea. Sic omnes mss. Muretus *propterea*. Signum lacunae hic poni iussit Lipsius, aliique. Sed non opus est. Si enim *praeterea* cum antegressis iunxeris et ex ultima syllaba statueris excidisse τὸ *at*, omnia sana sunt: *Imputet superiori praeterea. At*, etc., ubi refutatio incipit. Nec facile est dicere, quid deesse possit.

Iuris humani. I. e. humanitatis purae, quae omnia ea complectitur, quae hominibus, quatenus talibus, propria sunt, iisque praestari debent. Hinc infra cap. 22, § 2 ait: *homo ab homine accipit beneficium.*

Nulli praeclusa virtus est, etc. Multa similia praestat Io. Stobaeus in florileg. I de virtute: sumpta autem haec egregia dicta Stoae e schola socratica esse, cuiquam facile patebit. Propter sententiae praestantiam his verbis usus est auctor inscriptionis in Collectione Inscriptt. Gruteri DCCV, 12.

Digitized by Google

ret sibi, si certam virtutem fortuna mutaret? Si non dat beneficium servus domino, nec regi quisquam suo, nec duci suo miles. Quid enim interest, qualis quis teneatur imperio, si summo tenetur? Nam si servo, quo minus in nomen meriti perveniat, necessitas obest, et patiendi ultima timor, idem istud obstabit et ei qui regem habet, et ei qui ducem; quoniam, sub dispari titulo, paria in illos licent. Atqui dant regibus suis, dant imperatoribus beneficia: ergo et dominis. Potest servus iustus esse, potest fortis, potest magnanimus: ergo et beneficium dare potest. Nam et hoc virtutis est; adeoque dominis servi beneficia possunt dare, ut ipsos saepe beneficii sui fecerint. Non est dubium, an servus beneficium dare possit cuilibet; quare ergo non et domino suo possit?

XIX. « Quia non potest, inquit, creditor domini

Certam. In se stabilem, se contentam et nixam.

Nec regi quisquam suo. Lipsius: si scriptum, *quisquam subditus*, ἰσόχωλος magis et expressa sententia esset. Gron. respondet: Sic quidem passim nostri rure loquuntur, ut *subditum* pro subiecto dicant: sed non Sen. nec quisquam castiorum veterum.

Sub dispari titulo. Nam ducis, consulis, regis, imperatoris, principis, domini non eadem nomina; res tamen non omnino differt, quae uno verbo semper continetur, *imperium*.

Potest servus iustus esse.... magnanimus. Potest sane, et eloquentia mira infra Noster demonstrabit; potest tamen raro; nam etsi in corpus, non in mentem humanam homini concessum imperium, raro in servili corpore non servilis animus viget; et quem omnes sprevere, mox is fit quem merito omnes spernant.

Vt ipsos saepe beneficii sui fecerint. Rarior haec locutio occurrit aliquoties apud Sueton. v. g. in Tib. cap. 12: *Venit etiam in suspicionem per quosdam beneficii sui centuriones.* Et h. l. suppleas res, et explices, *ut suo beneficio debeant vitam*. Nam eodem modo *beneficii sui centurio* ille erat qui per ipsius beneficium centurio factus erat. Et sic mei beneficii consulem hunc dicerem qui auxiliante me suffragiis potitus, consulatum nactus esset. Caeterum incolumes beneficio servientium dominos historiae omnes passim commemorant; et e polygraphis, multa exempla habet Valerius Maximus VI, 8; III, 3.

XIX. Ang. Instante adversario et servilem conditionem obiiciente, quae ea est, ut nunquam domini creditor fiat servus, etiam data pecunia, servum contendit pro domino sanguine placantem superos animaque litantem beneficium huic dare, et in infimo statu magis demirandam virtutem

sui fieri, si pecuniam illi dederit. Alioqui quotidie dominum suum obligat: peregrinantem sequitur, aegro ministrat, et labore summo colit. Omnia tamen ista, quae alio praestante beneficia dicerentur, praestante servo ministeria sunt. Beneficium enim id est, 2
quod quis dedit, quum illi liceret et non dare: servus autem non habet negandi potestatem: ita non praestat, sed paret; nec id se fecisse iactat, quod non facere non potuit. » Etiam sub ista lege vincam, et eo perducam servum, ut in multa liber sit. Interim dic mihi, 3
si tibi ostendero aliquem servum pro salute domini sui, sine respectu sui dimicantem et confossum vulneribus, reliquias tamen sanguinis ab ipsis vitalibus fundentem, et ut ille effugiendi tempus habeat, mo-

quam in excelsa fortuna et opulentia.

Creditor domini... dederit. Nullum ius est servo, quippe cui civitas (*droits civils*) non competat. Huic nulla actio, nulla repetitio, nec testamenti scribendi facultas data est. Quod ut asperum et deplorandum, servituti tamen consentaneum est, quae vel ex his ipsis consectariis iuste damnatur. Nam si liceat servituti aliquem dari, licet et hunc ferarum modo tractari, et, civitatis expertem, iis etiam fraudari quae ius civitatis necessario sequuntur. Non iam homo ille est, sed res, utensile, σκεῦος. Iis praemissis iam patet non posse vere creditorem esse servum. Si quis enim dominus non solvet, ad quid, ad quem servus confugiet?

Alioqui quotidie dominum suum obligat. Beneficentiam nulla non die erga dominum exercet, qui ei inde obligatus fit.

Et labore summo colit. Sic palat. sec. Erasm. At reliqui codd. Pinc. et Grut. *eius laborem summo colit.* Unde Pincianus valde ingeniose fecit: *eius laborem suo tollit.*

Negandi potestatem. Imo nec voluntatem, nec personam, aut caput habet: iuris civilis quidem inventionis. *Lips.* Sub Caesaribus tamen servorum conditionem mitiorem fuisse notum est. Cf. Hugo pag. 371 sqq. libri laud. supra ad cap. 11.

Etiam... sit. Refutantis Senecae verba sunt. Etiamsi ita sit, ut tu ais, tamen probabo, *in multa* negotia, beneficia, eum libertatem habere.

Aliquem servum pro salute, etc. Exempla similia laudavimus modo ad c. 18, § 4 e Val. Maxim. Adde exemplum fidelitatis servorum Cornuti apud Plutarch. in Vita C. Marii p. 431 B. frcf. et Tacit. Histor. lib. I, cap. 3: *Contumax etiam adversus tormenta servorum fides.* Multa alia dabit Pignorius de Servis.

Vitalibus. Suppl. membris, s. c. corde et venis ἀορταῖς que, et tubis quos capillares vocant, sanguinem huc illuc ferentibus per membra.

ram sua morte quaerentem: hunc tu negabis beneficium dedisse, quia servus est? Si tibi ostendero aliquem, ut secreta domini prodat nulla tyranni pollicitatione corruptum, nullis territum minis, nullis cruciatibus victum, avertisse, quantum potuerit, suspiciones quaerentis, et impendisse spiritum fidei: hunc tu negabis beneficium domino dedisse, quia servus est? Vide ne eo maius sit, quo rarius est exemplum virtutis in servis; eoque gratius, quod, quum fere invisa imperia sint, et omnis necessitas gravis, commune servitutis odium in aliquo domini caritas vicit. Ita non ideo beneficium non est, quia a servo profectum est; sed ideo maius, quia deterrere ab illo nec servitus quidem potuit?

XX. Errat, si quis existimat servitutem in totum hominem descendere: pars melior eius excepta est.

Rarius est exemplum virtutis in servis. Quod nos aptissime iam monuimus. Vid. supr. ad caput 18, ibique not.

XX. Ang. Posse in servili corpore viriles animos, virile ingenium interdum vigescere. Liberum quidquid a mente venit; liberum hunc ipsum qui appellatur servus.

Adscripta. Addicta dominis, emptionum tabulis mancipata.

Carcere. Saepe sic corpus tanquam custodiam animae inde a Pythagoreis apud Philosophos audire, notavimus in Cons. ad Helv. c. 12, 8.

Comes caelestibus. Sidera sequatur, aut praecat. Ad mentem et cogitationem referendum. Adde supra II, 29.

Hoc emit, h. v. Sic omnes mss. Muretus tamen: *emitur... venditur.*

Mancipio. Mancipium iam monuimus esse genus quoddam possidendi, quod usucapioni opponitur. Hic usucapione possidet qui re fruitur, utitur; hic mancipio qui rem habet sui iuris, neque ab ullo reposcendam.

Contra rempublicam.... non facient. Facient forsan; sed ius habent recusandi. Item de hoc quod mox sequitur, sceleri manus non commodari possunt. Atqui hoc illis si per legem licuerit, patet iam non eam esse servitutem, quae libertatem et ius omne funditus tollat.

XXI. Ang. Discrimen inter servile ministerium et beneficium, ex hoc petitum, quod quae dantur ab hero servis suis modo officia sint, interdum tamen et beneficia.

Facere. Non Ciceroniana verborum σύνταξις. Nam post *vetant* infinitivum poni non potest, nisi accusativus aut praecedat, aut sequatur, qui, ut aiunt Grammatici, subiectum infinitivi sit. Cic. Orat. lib. II, cap. 100: *Lex peregrinum vetat in murum ascendere.* Academic. lib. IV, cap. 14:

Digitized by Google

Corpora obnoxia sunt, et adscripta dominis: mens quidem sui iuris; quae adeo libera et vaga est, ut ne ab hoc quidem carcere, cui inclusa est, teneri queat, quo minus impetu suo utatur, et ingentia agat, et in infinitum comes caelestibus exeat. Corpus itaque est, 2 quod domino fortuna tradidit. Hoc emit, hoc vendit: interior illa pars mancipio dari non potest. Ab hac quidquid venit, liberum est; non enim aut nos omnia iubere possumus, aut in omnia servi parere coguntur: contra rempublicam imperata non facient; nulli sceleri manus commodabunt.

XXI. Quaedam sunt quae leges nec iubent, nec vetant facere: in his servus materiam beneficii habet. Quamdiu praestatur quod a servis exigi solet, ministerium est: ubi plus quam quod servo necesse est, beneficium. Vbi in affectum amici transit, desinit vocari ministerium. Est aliquid, quod dominus praestare servo debeat, ut cibaria, ut vestiarium: nemo hoc dixit beneficium. At indulsit, liberalius educavit, 2 artes quibus erudiuntur ingenui tradidit: beneficium est. Idem e contrario fit in persona servi. Quidquid est quod servilis officii formulam excedit, quod non ex imperio, sed ex voluntate praestatur, beneficium est: si modo tantum est, ut hoc vocari potuerit, quolibet alio praestante.

XXII. Servus, ut placet Chrysippo, perpetuus mer-

Tu merebus incognitis assentiri vetas. Pro Cluent. cap. 68: *Et eum saluti desperare vetuit.*

Cibaria. Dimensa et iusta, quae nominabantur menstruum et diarium, unde peculium parci servi comparabant. Cf. Ep. LXXX, 8 not.

Vestiarium. I. pecuniam pro vestem datam. Vid. c. 8, 5 de Tranq. Animi.

Artes quibus eruditur ingenui. Artibus ingenuis, liberalibus vel honestis esse servos eruditos constat e Cic. et Hor. Ep. II, 2, 27. Senec. Ep. XXVII, 5 sq. Plautus, Terentius et Epictetus servi fuere, et hunc morem testantur.

Formulam. Forma quae, quum sit generalis et late pateus, officii norma et regula fit.

XXII. Arg. Posse servum minus

cenarius est. Quemadmodum ille beneficium dat, ubi plus praestat, quam quod operas locavit: sic servus ubi benevolentia erga dominum fortunae suae modum transiit, et altius aliquid ausus, quod etiam felicius nato decori esset, et spem domini antecessit, beneficium est intra domum inventum. An aequum tibi videtur, quibus si minus debito faciant, irascimur, non
2 haberi gratiam, si plus debito solutoque fecerint? Vis scire, quando non sit beneficium? ubi dici potest, Quid si nollet? Vbi vero id praestitit, quod nolle licuit, voluisse laudandum est. Inter se contraria sunt, beneficium et iniuria. Potest dare beneficium domino, si a domino iniuriam accipere; atqui de iniuriis dominorum in servos qui audiat positus est, qui et saevitiam et libidinem, et in praebendis ad victum necessariis avaritiam compescat. Quid ergo? Beneficium dominus
3 a servo accipit? immo homo ab homine. Deinde quod in illius potestate fuit, fecit: beneficium domino debito exsequi; posse ergo et plus quam debuit. At indignum, aliquis ait, dominum a servo accepisse. Minime; tunc enim ab homine homo accepit, non a servo dominus. Quis praeterea in terris ita dives, aut potens quem non humillimi saepe adiuvent.

Mercenarius. Qui mercede operas suas locat, *μισθωτὸς*, *μισθοφόρος*, qui tamen liberi sunt. Vbi hoc Chrysippus dixerit, ignoramus. De servis eum egisse in libro de Concordia tradit Athenaeus VI, p. 267 b.

Ille...quam quod operas locavit. Sic omnes Pinc. et Grut. codd. Recte. *Ille* mercenarius operas suas mercede locat alteri; at si beneficium dat, omnem mercedem spernit, ideoque plus praestat benefaciendo. Hoc tamen noluerunt ita capi Muretus Lipsiusque, qui praetulerunt: *quam ad quod o. l.*, nec Gruterus, qui emendat: *quam in quod o. l. Quod* est quatenus, quando. Erasmus dedit: *quam quid operis l.* Huetus: *quam quod operae locavit.*

Quid si nollet? H. e., perneganti quae utilitas erit? et nobis, qui inutiliter iubemus, quod damnum?

Atqui de iniuriis.... compescat. Praefectus urbis (vid. Suet. Aug. 37 ibiq. Graev.) Opinor ab ipso Augusto esse, etsi Hadriano tribuitur, quod servos a dominis vetuit occidi, eosque iussit damnari per iudices, si digni essent. Ita Spartianus in eius vita c. 18. *Lips.* Haec coniectura eo verisimilior est, quo clarius est testimonium Vlpiani, lib. I, § 1, 8. Dig. de off. praef. urb., praefectum urbis de servorum querelis cognovisse. Cf. Hei-

dit: ne a servo acceperis, in tua potestate est. Quis autem tantus est, quem non fortuna indigere etiam infimis cogat? Multa iam beneficiorum exempla referam, et dissimilia, et quaedam inter se contraria. Dedit aliquis domino suo vitam, dedit mortem, servavit periturum, et hoc si parum est, pereundo servavit; alius mortem domini adiuvit, alius decepit.

XXIII. Claudius Quadrigarius in duodevicesimo annalium tradidit, quum obsideretur Grumentum, et iam ad summam desperationem ventum esset, duos servos ad hostem transfugisse, et operae pretium fecisse. Deinde urbe capta, passim discurrente victore, illos per nota itinera ad domum in qua servierant, praecucurrisse, et dominam suam ante se egisse: et quaerentibus quaenam esset, dominam, et quidem

neccii Antiq. rom. ad Instit. I, 8, p. 132. Leges tamen has non satis accurate observatas esse, apparet ex earum repetitione.

Multa iam beneficiorum exempla, etc. Quaedam antea iam laudavi. Addas Macrobii Saturnal. I, c. 13, qui Epistola Senec. XLVII usus multa exempla attulit. Alia ipse noster refert in capp. sqq.

XXIII. Anc. Exempla servorum qui dominis beneficia magnificentissime contulere; duorum nempe qui urbe natali obsessa, transfugas sese simulavere, et quum urbs expugnaretur, heram quasi ad supplicium ducentes, summa cura celaverunt; et illius qui C. Vettium, quum ad imperatorem romanum duceretur exquisitis poenis ismiam moriturus, hunc gladio confodit, et se deinde.

Claudius Quadrigarius. Saepe a veteribus laudator, qui Acilii Annales graece scriptos in latinum sermonem vertit, et ad bellum Sullanum continuavit. Paucissima ex eius opere servata sunt. Cf. G. I. Vossii Opus de Historic. lat. I, c. 10, p. 44 ed. frcf. 1677, 4. Quando autem haec res gesta sit, utrum bello punico, an sociali (cf. Flor. III, 18) ignoramus. Caeterum Macrob. Sat. I, 11, p. 249 bip. eamdem rem narrat.

Duodevicesimo. Omnium codd. lectio, praeter unum palat., qui habet *duodecimo*.

Grumentum. Codd. confirmant. Muretus tamen *Adrumetum*, ex ingenio. At *Grumentum* bene habet. Namque hodie nominatur *Armento*, urbs Italiae, in Lucania, quam Aciris amnis praefluit, nondum procul fonte suo.

Operae pretium fecisse. Dignam mercedem labore et periculo suo cepisse. Cf. Cic. pro Sext. Rosc. Amer. cap. 108: *Si nihil in ista pugna Roscii quod operae pretium esset, fecerant, quam ob causam a Chrysogono tantis praemiis donabantur?* et Livii praef. *facturusne operae pretium sim*.

Digitized by Google

crudelissimam ad supplicium ab ipsis duci, professos
2 esse. Eductam deinde extra muros, summa cura celasse, donec hostilis ira consideret; deinde, ut satiatus miles cito ad romanos mores rediit, illos quoque ad suos redisse, et dominam sibi ipsos dedisse. Manumisit utrumque e vestigio illa: nec indignata est ab his se vitam accepisse, in quos vitae necisque potestatem habuisset. Potuit sibi hoc vel magis gratulari. Aliter enim servata, munus notae et vulgaris clementiae habuisset: sic servata, nobilis fabula, et exemplum
3 duarum urbium fuit. In tanta confusione captae civitatis, quum sibi quisque consuleret, omnes ab illa praeter transfugas fugerunt. At hi, ut ostenderent quo animo facta esset prior illa transitio, a victoribus ad captivam transfugerunt, personam parricidarum ferentes. Quod in illo beneficio maximum fuit, tanti iudicaverunt, ne domina occideretur, videri dominam

Ad Romanos mores rediit. Nempe mites et populo dignos qui victorias reportare suevit, quem decet ut *Regere imperio populos et debellare superbos*, ita *parcere subiectis*. Haec fere Virgil. Aeneid. lib. VI, vss. 851.

Manumisit utrumque e vestig. Libertatem illa utrique statim nec ulla interposita mora dedit. Nos simili locutione interdum dicimus: *de ce pas*, pro confestim.

Clementiae. Sc. ab hostibus in ipsam collatae.

Nobilis fabula. Celebrata passim et nota fabulantibus materies. Simillime Martial. lib. XII, Epigram. LII, vs. 5: *Dulcis in Elysio narraris fabula campo.*

Duarum. Praefero cum Gronov. hanc omnium codd. lectionem coniecturae Pincian. *Grumentinae urbis* quam finxit e scripta lectione *Drumen*, etc.

Personam parricidarum ferentes. H. e. partes parricidarum sese fingentes acturos esse. Nam et hi parricidae appellitantur qui reges, dominos, aut benefacientes interimunt. Persona vero est proprie facies ficta, histrionica. At mox idem significavit quod *munus*, *partes*, et Gallic. *rôle*; immo saepius posterior sensus apud scriptores occurrit quam prior.

Tanti iudicaverunt. I. e. Hoc, nempe *ne domina occideretur iudicaverunt* esse *tanti* pretii, huius tam magnii pretii, scilicet: *videri dominam occidisse*. Sive, aliis verbis: vitam herae hoc etiam pretio dignam esse censuerunt, ut illi mortem attulisse se videri et infamia notari paterentur. Hoc sensu *tanti* iam vidimus; hic durius paulo quod τὸ *esse* desit ante τὸ *iudicaverunt*, et *iudicare* est pro *aestimare*.

occidisse. Non est, mihi crede, non, dico, servilis animi, egregium factum fama sceleris emisse. C. Vettius praetor Marsorum, ducebatur ad Romanum imperatorem. Servus eius gladium militi ipsi, a quo trahebatur, eduxit, et primum dominum occidit: deinde, « Tempus est, inquit, me et mihi consulere, iam dominum manumisi; » atque ita se uno ictu transiecit. Da mihi quemquam, qui magnificentius dominum servarit.

XXIV. Corfinium Caesar obsidebat: tenebatur inclusus Domitius. Imperavit medico eidemque servo suo, ut sibi venenum daret. Quum tergiversantem videret: « Quid cunctaris, inquit, tanquam tua in

C. Vettius praetor Marsorum, etc. Et hanc historiam narrat Macrobius l. l. qui *Caium Vettium* appellat Pelignum Italiensem, et imperatorem Pompeium, quem Romanis praefuisse scimus ex Appiano aliisque, bello sociali italico s. marsico. Ille autem C. Vettius idem censendus est, me iudice, ac ille quem Vettium Catonem Tullius nominat, Philippic. XII, cap. 27, et ait cum Cn. Pompeio consule, et Sext. Pompeio Cn. fratre de pace collocutum, quamquam huic P. praenomen attribuit. Caeterum enituit alius Vettius (Q. Vett. Vettianus ille appellabatur) belli socialis tempore, vir mirificae prudentiae et eloquentiae pressissimae. Vettios iam a Romae incunabulis notos satis constat, quum post mortem Romuli Sp. Vettius senator interrex creatus fuerit. Plut. in Num. Videtur autem P. vel C. Vettii Catonis mors in ann. urb. cond. 665, ante Chr. nat. 83 incidisse.

Romanum imperatorem. Sic omnes fere codd. et edd. Lipsiani libri dant *imperium*.

Manumisi. In libertatem ego servus vindicavi.

Magnificentius. Animosius, praeclarius, splendidiore modo.

XXIV. Arg. L. Domitium, cui post captum Corfinium Caesar pepercit, ante a servo servatum fuisse quam a Caesare.

Corfinium. Vrbem Pelignorum satis magnam, quam Aternus fluvius praeterfluit, Marrubio vicinam. Hodie vocatur *Sanferino*.

Caesar. Cf. Sueton. Iul. 34. Ner. 2. At Plin. VII H. N. 53 aliter rem narrat: L. Domitius clarissimae gentis, apud Massiliam victus, Corfinii captus ab eodem Caesare, veneno poto propter taedium vitae, postquam biberat, omni ope ut viveres annixus est. — Vtrumque tamen bene coniungi potest. Plutarch. Caes. p. 724 frcf. consentit cum Seneca.

Medico eidemque servo suo. Medicos servos Romae et libertinos, sero autem demum liberos ingenuosque natos homines fuisse constat v. c. e Curt. Sprengel. Histor. Medic.

Digitized by Google

potestate totum istud sit? mortem rogo armatus.» Tum ille promisit, et medicamentum innoxium bibendum illi dedit, quo quum sopitus esset, accessit ad filium eius: « Iube me, inquit, asservari, dum ex eventu intelligas, an venenum patri tuo dederim.» Vixit Domitius, et servatus a Caesare est: prior tamen illum servus servaverat.

XXV. Bello civili, proscriptum dominum servus abscondit; et quum annulos eius sibi aptasset, ac vestem induisset, speculatoribus occurrit: nihil se deprecari quo minus imperata peragerent, dixit: et deinde cervicem porrexit. Quanti viri est pro domino eo tempore mori velle, quo erat rara fides, dominum mori nolle? in publica crudelitate mitem inveniri, in publica perfidia fidelem? quum praemia proditionis ingentia ostendantur, praemium fidei, mortem concupiscere?

XXVI. Nostri saeculi exempla non praeteribo. Sub Tiberio Caesare fuit accusandi frequens et paene pu-

Medicamentum innoxium. Plutarch. l. l. appellat ὑπνωτικὸν οὐ θανάσιμον.

Asservari. Custodia.

Servatus quidem et dimissus est, sed statim ad Pompeium transiit ingratus Domitius, referente Plut. l. l.

XXV. Arg. Alium servum bello civili, postquam proscriptum dominum celavisset, illius vestes induisse et caput interfectoribus obtulisse, qui eum conquirebant.

Annulos. In Appian. IV Civil., in Valer. Max. VI init., in Macrobio. Annulos autem vestemque sumit, tamquam ingenuus et senator, ut sic pro hero se probaret. *Lips.* Bellum hoc gestum est inter Marium et Sullam.

Rara. Rara quidem omni tempore, rarior vero Neronis et Senecae temporibus fides. Horat. Carmin. lib. I, od. XXXV: *Te Spes et albo rara Fides colit velata panno.* Tum vero rarior multo ob turbas civiles, et quod publice deterrimi servorum praemiis inducerentur ad dominos prodendos vel occidendos: et qui fecisset ac caput retulisset, praemium capiebat et libertatem et dena millia drachmarum (nostrar. pecuniarum fere 9,268 fr.) viritim, itemque civitatem. *Appianus.*

Ostendantur. Huet. coniect. in notis Mss. *ostendebantur*, propter superius *quo erat.*

XXVI. Arg. Paulum praetorium, imperante Tiberio, a servulo callido servatum a crimine maiestatis.

Sub Tiberio.... rabies. Quae re-

Digitized by Google

blica rabies, quae omni civili bello gravius togatam civitatem confecit. Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas iocantium; nihil erat tutum: omnis saeviendi placebat occasio. Nec iam reorum exspectabatur eventus, quum esset unus. Coenabat Paulus praetorius in convivio quodam, imaginem Tiberii Caesaris habens, ectypam, et eminente gemma. Rem ineptis- 2
simam fecero, si nunc verba quaesiero, quemadmodum dicam, illum matellam sumpsisse. Quod factum simul et Maro ex notis illius temporis vestigatoribus notavit. At servus eius cui nectebantur insidiae, ei ebrio annulum extraxit; et quum Maro convivas testaretur, admotam esse imaginem obscoenis, et iam subscriptionem componeret, ostendit in manu sua servus annulum. Si quis hunc servum vocat, et illum convivam vocabit.

XXVII. Sub divo Augusto nondum hominibus verba

ducta maiestatis lege initium cepit. Suet. Tib. 58, ubi et noster locus ab interpretibus admotus est.

Quae... confecit. Hinc Tacitus pacem ait quovis bello hanc saeviorem fuisse.

Ectypam. Ita bene e vet. libr. Muretus, nam et codd. pal. consentiunt. Vulgati ante Muretum, e.c. Erasmus, retinent: *exsculptam eminent gemma.—Ectypam.* Expressam et effigiatam, ἔκτυπον: puto autem fuisse in gemma imaginem ita insculptam, ut reliqua gemmae pars emineret, *bas-relief*: etsi probe sciam fuisse gemmas interdum opposita ratione imaginibus prominentibus ornatas, *haut-relief.*

Verba quaesiero. Ne sordidis scilicet illis et communibus utar, *matulam*, ἀμίδα, *sumere.*

Maro. Nunquam ab alio quoquam praeter nostrum vocatur in delatoribus istius aetatis. Testatur rem

Obscoenis. Supplend. *partibus.* Sic dicebantur verenda, pudenda.

Subscriptionem. I. e. libellum accusationis, cui caeteri tamquam testes subscripsere et socii nomina sua.

Convivam. Maronem caedes et accusationes ibi machinantem atque ideo hoc nomine convivae indignum. Caeterum etiam in hospitalitate mensarum et epulandi libertate solitos delatores materiam criminationibus vanis quaesivisse, ex auctoribus constat; et Martialis ad coenam vocans amicos, nullos promittit affore qui verba et nutus convivantium notent. Lib. X, epigr. XLVIII, vss. 21–24. Cf. et Duaren. ad legem Iuliam de maiestate, c. 4; iterumque Nostrum, cap. proximo.

XXVII. Aug. Rufum, virum ordi-

sua periculosa erant, iam molesta. Rufus, vir ordinis senatorii, inter coenam optaverat, ne Caesar salvus rediret ex ea peregrinatione quam parabat, et adiecerat, idem omnes et tauros et vitulos optare. Fuerunt qui illa diligenter audirent. Vt primum diluxit, servus qui coenanti ad pedes steterat, narrat quae inter coenam ebrius dixisset; hortatur, ut Caesarem
2 occupet, atque ipse se deferat. Vsus consilio, descendenti Caesari occurrit. Et quum malam mentem habuisse se pridie iurasset, id ut in se et filios suos recideret optavit, et Caesarem, ut ignosceret sibi, rediretque in gratiam secum, rogavit. Quum dixisset se Caesar facere: « Nemo, inquit, credet te mecum in gratiam redisse, nisi aliquid mihi donaveris: » petitque non fastidiendam a propitio summam, et impe-
3 travit. Caesar ait: « Mea causa dabo operam, ne un-

nis senatorii, qui multa in Caesarem effuderat, prudentia servi incolumem factum qui suasit ut ipse se deferret, accusatores antevertens.

Rufus, vir ordinis, etc. Ex hoc exemplo ab uno Seneca narrato apparet, Tacitum Annal. I, 72 nec hanc dicendi licentiam exclusisse, quum diceret, Augustum cognitionem de famosis libellis specie legis maiestatis primum tractavisse: Sueton. Tib. 58 idem fere tradit.

Idem omnes..... optare. Similem iocum affert Lipsius ex Ammiano Marcellin. XXV, 4, p. 46, T. II bip. de Iuliano et Marco Caesare: Albi boves Marco Caesari, si tu viceris, (dixere) nos periimus.

Servus qui coenanti ad pedes steterat. Addiversa ministeria exsequenda, v. c. ad lychnuchum tenendum, ad cibos scindendos etc. Cf. Senec. Epist. XLVII, 4, et Pignorius de servis passim.

Descendenti. A palatio in publicum. *Descendere* autem dicuntur iam libera republica honestiores (quippe in montibus plerumque habitantes), quum in forum, Curiam, Campum, item postea, vel quum in publicum prodeunt. Cf. Bentleium ad Horat. lib. I, Epist. XXV, 5. Ernesti Clav. Cic. h. v.

Malam mentem. Se iusanum fuisse: opponitur bona mens. Confert Lipsius Tibullum lib. II, El. 5, 104.

Id ut in se..... recideret. Ex formula nota, quae occurrit quoque ap. Tibull. I, 2, 12: infra IV, 31, 3 ubi est, *quidquid mali dixi, mihi et capiti meo.* Cf. Heinsium ad Ovid. Ep. XX, vs. 127.

Mea causa. I. e. Meae utilitatis causa. Equidem, ait, mihi temperabo ne tibi irascar: nam simul atque in gratiam tecum rediero, tibi donanda quaedam erunt, ideoque irae meae poenam solvam. Commodum itaque

Digitized by Google

quam tibi irascar. » Honeste Caesar, quod ignovit, quod liberalitatem clementiae adiecit. Quicumque hoc audiverit exemplum, necesse est Caesarem laudet, sed quum servum ante laudaverit. Num exspectas, ut tibi narrem manumissum, qui hoc fecerat? nec tamen gratis; pecuniam pro libertate eius Caesar numeraverat.

XXVIII. Post tot exempla, num est dubium, quin beneficium aliquando a servo dominus accipiat? Quare potius persona rem minuat, quam personam res ipsa cohonestet? Eadem omnibus principia, eademque origo: nemo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium, et artibus bonis aptius. Qui imagines in atrio exponunt, et nomina familiae suae longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris, in parte prima aedium collocant, noti magis, quam nobiles sunt. Vnus omnium parens mundus est: sive per splendidos, sive per sor- 2

meum mihi suadebit, ut sim tibi propitius.

XXVIII. Arg. Tot exemplis sat patere beneficium a servo posse accipi; et stulte simul iniusteque in hanc veritatem superbiam exardescere, quum imperiosissimi saepe et superbissimi hominum alienos servos foris colant, rogent, adorent.

Persona. Apud Senecam illa vox de quocumque homine dicitur: sic erat supra III, 17, 1. Alites apud Ciceronem usurpatur. Cf. Ernesti Clav. Cic. h. v. et Sanctii Minerva, I, 12, 4 ibiq. Perizon.

Stemmatum, etc. Plin. H.N.XXXV, 2, ait: stemmata vero lineis discurrebant ad imagines pictas. Erant, addit Lipsius, minores et rotundae imagines (s. potius orbes nominibus signati), quae ad latera adsitae genus maternum aut propinquos notabant. Noster stemmatum signandorum mos inde derivatus est. Funiculi florum sertis ornati (inde στέμματα) coniunxere imagines cognatorum.

Qui imagines... nobiles sunt. Conf. ad Epistol. XLIV, 4. Erudite Schweighaeuseri ibi memoratam et probatam sententiam uberius tractavit Eichstadius dissertatt. II de imaginibus romanis ed. II Petropoli 1806, 4. Fuere autem imagines, ut breviter repetam, effigies cereae maiorum in atriis custodiri solitae, atque in pompis funebribus funera in curribus comitatae, quas servi tunc portarunt iis induti, ut maiores illos imitarentur. Loci classici sunt Polyb. VI, 53 not. Schwgh. Tom. VI, p. 394; coll. Sueton. Vespas. c. 19; Diodor. Sic. Tom. II, p. 518.

Mundus. I. e. caelum. Nam, stoica sententia, ex illo animae et e sideri-

didos gradus, ad hunc prima cuiusque origo perducitur. Non est, quod te isti decipiant, qui quum maiores suos recensent, ubicunque illustre nomen defecit, illo deum infulciunt. Neminem despexeris, etiamsi circa illum obsoleta sunt nomina, et parum indulgente adiuta fortuna: sive libertini ante vos habentur, sive servi, sive exterarum gentium homines. 3 Erigite audacter animos, et quidquid in medio sordidi iacet, transilite: exspectat vos in summo magna nobilitas. Quid superbia in tantam vanitatem attollimur, ut beneficia a servis indignemur accipere, et sortem eorum spectemus, obliti meritorum? Servum tu quemquam vocas, libidinis et gulae servus, et adulterae, immo adulterarum commune mancipium? Servum vocas quemquam tu? Quo tandem ab istis gerulis raperis, 4 cubile istud tuum circumferentibus? quo te penulati

bot. Senec. Epist. XLIV, 1: *Omnes si ad primam originem revocentur, a diis sunt.* ubi vid. nos et cf. not.

Vbicumque illustre nomen defecit, illo deum infulciunt. Nav. *illo deum fulgiunt.* Ex quo verissima exstitit Salmasii divinatio: *illo deum infulciunt.* Vani aliorum conatus. Saepius hoc verbum sp. nostrum occurrit. *Gronovius.* Caeterum in olim cusis sic haec concipiebantur: *ubicumque fecit nomen illustre, illo domini fugiunt.* Sed Erasmus inveniebat in aliis codd. *illo deum fugiunt*, in aliis *dominum fingunt.* Huetus in nott. mss. voluit: *illico deum infulciunt*, laudato Salmasio. — *Non est... infulciunt.* Docent hoc multae familiae et Graecorum et Romanorum, e. c. gens Iulia ad Venerem originem suam referens, vid. Liv. I, 4 etc.

Neminem despexeris, etc. Similia habes apud nostrum Ep. XLIV, 3 ubi docui hanc sententiam cepisse, notatum a Platon. Theaetet. Vol. II, p. 118 sq. ed. bip.

Sortem... spect. Vilem et abiectam servorum conditionem tantummodo attendamus, obliti beneficiorum quae in nos conluerunt.

Gerulis. I. lecticariis, a gerendo.

Cubile. I. lecticam, in qua iacebant et cubabant. Servi autem robustissimi fuere isti *penulati.* Paenulae erant *capotes.* Sic explicat *Boettiger* in Sabina p. 448, qui cannsinatos i. e. rubris vestibus eiusmodi ornatos e Martial. IX, 23, XIII, 129 intelligit, laudatis Lipsio Elector, 1, 25 et Pignorio de servis p. 136. Egit quoque de paenulis militaribus, quas super tunicam indutas et ipse putat et rufo colore; Salmas. ad Scriptt. H. Aug. I, a. 774, 925 sq. Caeterum has terminationes in *atus* frequentes occurrere advertendum est, ubi hac vel illa veste indutum aliquem commonstrant. Martial. mirifice exemplo est

isti in militum et quidem non vulgarem cultum subornati? quo, inquam, te isti efferunt? ad ostium alicuius ostiarii, ad hortos alicuius ne ordinarium quidem habentis officium. Et deinde negas tibi beneficium a servo tuo posse dari, cui osculum alieni servi beneficium est. Quae est tanta animi discordia? eodem tempore servos despicis, et colis. Imperiosus intra limen atque impotens, humilis foris: et tam contemptus, quam contemnens. Neque enim ulli magis abiiciunt animos, quam qui improbe tollunt: nullique ad calcandos alios paratiores, quam qui contumelias facere accipiendo didicerunt.

XXIX. Dicenda haec fuerunt, ad contundendam insolentiam hominum ex fortuna pendentium, vindicandumque ius beneficii dandi a servis, ut a filiis quoque vindicaretur. Quaeritur enim, an aliquando liberi maiora beneficia dare parentibus suis possint, quam acceperint? Illud conceditur, multos filios maiores potentioresque extitisse, quam parentes suos:

lib. II, epigramm. LVII, vs. 1, etc.: *Hic quem videtis gressibus vagis lentum, Amethystinatus media qui secat septa, Quem non lucernis Publius meus vincit, Non ipse Codrus, alpha penulatorum, Quem grex togatus sequitur et capillatus, Recensque*, etc.

Ad ostium.... officium. I. ad domini potentis aut placentis domum hortosque, ubi vili servo, *ostiario*, aut vicario servi alterius adularis ad mollem accipiendum aditum. Ordinarius servus erat, qui certum aliquod ministerium in familia exercebat: hi interdum vicarios servos habebant Cf. Ep. CX, 1.

XXIX. ARG. A domino et hero ad patres et filios transit, et copiosissime disserens (nam usque ad libri finem extenditur oratio et decem capp. occupat), quaerit an possit pater a filio beneficium accipere, immo an vinci beneficiis postulet; quod affirmat. Sed hoc serius. In hoc cap. comparationem instituit inter initia rei magnae et exitus. Quae initia quum tenuissima sint saepe, exitus vero magnus; patet multa initiis suis maiora stare. Sic patre interdum maiores filii sunt, licet sine patre non potuerunt in hanc magnitudinem sese evehere

Hominum ex fortuna pendentium. Divitiis affluentium, et iis solummodo se suaque metientium.

Vt a filiis. Quippe qui sub patria potestate erant, ideoque servis similes.

Digitized by Google

2 aeque et illud, meliores fuisse. Quod si constat, potest fieri ut meliora tribuerint, quum et fortuna illis maior esset, et melior voluntas. « Quidquid, inquit, est, quod dat patri filius, utique minus est, quia hanc ipsam dandi facultatem patri debet. Ita nunquam beneficio eius vincitur, cuius beneficium est ipsum, quod vincitur. » Primum, quaedam initium ab aliis trahunt, et tamen initiis suis maiora sunt. Nec ideo aliquid non est maius eo quo coepit, quia non potuisset in tantum procedere, nisi coepisset. Nulla
3 non res principia sua magno gradu transit. Semina omnium rerum causa sunt: et tamen minimae partes sunt eorum quae gignunt. Adspice Rhenum, adspice Euphratem, omnes denique inclytos amnes: quid sunt, si illos illic unde effluunt, aestimes? Quidquid est quo timentur, quo nominantur, in processu paraverunt. Tolle radicem, nemora non surgent; nec
4 tanti montes vestientur. Adspice trabes, sive proceritatem aestimes, altissimas; sive crassitudinem spatiumque ramorum, latissime fusas: quantulum est his

Cuius beneficium... vincitur. Vinci beneficio a patre manavit, quia ipse qui vincit, id est filius, a patre originem habet. — *Vincitur* sc. pater. Haec omnia paulo subtiliora et obscura sunt: *Lagrange* vertit: *Jamais le père ne peut être surpassé en bienfaits, puisque sa défaite même serait un bienfait de sa part.*

Maius eo quo coepit. Sic omnes codd. et edd. Pinc. tamen coni. *a quo coepit*.

Quidquid est... paraverunt, materiam incutiendi timorem et famam sibi acquirendi nondum habuere *Euphrates* in montibus Armeniae, *Rhenusque* in montibus Helvetiae: nominasse videtur hos fluvios, quia tunc temporis imperii rom. termini erant.

Trabes i. magnas arbores: qua significatione praesertim poëtis haec vox in usu fuit: quamobrem Nonius Marcell. c. 2, 845 fragmentum Varronis attulit. Vsitatior vox fuit de lignis compactis, de columnis, etc. Caeterum quam in crassitudinem interdum excrescant arbores incredibile est. In Aetna arbor quaedam est, quam sciunt omnes, nec de hoc hodie dubitare licet, centum et quinquaginta pedes in circuitu habere. Et in Americae Africaequememoribus multas trabes crassiores esse fama est, eius inprimis arboris quae *Baobab* vulgo dicitur.

Latissime fusas. Cic. de Orat. I,

Digitized by Google

comparatum illud, quod radix tenui fibra complectitur? Innituntur fundamentis suis templa, et illa urbis moenia: tamen quae in firmamentum totius operis iacta sunt, latent. Idem in caeteris evenit: principia sua semper sequens magnitudo obruit. Non potuissem quidquam consequi, nisi parentum beneficium antecessisset: sed non ideo quidquid consequutus sum, minus est eo, sine quo consecutus non essem. Nisi me nutrix aluisset infantem, nihil eorum, quae consilio ac manu gero, facere potuissem, nec in hanc emergere nominis claritatem, quam civili ac militari industria merui: numquid tamen ideo maximis operibus praeferes nutricis officium? At quid interest, quum aeque sine patris beneficio, quam sine nutricis fomento, non potuerim ad ulteriora procedere?

XXX. Quod si initio meo quidquid iam possum debeo, cogita non esse initium mei patrem, ne avum quidem. Semper enim erit ulterius aliquid, ex quo originis proximae origo descendat. Atqui nemo dicet

7 exprimit, Platonem X p. 286 bip. imitans; platanus... patulis est diffusa ramis.

Officium I. ministerium. Cf. supra c. 18, 1: nam nutrices, *μαῖαι*, servilis fuere conditionis et apud Graecos et ap. Rom.

Quam sine nutricis fomento. Vltima vox, quae in Erasmica et antiq. edd. comparet, desideratur in Pinc. et Grut. codd. ideoque a Pinc. et Grut. ejecta est. Sed nexus sententiae eam poscit, et licet *beneficio* etiam huc trahas, tamen mancum quid oratio sonat, non e more Senecae: fomentum de nutrimento apud nostrum quoque occurrit, Epist. 102, 26: ex maternorum viscerum calido mollique fomento. Nat Qu. IV, 13 med. Omnino de quacunque re dolores mitigante in usu erat, e. c. Horat. Epp. I, 2, 52 ubi cave cum Buhrio *fomenta podagram* mutes in *tomenta*, quamquam Wakefieldus temere in textum receperit.

XXX. Ago. Si infra paterni muneris aestimationem iacet quidquid munerum patri filius pius ingerit, debet plus etiam filius avo, abavo, atavo quam patri; nam ut a patre filius, sic ab avo pater, etc. Debet etiam plus quam unquam reddet medico, qui vitam patri, nondum patri, servaverit. Tum non esse ad bene vivendum satis ipsius vitae donum; non igitur patrem qui filio vitam duntaxat dederit, causam vere extitisse cur bene vixerit. Ad hoc,

Digitized by Google

me plus debere ignotis, et ultra memoriam positis maioribus, quam patri: plus autem debeo, si hoc ipsum
2 quod genuit me pater meus, maioribus debet. Quidquid praestiti patri, etiamsi magnum est, infra aestimationem paterni muneris est, quia non essem, si non genuisset? Isto modo, etiamsi quis patrem meum aegrum ac moriturum sanaverit, nihil praestare ei potero, quod non beneficio eius minus sit; non enim genuisset me pater, ni sanatus esset. Sed vide ne illud verius sit aestimari, an id quod potui, et id quod feci,
3 meum sit, mearum virium, meae voluntatis. Illud quod natus sum, per se intuere quale sit: animadvertes exiguum et incertum, et boni malique communem materiam, sine dubio primum ad omnia gradum; sed non ideo maiorem omnibus, quia primum. Servavi patrem, et ad summam provexi dignitatem, et principem urbis suae feci; nec tantum rebus a me gestis nobilitavi, sed ipsi quoque gerendarum ingentem ac facilem, nec tutam minus quam gloriosam dedi ma-
4 teriam. Honores, opes, quidquid humanos ad se animos rapit, congessi; et quum supra omnes starem, infra illum steti. Dic nunc, Hoc ipsum, quod ista potuisti, patris munus est. Respondebo tibi, Est prorsus, si ad ista facienda nasci satis est; sed si ad bene vivendum minima portio est vivere, et id tribuisti, quod cum feris mihi et animalibus quibusdam minimis, qui-

patrem voluptatis causa genuisse et inscium: filium, si patris vitam servarit, et scire quid faciat, nec voluptatis cupidine duci.

Quidquid praestiti, etc. Sunt verba adversarii, quae Seneca ita adhibet, quasi ab eo accepta in suam personam transferat. Signo interrogandi distinxi. At isto modo medicum remunerari satis nunquam potero.

Sed, vide ne. Fortasse aequius rem aestimaveris, etc.

Sed si ad bene vivendum. Noster Ep. LXXVII, 17: Quomodo fabula, sic vita: non quam diu, sed quam bene acta sit, refert. Ep. CI, 5: quam bene vivas referre, non quam diu.

Et id tribuisti. Scilicet nasci, vivere.

Digitized by Google

busdam etiam foedissimis commune est; noli tibi asserere, quod non ex tuis beneficiis, etiamsi non sine tuis, oritur. Puta me vitam pro vita reddidisse. Sic quoque munus tuum vici, quum ego dederim sentienti; quum sentiens me dare; quum vitam tibi non voluptatis meae causa, aut certe per voluptatem dederim; quum tanto maius sit retinere spiritum, quam accipere, quanto levius mori ante mortis metum.

XXXI. Ego vitam dedi statim illa usuro: tu nescituro an viveret; ego vitam dedi mortem timenti: tu vitam dedisti, ut mori possem; ego vitam tibi dedi consummatam, perfectam: tu me expertem rationis genuisti, onus alienum. Vis scire, quam non sit magnum beneficium, vitam sic dare? exposuisses: nempe iniuria erat genuisse. Quo quidem colligo minimum esse beneficium, patris matrisque concubitum, nisi

Quum sentiens me dare. Suppl. dederim. Egregie contra Zinzerling. Promuls. c. 22, sinceritatem lectionis defendit Gronovius. Repetitio particulae, ait, est rhetorica, pueris nota. Eamdemque scripturam iam antea probaverat Gruterus.

Tanto maius sit.... ante mortis metum. Mori ante mortis metum dulce et gratum est, certe nec iniucundum nec formidandum: ita nec vitam non accepisse, quam non exoptabant, minime dolendum est.

XXXI. Anc. Continuatio eiusdem materiae. Quam parvi sit pretii donum vitae per se, nudae.

An viveret omnium codd. lectio est, non *viverem*.

Vt mori possem. Acute extenuat beneficium paternum et suum auget. Sicut levius est mori, priusquam timeas mori, nempe in infantia aut pueritia, sic maius aestimandum retinere aliquem in vita, cuius sensum habet, quam dare eam non sentienti. *Lips.*

Onus alienum. Matris quae in utero gestavit.

Exposuisses plerique codd. dant, probante Pinc. et Grou. Antea erat: *Si exp.*

Exposuisses: nempe iniuria, etc. *Lagrange* interpretatur: *Vous n'aviez qu'à m'exposer, et alors c'eût été une injure de m'avoir engendré.* Liberos exponendi mos iam a Romulo dicitur esse vetitus, nisi infantes monstrosi, debiles aut insignes ad deformitatem essent iudicati. Cf. Dionys Halic. II, p. 88 lips. ed. anni 1691 fol. In Legg. XII tabb. etiam fuit. Cic. de Legg. III, 8. Sub imperatoribus tamen nihil hac expositione fuit frequentius: cf. Sueton. Octav. 65; Calig. 5. Tacit. Hist. V, 5. Vide quae ex Germanicis clariss. et doctt. vir. *Noodt* et *Bynkershoek* scriptis huc de re retulit Heineccius in Antiq. rom. ad Institut. I,

Digitized by Google

accesserint alia quae prosequerentur hoc initium muneris, et aliis officiis ratum facerent. Non est bonum vivere, sed bene vivere. At bene vivo: sed potui et
3 male: ita hoc tantum est tuum, quod vivo. Si vitam imputas mihi per se, nudam, egentem consilii, et id ut magnum bonum iactas, cogita te mihi imputare muscarum ac vermium bonum. Deinde, ut nihil aliud dicam, quam bonis artibus me studuisse ut cursum ad rectum iter vitae dirigerem: in ipso beneficio tuo, maius quam quod dederas, recepisti. Tu enim me mihi rudem et imperitum dedisti: ego tibi filium, qualem genuisse gauderes.

XXXII. Aluit me pater. Si idem praesto, plus reddo: quia non tantum ali se, sed a filio ali gaudet, et maiorem ex animo meo, quam ex ipsa re, percipit voluptatem. Illius alimenta ad corpus tantum meum pervenerunt. Quid, si quis in tantum processit, ut aut eloquentia per gentes enotesceret, aut iustitia, aut bellicis rebus, et patri quoque ingentem circumfunderet famam, tenebrasque natalium suorum clara luce discuteret, non inaestimabile in parentes suos
2 beneficium contulit? An quisquam Aristonem et Gryllum, nisi propter Xenophontem ac Platonem filios, nosset? Sophroniscum Socrates exspirare non patitur. Caeteros enumerare longum est, qui vivunt ob nullam causam aliam, quam quod illos liberorum eximia virtus tradidit posteris. Vtrum maius beneficium dedit

9, p. 137, not. b. Parum humane itaque non solum antiquos legumlatores hac de re statuisse constat: sed ipse Aristoteles Polit. VII, 16 vetat, ne quidquam orbatum natura (πεπηρωμένον) aleretur.

XXXII. Ano. Exempla virorum qui plus patri praestiterunt quam a patre acceperunt, Xenophontis, Platonis, Socratis, M. Agrippae, tum ipsius Augusti.

Aristonem. Aristo Platonem genuit e Perictiona.

Gryllum. Xenophontis hic pater fuit. Cf. Fabric. Bibl. Gr. Vol. III, p. 1, et p. 57 Harl.

M. Agrippae pater, ne post Agrippam quidem notus: an patri dedit Agrippa, navali corona insignis, unicum adeptus inter dona militaria decus? qui tot in urbe maxima opera excitavit, quae et priorem magnificentiam vincerent, et nulla postea vincerentur? Vtrum 3
Octavius maius ullum beneficium dedit filio, an patri divus Augustus, quamvis illum umbra adoptivi patris abscondit? Quantam cepisset voluptatem, si illum, post debellata arma civilia, vidisset securae paci praesidentem, non agnoscens bonum suum, nec satis credens, quoties respexisset ad se, potuisse illum virum in domo sua nasci? Quid nunc caeteros persequar, 4
quos iam consumpsisset oblivio, nisi illos filiorum gloria e tenebris eruisset, et adhuc in luce retineret? Deinde quum quaeramus, non quis filius patri maiora beneficia reddiderit, quam a patre acceperat, sed an possit aliquis maiora reddere; etiamsi quae retuli exempla nondum satisfaciunt, nec beneficia parentum suorum supermicant; capit tamen hoc natura, quod

Ne post.... notus. De hac ignobilitate Agrippae cf. Seneca pater lib. II Controvers. IV (XII) p. 195, Tom. III Gronov.

Vnicum. I. e. rarissimum, utpote quod solus praeter Agrippam M. Varro accepit. Plin. H. N. 16, 4.

Maxima opera excitavit. Ex. c. aquaeductus (Dio Cass. LIV, 12), balneum laconicum, arcum Neptuni, Pantheon, etc. Dio Cass. LIII, 27, LIV, 30. Conf. ad Epistol. XCIV, 46.

Octavius. C. Octavius Octaviani pater, parum per se notus, etsi propraetor in Macedonia anno V. C. 694, Bessos et Thracas vicerit, Imperatorisque nomen obtinuerit.

Vmbra adoptivi patris. Iulii Caesaris, qui verum, et legitimum patrem *Octavium* oblivioni fere tradidit. Nihilominus C. Octavii patris gaudium magnum fuisset, etc. Imago arboris, qua modo usus est, fortasse illos Virgilii Georg. II, 82, versus satis celebres: *Miraturque novas frondes et non sua poma*, in memoriam revocavit.

Deinde quum quaeramus, non, quis omnes palatini, et Naz. cum Colon. *Deinde.... num quis, non quaerimus* debetur veteri codici Erasmi. *Deinde non quaeramus num quis* ante Gruterum vulg. Gronovius servat veterem codd. lectionem, nisi quod *num* in *non* mutat, et ita distinguit, ut verba: *etiamsi.... supermicant* pro parenthesi habeat et *capit tamen* ad *Deinde quum* referat. Secutus eum sum.

Supermicant. Omnium edd. antiq. lectio est; codd. inprimis Naz. tamen

nondum ulla aetas tulit. Si singula paternorum meritorum magnitudinem exsuperare non possunt, plura in unum congesta superabunt.

XXXIII. Servavit in praelio patrem Scipio, et praetextatus in hostes equum concitavit: parum est, quod ut perveniret ad patrem, tot pericula maximos duces quummaxime prementia contempsit, tot oppositas difficultates; quod ad primam pugnam exiturus tiro per veteranorum corpora cucurrit; quod annos suos
2 transilivit: adiice, ut idem patrem reum defendat, et conspirationi inimicorum potentium eripiat; ut alte-

servant *superiniiciunt*, unde, Salmasio ad Solinum auctore, Gronovius *superiaciunt* legendum suadet, tum ad Liv. X, 30 et 38, 58, tum ad h. l., collato usu Graec. τῶν ὑπερακοντίζειν et ὑπερβάλλειν. Si vero nulla emendatione admissa codd. lectio bonum sensum funderet, libenter sequerer: sed quum haec emendari prius debeat, quam illa uti possim, istam ab edd. oblatam eamque bonum sensum praebentem praeferam, nec quidquam mutem.

XXXIII. Anc. Etsi exempla nulla exstarent quae beneficia demonstrarent aliquando a filio patri dari, quaedam tamen licet fingere; saepe enim quae nunquam evenere natura capit. Fingamus ergo P. Scipionem Africanum, patris sui servatorem, non modo incolumem hunc fecisse ab hostibus, sed inimicorum conspirationi eripuisse, consulatus multos et opes adiecisse, denique omnia in eius caput congessisse quae fingi aut optari queunt, nonne ille patri beneficium tunc dederit.

Scipio. De *P. Cornelio Scipione* Africano maiore idem narrat Liv. XXI, 46, qui ait: *Servati consulis* (*P. Corn. Scipionis patris huius filii celeberrimi*) *decus Coelius ad servum natione Ligurem delegat: malim equidem de filio verum esse, quod et plures tradidere auctores, et fama obtinuit.* Polyb. X, 3 memorat rem quoque ex ore Laelii intima cum Scipione amicitia iuncti. Actum hoc est a. V. C. 536 in proelio equestri cum Annibale ad Ticinum, Scipione annum decimum septimum agente, ideoque et *praetextato et tirone*, etsi eum togam virilem iam assumpsisse verisimile sit, quod anno XV aut XVI aetatis factum constat.

Ad primam pugn. exiturus. Vt ad primos militum ordines erumperet.

Annos suos transilivit. Lagrange: *Faire des efforts au-dessus de son âge.*

Adiice, ut idem, etc. Noli credere, Scipionem filium haec omnia pro patre revera gessisse. Nam historia docet, patrem consulatu deposito in Hispaniam abiisse cum supplemento copiarum et ibi a. V. 544 cum fratre periisse: vid. Polyb. III, 37 sq. X, 7 et 36. Liv. 25, 36. Animo, potius ait, fingas, eum omnia, quae pietas in patrem conferre posset, in patrem suum cumulavisse beneficia, et compares tunc cum eo patrem, etc.

rum illi consulatum, ac tertium, aliosque honores etiam consularibus concupiscendos congerat; ut pauperi raptas belli iure opes tradat; et, quod est militaribus viris speciosissimum, divitem illum spoliis etiam hostilibus faciat. Si adhuc parum est, adiice ut provincias et extraordinaria imperia continuet; adiice ut dirutis maximis urbibus, Romani imperii sine aemulo ad ortus occasusque venturi defensor et conditor, maiorem nobilitatem nobili viro adiiciat. Dic Scipionis patrem: dubium est, quin generandi vulgare beneficium vicerit eximia pietas et virtus, ipsi urbi nescio utrum maius praesidium afferens, an decus?

XXXIV. Deinde, si hoc parum est, finge aliquem tormenta patris discussisse; finge in se transtulisse. Licet tibi in quantum velis extendere beneficia filii, quum paternum munus et simplex sit, et facile; sed et danti voluptarium: quod necesse est ille multis

Honores etiam consularibus concupiscendos. Quales erant censura quae consularibus tantum viris concedebatur, principis senatus appellatio, etc.

Extraordinaria imperia. H. e. dignitates quae nulla lege praefixae sunt et extra ordinem reipublicae omnino sunt. Cicer. ad Attic. lib. XI, epist. XX: *At enim Caesari imperium extraordinarium meu sententia dedi, sed ille mihi praesidium extraordinarium dederat.* Vbi praesidium extraordinarium est plures armati viri quam vulgo et e lege alicui datur ad custodiendum latus.

Dic Scipionis patrem. H. e. nomina nunc patrem Scipionem, aude patris nomen proferre! an alicui dubium erit, etc.

Dic Scipionis patrem: dubium est... decus? Sic optimi codd. Vulgatae tenent: *haud dubium.... decus.* Recte Gronov. codd. secutus, accipe, ait, an dubium est, dubiumne est?

XXXIV. Ang. Hypotheses novas subiungit; aliisque aliisque bene multis muneribus praestitis rogat an non filio pater sit obligatus. Vanum quod supra allegatum erat, nempe patris beneficium et hoc esse, quod patri filius quidquam praestare possit. Idem igitur de institutore posse dici: quod ridiculum.

Sed et danti voluptarium, quod necesse est, ille multis dederit, etc. Quum vulgata *nec dante voluntarium. Quid necesse est multis?* haberet, codd. autem darent, *sed dante voluntarium*, et deinceps *quod necesse est, ille multis dederit etiam*: Pincianus egregie sensum Senecae perspiciens dedit: *sed et danti voluptarium, quod*

dederit, etiam quibus dedisse se nescit; in quo consortem habet, in quo spectavit legem patriam, praemia patrum, domus ac familiae perpetuitatem, omnia po-
2 tius quam eum cui dabat. Quid si quis sapientiam consecutus, hanc patri tradiderit, etiam nunc disputabimus, an maius aliquid dederit, quam acceperat: quum vitam beatam patri reddiderit, acceperit tantum vitam? Sed patris, inquit, beneficium est, quidquid facis, quidquid praestare illi potes. Et praeceptoris
3 mei, quod institutis liberalibus profeci. Ipsos tamen, qui tradiderunt illa, transcendimus; utique eos, qui prima elementa docuerunt. Et quamvis sine illis nemo quidquam assequi posset, non tamen quantumcunque qui assecutus est, infra illos est; multum inter prima,

necesse est, etc. eumque iure secutus est Gronovius, qui praeclare locum hunc interpretatus est. — Virgulam quam Ruhkopf ante *etiam* ponit, nos post hanc voc. transtulimus, perspicuitatis causa.

Sed et danti voluptarium, quod necesse est, ille multis dederit, etiam quibus dedisse se nescit. Omnia haec eodem filo ducuntur ad minuendum beneficium paternum. Nihil impedit, inquit, quominus in immensum exaggeres beneficia, quae a filio potest accipere pater: nullum est enim tanti momenti, tam late patens, quod ab homine in hominem manare possit, quod non etiam patri expensum ferre queat filius, quum interim paternum illud genituras sit unum, vulgare, obvium paratumque, praeterea lusus et iocus danti; tam eiusmodi, quod necessario (quotus enim quisque in uxore primum virum se experitur?) multis dederit, quos non agnoscit, et quod non solum dedit, sed partem in eo consors tori vindicat; de quo ut cogitaret, invitatus est non commodo aut necessitate accepturi, sed poenis caelibum lege irrogatis et praemiis patrum, et desiderio propagandae gentis, denique omnibus aliis potius, quam respectu eius cui dabat. *Gronovius.*

Lex patria est lex Iulia de maritandis ordinibus, quam pertulit Augustus. Sueton. Aug. 89. Praemia autem sunt lege Papia Poppaea promissa, e. c. ius liberorum trium, quatuor et quinque, quod omnium munerum personalium immunitatem haberet. Cf. Heineccii Antiq. rom. ad Instit. I, tit. 25.

Institutis. Lipsium *in studiis* emendaturum repressit Gronovius initio nott. ad Ciceron. de Officiis.

Ipsos tamen.. . . transcendimus. Superare solemus. Nam gratum in praeceptores animum commendat laudatque: quum plerumque illi qui prima elementa docerent, γραμματοδιδάσκαλοι et γραμματισταὶ parvi aestimarentur. Cf. Lucian. III, pag. 23 hip. not.

Digitized by Google

ac maxima interest. Nec ideo prima maximorum instar sunt, quia sine primis maxima esse non possunt.

XXXV. Iam tempus est quaedam ex nostra, ut ita dicam, moneta proferri. Qui id beneficium dedit, quo est aliud melius, potest vinci: pater dedit filio vitam, est autem aliquid vita melius: ita pater vinci potest, quia dedit beneficium, quo est aliquid melius. Etiamnunc, qui dedit alicui vitam, si semel et iterum 2
liberatus est mortis periculo, maius accepit beneficium, quam dedit: pater autem vitam dedit: potest ergo, si saepius periculo mortis liberatus a filio fuerit, maius beneficium accipere, quam dedit. Qui beneficium accepit, maius accipit, quo magis eo indiget: magis autem indiget vita qui vivit, quam qui natus non est, ut qui nę indigere quidem omnino possit: maius ergo beneficium accipit pater, si vitam a filio accepit, quam filius a patre, quod natus est. Patris beneficia vinci a filii beneficiis non possunt: 3
quare? quia vitam accepit a patre, quam nisi accepisset, nulla dare beneficia potuisset. Hoc commune est patri cum omnibus, qui vitam dederunt alicui; non potuissent enim referre gratiam, nisi vitam acce-

XXXV. Ang. Quidquid supra dictum generaliter est, repetit conglobatim et concludit posse a filio patrem vinci beneficiis.

Ex nostra..... moneta. Stoica? an tua propria, o Seneca? Credo illum haec a se promere: priora ab Hecatone aut Chrysippo fuerunt. Lipsio haec indicanti iam praeiverat Henr. Stephanus lib. I, c. 1 Prood., consentiente Grut. Caeterum ut comparatio sermonis cum moneta est nota, ita et moneta h. l. pro copia, thesauro adhiberi apparet. Cf. Bentlei. ad Horat. A. P. 59.

Etiam nunc. I. e. praeterea. Quae nunc Seneca profert, non pro novis censeri possunt, sed sunt repetita ex antegressis, eo, ut puto, consilio, ut firmaret suo assensu, quae ex Hecatone aliisque recentioris Stoae auctoribus (iis enim Panaetius, Hecaton aliique adscribendi esse videntur), attulerat, vel refutaret dissensu. Dialecticum autem agit, Stoico more.

Potest ergo.... quam dedit. Vel, ut emendatius loquare, plura beneficia accepisse quam dedit. H. l. primum argum. explicit.

Vt qui ne indigere quidem omnino possit. Nam ille non indiget qui non est.

Digitized by Google

pissent. Ergo nec medico in maius gratia referri potest; solet enim et medicus vitam dare; nec nautae, si naufragum sustulit. Atqui et horum et aliorum, qui aliquo modo nobis vitam dederunt, beneficia vinci possunt. Ergo et patrum possunt. Si quis mihi beneficium dedit, quod multorum beneficiis adiuvandum esset, ego autem beneficium illi dedi, quod nullius adiutorio egeret, maius dedi quam accepi: pater filio vitam dedit perituram, nisi multa accessissent, quae illam tuerentur: filius patri si dedit vitam, dedit eam, quae nullius desideraret auxilium, in hoc ut permaneret: ergo maius beneficium accepit a filio pater, qui vitam accepit, quam ipse illi dederat.

XXXVI. Haec non destruunt parentum venerationem, nec deteriores illis liberos faciunt, immo etiam meliores; natura enim gloriosa est virtus, et anteire priores cupit. Alacrior erit pietas, si ad reddenda beneficia cum vincendi spe venerit. Ipsis patribus id volentibus laetisque contigerit; quoniam pleraque sunt, in quibus nostro bono vincimur. Vnde certa-

Si naufragum sustulit. Si effusum medias in aquas et mox animam efflaturum sustulerit nando et ad littus usque incolumem vexerit.

Multorum beneficiis adiuvandum. H. e. munus quod, si solum detur continuo peribit, et cui alia adstrui necesse est. Nam hoc modo prius datum munus nova dona adiuvant.

XXXVI. Aug. His minime periclitari aut labascere liberorum venerationem erga parentes. Immo tale beneficiorum praelium utile et decorum. Exhortatio ad iuvenes ut parentes beneficiis conentur superare.

Gloriosa est virtus. Gloriosa hic pro *gloriae appetens*; quod ut satis tutum, ita non exemplis caret. Plaut. comoedium habet cui titulus Miles Gloriosus. Cic. pro Domo sua, cap. 93: *De seipso gloriosius loqui.* Et de Orat. lib. II, cap. 31: *Exorsus es enim gloriose.*

Alacrior erit pietas.... venerit. Ipsis patribus id volentibus laetisque, etc. Sic constituit lectionem e codd. Gron., quum antea haberetur: *Id si patribus idem vol. legibusque contigerit.*

Ipsis patribus id volentibus... contigerit; quoniam.... vincimur. Vnde, etc. Ipsi, ait, parentes maxime fuerint gavisi sic secum certari, cum hac vincendi voluntate venire ad se liberos: nam novum non est, et aliis in rebus, ex usu interdum nostro esse, ut in contendendo potius vincamur, quam

Digitized by Google

men tam optabile, unde tantam felicitatem parentibus, ut fateantur se ipsos filiorum beneficiis impares? Nisi hoc ita iudicamus, excusationem damus liberis: 2 et illos segniores ad referendam gratiam facimus, quibus stimulos adiicere debemus, et dicere, « Hoc agite, optimi iuvenes! proposita est inter parentes ac liberos honesta contentio, dederint maiora, an receperint. Non ideo vicerunt, quia occupaverunt. Sumite modo animum, qualem decet, et deficere nolite, ut vincatis, optantes. Nec desunt tam pulchro certamini duces, qui ad similia vos cohortentur, ac per vestigia sua ire ad victoriam, saepe iam partam ex parentibus, iubeant. »

XXXVII. Vicit Aeneas patrem, ipse eius in infantia leve tutumque gestamen, gravem senio, per media hostium agmina, et per cadentis circa se urbis ruinas ferens, quum complexus sacra ac penates deos religiosus senex non simplici vadentem sarcina premeret: tulit illum per ignes, et, quid non pietas potest? vincamus. O unde, tanquam ex arcano quodam pietatis thesauro, existet atque orietur nobis tam optabile certamen? unde sperabimus eventuram tantam felicitatem? Deinde, his positis, Gronovius affert loca quaedam e Senec. IV de Benef. 6, 3; de Tranq. Anim. c. 3; Ep. xcv; ex quibus apparet, *unde* saepe cum accusat. alioque casu poni, subintellecto verbo quodam. Addi potest Horat. Serm. lib. II, Sat. VII, vs. 116: *Vnde mihi lapidem?-quorsum est opus?-unde sagittas?*

Quia occupaverunt, h. e. quia ante vos venerunt.

Et deficere nolite, ut vincatis optantes. Sic edd. vett. et codd. nonnulli apud Grut. Gronoviumque: nam cod. Naz., *nolite, vincetis optates*, unde alterius manu factum erat *optantes*. Sensus erat: nolite destituere parentes vestros optantes, ut vincatis, nolite deesse illis optantibus, etc.

XXXVII. Arg. Nova exempla pietatis erga parentes: Aeneas, Siculi iuvenes, Antigonus (falso nominatus; vid. not. pag. seq.) et T. Manlius Capitolinus Torquatus, Imperiosi filius.

Vicit Aeneas patrem. Quis de hac pietate *Aeneae* in patrem *Anchisen*, quam tot, tantaque monumenta cuiuscumque generis celebrarunt, nihil ne fando quidem audiverit, aut hic notam exspectaverit, cuius materia cuilibet obvia est?

2 pertulit, colendumque inter conditores Romani imperii posuit. Vicere Siculi iuvenes: quum Aetna maiore vi peragitata, in urbes, in agros, in magnam insulae partem effudisset incendium, vexerunt parentes suos. Discessisse creditum est ignes, et utrinque flamma recedente limitem adapertum, per quem transcurrerent iuvenes dignissimi, qui magna tuto auderent. Vicit Antigonus: qui quum ingenti praelio
3 superasset hostem, praemium belli ad patrem transtulit, et imperium illi Cypri tradidit. Hoc est regnum, nolle regnare, quum possis! Vicit patrem, imperiosum quidem, T. Manlius: qui quum ante ad tempus relegatus esset a patre, ob adolescentiam brutam ac

Vicere Siculi iuvenes. Non minus nota est haec narratio, repetita nostro lib. VI, 36. Fratres hi servantes suos parentes e flammis vocantur Catanenses, urbe quippe Catana oriundi, Anapias et Amphinomus. Evenit autem res Olymp. 81, teste Stobaeo Eclog. Serm. 77, sive Serm. 198 francf. 1581, p. 676, ubi tamen fratres Philonomus et Callias appellantur: nam diversa nomina edunntur, quia fortasse diverso tempore res eadem acciderit. Aristoteles de mundo c. 6, et Licurg. Orat. in Leocrat. c. 23, p. 199, Tom. IV Reisk., primi huius rei mentionem fecerunt, quos multi secuti sunt. Sed cf. Excurs. VI (nost. ad Lucilii Aetnam vs. 620 ed. t. III, p. 188 Poët. min. lat.): ubi *Wernsdorf* copiosissime de hac re exposuit, quam et Vir amiciss. Iacobs. Exercitatt. crit. in scriptt. vett. Tom. II, p. 199 inscriptionem Cyzicenam erudite illustrans attigit.

Discessisse. Hanc lect. recepit ex. mss. Gronovius, quum antea esset: *dissedisse.*

Vicit Antigonus. Memoriae lapsu *Antigonus* memoratur, quum eius filius *Demetrius* Poliorcetes, hoc fecisse narretur. Plut. vit. Demetr. c. 16 sq. Hostis erat Ptolemaeus I rex Aegypti.

Hoc est... possis. Similia exempla laudat Freinshem. ad Curt. IV, 1, 18.

Manlius: multi hoc idem narrant, e. c. Cic. de Off. III, 31, 5 sq. Liv. VII, 4, etc. M. Pomponius trib. pl. eum ad populum accusaverat, quod is paucos sibi dies ad dictaturam gerendam addidisset, etc.: filius fuit ille Torquatus durus, qui filium securi occidi iussit, quod contra imperium pugnaverat cum hoste, Livio tradente.

Qui quum ante ad tempus relegatus. Sic Erasmus, al. nec fere abeunt codd. Naz. enim dat: *quum antea ad tempus*, alii *quum ante ad tempus r.* Locum in mendo cubare nemo dubitaverit. Hinc Gruterus fecit: *qui quum antea in rus rel.* Lipsius *ante id tempus*, nempe diei dictae et rei iam narrandae. Gronov.: calidam, ait, divinationem timide

Digitized by Google

hebetem, ad tribunum plebis, qui patri suo dixerat diem, venit: petitoque tempore, quod ille dederat, sperans fore proditorem parentis invisi, et bene meruisse se de iuvene credebat, cuius exsilium pro gravissimo crimine inter alia Manlio obiiciebat, nactus adolescens secretum, stringit occultatum sinu ferrum, et: « Nisi iuras, inquit, te diem patri remissurum, hoc te gladio transfodiam. In tua potestate est, utro modo pater meus accusatorem non habeat. » Iuravit tribunus: nec fefellit, et causam actionis remissae concioni reddidit. Nulli alii licuit impune tribunum in ordinem redigere.

XXXVIII. Alia ex aliis exempla sunt eorum, qui parentes suos periculis eripuerunt, qui ex infimo ad summum protulerunt, et e plebe acervoque ignobili nunquam tacendos saeculis dederunt. Nulla vi verborum, nulla ingenii facultate exprimi potest, quantum opus sit, quam laudabile, quamque nunquam a memoria hominum exiturum, posse hoc dicere: proponam: *qui quum Antiate in rus rel. esset a p.* Sed quis dixit in Antiati villam Manlii fuisse? Etsi nos careamus, non necesse est, caruisse auctoribus Senecam. Ingeniosa quidem est haec coniectura, sed valde incerta. Fuit quum emendarem: *ante a Republica rel.* sed meliores codd. exspectandi sunt.

Te diem patri remissurum. H. e. ab accusatione liberalis patrem. Nam ut *diem dicere* est *accusare*; sic pro *ab accusando desistere* erit τὸ *diem remittere.*

In tua potestate.... non habeat. H. e. quidquid aut accidat aut eveniat, iam meus pater ab accusatione securus est, neque ante tribunal accusante te sordidatus protrahetur. At duae sunt viae quibus illi securitas praestetur, aut pereas, aut taceas. Ego hic cum telo tibi inermi impendeo; iura te non locuturum, aut morere. Utroque modo, tacebis.

Actionis. E codd. inprimis Naz. et Col. receptum fuit, cuius interpretamentum, *accusationis*, in vulgatis est.

XXXVIII. Ang. Rursus exempla esse affirmat permulta talium victoriarum, et rursus protrepticon de colendis parentibus ad iuvenes subiicit. Certent omnes utri utros superaverint beneficentia. Felices victores! felices et qui vincentur.

Alia ex aliis exempla sunt. Sic omnes codd. et edd. Rudolphus vero Agricola coniecit *subeunt*, quod recentiores edd. invasit

2 Parentibus meis parui, cessi: imperio eorum, sive aequum, sive iniquum ac durum fuit, obsequentem submissumque me praebui: ad hoc unum contumax fui, ne beneficiis vincerer. Certate, obsecro vos, et fusi quoque restituite aciem. Felices, qui vicerint: felices, qui vincentur. Quid eo adolescente praeclarius, qui sibi ipsi dicere poterit (neque enim fas est alteri dicere): Patrem meum beneficiis vici? Quid eo fortunatius sene, qui omnibus ubique praedicabit, a filio se suo beneficiis victum? Quid autem est felicius, quam sibi cedere?

Posse hoc dicere. Quod Lesbonicus ille apud Plautum (Trinum. II, 2, 20: (*Semper ego usque ad hanc aetatem ab ineunte adolescentia Tuis servivi servitutem imperiis et praeceptis, pater. Pro ingenio ego me liberum esse ratus sum, pro imperio tuum.* Lips.

Fusi quoque restituite aciem. H. e. etiamsi interdum minora vestra dona fuerint, et pro parentibus prior steterit victoria, ne desperetis. Bellum redintegrate, nutantes aut palantes milites revocate; iterum signa canant. Hoc enim est *restituere aciem.* Metaphoras a re militari ductas Noster in deliciis habet, Stoicique fere omnes crebro usurpaverunt.

Quam sibi cedere. Quasi filius, alter sit ille. — Elzev. *ibi cedere.*

Digitized by Google

DE
BENEFICIIS

LIBER QVARTVS.

ARGVMENTVM

LIBRI QVARTI.

Arguta fere tractat, sed utilibus (ut semper) mixtis. Quaerit, an Beneficium et Gratia per se expetenda? asserit, contra Epicureos, qui omnia fructu metiebantur. Inter alia hoc argumento, quod etiam dii dent Beneficia: quod ipsum contra illos negantes ubertim docet. Obiectiones deinde removet, quae utilitatem versari in Beneficiis docere videantur. Tum ad Gratiam venit, et ostendit eam quoque referendam solius Honesti, non Vtilis, adspectu. Tum quaerit, An quem scias ingratum futurum, beneficium sit dandum? distinguit, et partim ait, partim negat. LIPSIVS.

L. ANNAEI SENECAE

AD

AEBVTIVM LIBERALEM

DE BENEFICIIS

LIBER QVARTVS.

I. Ex omnibus quae tractavimus, Aebuti Liberalis, potest videri nihil tam necessarium, aut magis, ut ait Sallustius, cum cura dicendum, quam quod in manibus est: An beneficium dare, et invicem gratiam referre, per se res expetendae sint? Inveniuntur qui honesta in mercedem colant, quibusque non placeat virtus gratuita: quae nihil habet in se magnificum, si quidquam venale. Quid enim est turpius, quam aliquem computare quanti vir bonus sit: quum virtus

I. Arg. Quaestionem, an beneficium dare et invicem gratiam referre, per se res expetendae sint, gravem esse contra Epicureos tractatur cap. 1 et 2, et in hoc, proposita quaestione, aperte ait beneficium alicui conferre esse rem honestam, ergo expetendam per se.

Sallustius. Bell. Iug. 54. Cortius p. 1010 in fragmentis ex Hist. VI collocavit hunc locum, nescio qua causa motus. Sallustius hac locutione primus et saepius usus esse videtur: Livius tamen quoque usus est XXXV, 9; est id. q. ἀκριβῶς. cf. de Provident. 5, 7, supra pag. 39: vir cum cura dicendus: de Tranq. Anim. c. 14 extr. Tacito frequens haec locutio.

Inveniuntur, Epicurei.

Si quidquam venale. Sic optimi codd. Alii tamen inferunt: *si quidquam habet v. Quum virtus nec lucro invitet, nec absterreat damno* optimi codd. dant, et Gruteri et Pinciani, qui tamen maluit... *invitetur*,... *absterreatur d.* Vulgg. habent.... *quum virtutem nec lucrum invitet, nec absterreat damnum.*

Quanti, i. e. quo pretio virtu-

nec lucro invitet, nec absterreat damno, adeoque neminem spe ac pollicitatione corrumpat, ut contra in se impendere iubeat, ac saepius in ultro tributis sit? Calcatis utilitatibus ad illam eundum est, quocumque vocavit, quocumque misit, sine respectu rei familiaris: interdum etiam, sine ulla sanguinis sui parcimonia vadendum, nec unquam imperium eius detrectan-
3 dum. Quid consequar, inquit, si hoc fortiter, si hoc grate fecero? Quod feceris. Nihil tibi extra promittitur: si quid forte obvenerit commodi, inter accessiones numerabis. Rerum honestarum pretium in ipsis est. Si honestum per se expetendum est, beneficium autem honestum est, non potest alia eius conditio esse, quum eadem natura sit. Per se autem expetendum esse honestum, saepe et abunde probatum est.

II. In hac parte nobis pugna est cum Epicureorum

tem sequatur: quasi non ipsa sui *est*. Est enim praecipuum dogma, pretium.

Vt contra... sit. Vt saepius dare quam accipere iubeat. *Vltro tributa* aliquoties apud Liv. XXXIX, 44, XLIII, 16, occurrunt de impensis operum publicorum mancipibus et redemptoribus certa mercede locatorum. Significat itaque h. l. sumptum magnum impensasque virtutis causa saepe esse faciendas. Cf. Heinecc. Antiq. rom. III, 23, 10. Lipsius laudat, Turnebi Adversar. I, 29.

Calcatus, contumeliose habitis. Cf. ad Epistol. XXXI, 1.

Si hoc grate fecero. Si gratum animum et memorem in agendo ostendero.

Accessiones. Res fortuitas, quae fiunt aliquando, et quae necessario fore nil probat.

Si honestum per se expetendum est principium Stoae. Simile est principium philosophi celeber. *Kantii*, quatenus aeque a ratione profectum est ac hoc stoicum.

II. ARG. Epicureos reprehendit qui virtutem ministram voluptatis esse contendunt; et eos confutat qui, dum aiunt ab Epicuro semper voluptatem et virtutem iungi, disputationem hanc tantum credunt de ordine esse, non de rebus.

In hac parte nobis, etc. Iam in libro de Vita Beata capp. 9–12, et Ep. LXXIV de hac re disputatum esse vidimus. Cf. egregium Kantii iudicium in commendatiss. opere *Critik der prakt. Vernunft* p. 198 sq. ed. II, quod laudamus ad Epist. LXXXV, 15. Caeterum facilis erat disputatio Stoicorum contra Epicureos, inprimis hosce, qui nonnisi in voluptatibus

Digitized by Google

delicata et umbratica turba, in convivio suo philosophantium: apud quos virtus voluptatum ministra est. Illis paret, illis deservit, illas supra se videt. Non est, inquit, voluptas sine virtute. Sed quare ante virtutem est? De ordine putas disputationem esse? De re tota, et de potestate eius ambigitur; non est virtus, si sequi potest. Primae partes eius sunt: du- 2
cere debet, imperare, summo loco stare; tu illam iubes signum petere. Quid, inquit, tua refert? et ego sine virtute nego beatam vitam posse constare. Ipsam voluptatem, quam sequor, cui me mancipavi, remota illa, improbo et damno; de hoc uno disputatur, utrum virtus summi boni causa sit, an ipsa summum bonum. Vt hoc unum quaeratur, ordinis, tantum existimas mutationem? ista vero confusio est et manifesta caecitas, primis postrema praeferre. Non indignor, quod post voluptatem ponitur virtus, sed quod omnino cum voluptate confertur. Contemptrix eius et hostis est, et longissime ab illa resiliens, labori ac dolori familiarior, virilibus incommodis, quam isti effeminato bono.

III. Inserenda haec, mi Liberalis, fuerunt, quia beneficium, de quo nunc agitur, dare virtutis est,

crassioribus felicitatem suam ponerent, perperam et contra Epicuri voluntatem ἡδονὴν felicitatem interpretantes. Vide Arrian. Diss. Epictet. III, 7. Cic. de Fin. II; et *Bayle* in *Dictionnaire histor. et crit. Epicure.* Non multum dissimilis est rixa, quae nuper inter rigidos Kantianismi et Eudaemonismi asseclas agitata est.

In convivio suo philosophantium. Omnes philosophi libenter de rebus philosophicis inter discumbendum loquebantur; unde Symposium Platonis, Symposium Xenophontis, et Athenaei Dipnosophistae, hoc est, philosophi (σοφισταὶ) coenantes (δεῖπνον, *coena*). At libentius Epicurei, quibus in gula et re veneria omnis vita constare videbatur.

Iubes signum petere. Signum dat imperator, milites petunt.

Vt. Etiamsi, quamquam.

III. Anc. Gratiae itaque nulla est ratio habenda, quod nec Dii faciunt in beneficiis dandis: usque a cap. IX. In hoc tamen capite illud exponit simpliciter, nondum de obiectionibus cogitans.

et turpissimum, id causa ullius alterius rei dare, quam ut datum sit. Nam si recipiendi spe tribueremus, locupletissimo cuique, non dignissimo, daremus; nunc vero diviti importuno pauperem praeferamus:
2 non est beneficium, quod fortunam spectat. Praeterea, si ut prodessemus, sola nos invitaret utilitas, minime beneficia distribuere deberent, qui facillime possent, locupletes, et potentes, et reges, aliena ope non indigentes. Dii vero tot munera, quae sine intermissione diebus ac noctibus fundunt, non darent; in omnia enim illis natura sua sufficit, plenosque et
3 tutos, et inviolabiles praestat. Nulli ergo beneficium dabunt, si una dandi causa est, se intueri ac commodum suum. Istud non beneficium, sed foenus est: circumspicere, non ubi optime ponas, sed ubi quaestuosissime habeas, unde facillime tollas. Quod quum longe a diis remotum sit, sequitur ut illi liberales sint; nam si una beneficii dandi causa sit dantis utilitas, nulla autem ex nobis utilitas deo speranda est, nulla deo dandi beneficii causa est.

IV. Scio quid hoc loco respondeatur. Itaque non

Nunc vero diviti importuno pauperem praeferamus. Sic cod. Naz. aliique: *praeferimus* vulg. At sensus subiunctivum postulare videtur: et causa additur. Caeterum recte *importuno* praefertur a Gronov. emendationi Lipsii *opportuno*. — *Diviti importuno*. i. impotenti, improbo, superbo, fastidioso. Horat. Carm. lib. IV, od. 13, 9, ad Lycen: *Importunus amor transvolat aridas Quercus, et refugit te, quia luridi dentes*, etc. Ipse se interpretatur, qui infra, cap. X, §. 4: Ideo locupletem sed indignum praeteribo. Cicero alio semper sensu vocem *importunus* usurpat.

Dii.... fundunt, etc. e divite et pleno sinu. Egregia haec conspirant cum dictis Christi Servatoris apud Matth. V, 45. Luc. VI, 35 et Pauli Actorum Apost. XIV, 15 et 16. Nostro perquam familiaria fuisse docent de Benef. I, 1, 9, IV, 25 init., etc. Hymnus Cleanthis in Iovem ap. Brunck. Poët. gnom. graec. p. 141 sq. praeiverat.

Sequitur ut illi liberales sint. Sic cod. Naz. al. Antea *liberales*, sine *illi*.

IV. Aug. Obiectionem diluit Epicureorum qui negant a Diis beneficia conferri, quippe qui in caelis otiosi, beati et surdi, neque nobis egentes, vitam agitant. Sed id falsum esse con-

Digitized by Google

dat Deus beneficia, sed securus et negligens nostri, aversus a mundo, aliud agit, aut, quae maxima Epicuro felicitas videtur, nihil agit, nec magis illum beneficia, quam iniuriae tangunt. Hoc qui dicit, non 2
exaudit precantium voces, et undique sublatis in caelum manibus vota facientium, privata ac publica. Quod profecto non fieret, nec in hunc furorem omnes mortales consensissent alloquendi surda numina et inefficaces deos, nisi nossent illorum beneficia nunc ultro oblata, nunc orantibus data, magna, tempestiva, ingentes minas interventu suo solventia. Quis est au- 3

sensus omnium populorum demonstrat: nam omnes populi precantur Deum; quod non fieret, si surdum et nulli exorabilem hunc crederent. Tum providentiam in omnibus divinam eminere, et mille nobis munera porrigi a Deo, quae quia perpetuo renovata, vix iam animum et oculos feriunt.

Itaque. Quia nulla Deo dandi beneficii causa est.

Epicuro. Res nota est. Conferas tamen Baylii Dictionn. hac voc. Lipsius laudat ex Epicuri epistola ad discipulum eumdemque amicum suum Herodotum (apud Diog. Laërt. X, 77): οὐ γὰρ συμφωνοῦσι πραγματεῖαι καὶ φροντίδες καὶ ὀργαὶ καὶ χάριτες μακαριότητι, ἀλλ' ἀσθενείᾳ καὶ φόβῳ καὶ προσδήσειτῶν πλησίον ταῦτα γίνεται: ubi Menagius praeter alia Lucretii I, 60 de natura divina haec affert: *Nam privata dolore omni, seiuncta periclis, Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri, Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.*

Hoc qui dicit. Sic omnes codd. et edd.: nec sollicitari debet, modo recte interpreteris. Gronov. exponit: Qui ita respondet, ille istis verbis hanc sententiam expromit: Deus non exaudit, etc. At non opus est, ut cum eodem Gronov. τὸ *qui* deleas. Videas inferior. not. Caeterum iam antiquis temporibus hic locus valde turbatus fuerit, quod videre licet e mira lectionis varietate: nam omnes codd. habent non *facientium*, sed *facientibus*, et inserunt multi *geri* post *privata*, nonnulli, τῷ *geri* omisso, addunt] *non attendit.* Hoc postremum pro glossa τῶν *non exaudit* habeo, et *facientibus* ortum e compendio scribendi.

Hoc qui dicit... publica. Qui hoc dicit, nunquam audiverit necesse est precantium voces, etc. Contra omnem omnium hominum usum itaque Epicurus haec dixisse videtur, ille qui tamen ipse consensum hominum tanti fecerit in demonstratione sua, deum esse. *Exaudire* autem esse i. q. audire notum est, et hoc sensu infra occurrit IV, 21, 2. Nexus denique sententiarum hanc interpretationem postulat, quem non intellexerunt interpp., fortasse quia vim verbi *exaudit* male ceperint.

Inefficaces deos. H. e. deos qui nihil possunt efficere.

Ingent. minas. Nempe *fatorum.*

Quis est autem tam miser, etc.

tem tam miser, tam neglectus, quis tam duro fato, et in poenam genitus, ut non tantam deorum munificentiam senserit? Ipsos illos complorantes sortem suam et querulos circumspice; invenies non ex toto beneficiorum caelestium expertes: neminem esse, ad quem non aliquid ex illo benignissimo fonte manaverit. Parum est autem id, quod nascentibus ex aequo distribuitur? Vt quae sequuntur, inaequali dispensata mensura, transeamus, parum dedit natura, quum se dedit?

V. Non dat Deus beneficia! Vnde ergo ista quae possides? quae das? quae negas? quae servas? quae rapis? unde haec innumerabilia, oculos, aures, animum mulcentia? unde illa luxuriam quoque instruens copia? Neque enim necessitatibus tantummodo nostris provisum est; usque in delicias amamur: tot arbusta, non uno modo frugifera, tot herbae saluta-

Egregia sunt haec, quorum multa similia vel ex ipso nostro afferri possent, si brevitas notarum nostrarum pateretur. Multa similia Cicero quoque de Nat. D. habet.

Duro fato. I. diis adversis natus et in miserias.

Se dedit. Natura est mundus. Adspicimus naturam, pascimur ab ea et varie oblectamur.

V. Arg. Deorum beneficia enumerantur. Terra, arbores, herbae, fluvii, cuncta describuntur accurate.

Luxuriam..... copia. Opes quae tam magnae sunt, ut luxuriae etiam instrumenta et auxilia suppeditent.

Vsque in delicias amamur. Instar puerorum puellarumve amatorum amamur a natura. Ac primum digna est animadversio *Ruhnkenii* in praefat. ad Schelleri Lexicon Latino-batavum, quae hic apponatur: In hac praepositione illustranda, ait, fugit Lexicographorum diligentiam vis ea, qua *in* pro *instar* ponitur. Antholog. Lat. Tom. I, p. 271: *Dicitur in nitidum procubuisse bovem.* Sic saepe Apuleius, ad cuius lib. III, p. 191 plura Oudendorpius. Eodem modo Graeci, non optimi illi quidem, sed certe satis boni loquebantur. Philostratus de vita Sophistar. II, 12, p. 593. ἐς λέοντα θυμοῦται, καὶ ἐς σῦν ὁρμᾷ. De *deliciis* sic Plutarch. vit. Anton. c. 59 Reisk. ὁ δὲ Σάρμεντος ἦν τῶν Καίσαρος παιγνίων παιδάριον, ἃ δελίκια Ῥωμαῖοι καλοῦσι.

Non uno modo frugifera. H. e. varii generis fructus et varii saporis educantia. Nam alii amari, alii dulces, hi sicci et strigosi, hi succo suavissimo manantes, etc. Infinita est naturae varietas, non in generibus tantum procreandis, sed et in spe-

Digitized by

res, tot varietates ciborum per totum annum digestae, ut inerti quoque fortuita terrae alimenta praeberent! Iam animalia omnis generis, alia in sicco solidoque, alia in humido innascentia, alia per sublime dimissa: ut omnis rerum naturae pars tributum aliquod nobis conferret! Flumina haec amoenissimis flexibus cam- 2
pos cingentia, illa praebitura commerciis viam, vasto et navigabili cursu vadentia, ex quibus quaedam statis diebus mirabile incrementum trahunt, ut arida et ferventi subiecta caelo loca subita vis aestivi torrentis irriget. Quid medicatorum torrentium venae? quid in ipsis litoribus aquarum calentium exundatio?

. . . . . Te, Lari maxime, teque
Fluctibus, et fremitu assurgens, Benace, marino?

VI. Si pauca quis tibi donasset iugera, accepisse te diceres beneficium: immensa terrarum late patentium spatia negas esse beneficium? Si pecuniam tibi aliquis donaverit, et arcam tuam, quoniam id tibi

ciebus; ita ut v. g. pirorum plus quam centum species hodie numerentur, et sic de aliis.

Illa praebitura commerciis viam, vasto, etc. Erasmum sequor. Codd. non longe recedunt: *commercia via vasto*. Pincianus vero e suis membranis castigat: *commercia mari, vasto*, etc. Ante versus Virgilii aliquid deesse putavit Lipsius, qui tamen non reputavit, Senecam impetu quasi poëtico hic abripi, ut omisso τῷ *quid* aut *anne* aut simili, hos versus apponeret. Signum interrogationis e Virg. Georg. II, 160 apposui.

Ex quibus quaedam satis.... irriget Vt Nilus et quidam alii. Vid. Nat. Quaest. III, 26.

Medicatorum torrentium venae. De medicatis torrentibus, seu aquis loquitur, in quibus sulphur, alumen, ferrum, etc., nos vocamus aquas minerales, de quibus egit Plin. Hist. Nat. lib. XXXI init., ubi de fonte Ciceronis oculis medente et de aliis.

Aquarum calentium. E. c. Baiarum. Cf. Ep. LXXXIX, 20. not. Versus sunt celebratissimi Virgilii Georgic. II, 160 laudes Italiae complexi. In lacubus memorabiles sunt *Larius*, nunc *Lago di Como*, per quem Addua in Padum influit, et *Benacus*, nunc *Lago di Garda*, per quem Mincius, paternus Virgilii fluvius, in Padum fluit. At cf. interpp. Virg.

Lari.... Benace. Vid. not. super. Quum hi duo versus parum stricte cum praecedentibus haereant, coniicit Lipsius hic nonnulla deesse.

VI. ARG. Dei beneficia rursus extollit, per varias hypotheses. Quae dant nobis alii homines, parva, vana,

magnum videtur, impleverit, beneficium vocabis: tot metalla defodit, tot flumina emisit terra, super quae decurrunt sola aurum vehentia; argenti, aeris, ferri immane pondus omnibus locis obrutum, cuius investigandi tibi facultatem dedit, ac latentium divitiarum in summa terra signa disposuit: negas te acce-
2 pisse beneficium? Si domus tibi donetur, in qua marmoris aliquid resplendeat, et tectum nitidius, auro aut coloribus sparsum, num mediocre munus vocabis? ingens tibi domicilium, sine ullo incendii aut ruinae metu struxit, in quo vides non tenues crustas, et ipsa qua secantur lamina graciliores, sed integras lapidis pretiosissimi moles, sed totas variae distinctaeque materiae, cuius tu parvula frusta mira-

mox casura, magni aestimamus, et haec beneficia nominamus: quanto magis haec quae Deus!

Tot flumina emisit terra. Sic scripsi codd. ducibus, qui *emisitera* ad unum omnes praestant. Antea *emisit in aëra.*

Super quae. I. e. praeter ea flumina, quae sola, unica, decurrunt vehentia secum aurum. Flumina quaedam aurum vehere notum est. Omisso enim fabuloso Pactolo Tagus olim, hodie plurima flumina Americae, et in Europa Rhenus, etc., hoc praestant.

Signa disposuit. E terrae colore et natura, aliisque rebus, quas metallorum fossores observare solent.

Marm. al. Intelliges de crustis aut segmentis marmorum diversi coloris, quibus ad opus musivum (*mosaïque*) utebantur in parietibus soloque ornandis. Cf. ad Ep. LXXXVI, 5.

Tectum. Est lacunar, *plafond*: auratis et pictura distinctis laminis striisque, quibus lacunaria constabant: similia fere ornamentis nostrostrorum cubiculorum diaetarumque, stucco appellatis, quod videre licet ex Iosephi Antiq. s. Archaeol. VIII, 3 descriptione. Cf. Propert. III, 1, 60 ibiq. Burmann. χρυσόπαστον, χρυσῷ κατάπαστον καὶ κατάστικτον: vid. Salmas. ad Scriptt. Hist. Aug. I, pag. 978 seq.

Num mediocre. Sic cum Erasmo scripsi. Codd. quidem omnes *non* habent: sed *non* et *num* saepissime confundi constat.

Sine ullo. . . metu. Recessit Seneca a Stoicorum quorundam opinionibus, in ignem mundum recessurum esse: et recte. Nam hoc metu quilibet homo liber est et esse potest: Stoicis quippe ipsis de hac re valde inter se discrepantibus. Vide Lipsii Manuduction. in Physiol. Stoic. lib. II, cap. 21.

Lamina. Sc. serrae. Eodem sensu occurrit lamina apud Val. Flaccum I, 123.

ris, tectum vero aliter nocte, aliter interdiu fulgens: negas te ullum munus accepisse? Et quum ista quae 3
habes, magno aestimes, quod est ingrati hominis, nulli debere te iudicas? Vnde tibi istum, quem trahis, spiritum? unde istam, per quam actus vitae tuae disponis atque ordinas, lucem? unde sanguinem, cuius cursu vitalis continetur calor? unde ista palatum tuum saporibus exquisitis ultra satietatem lacessentia? unde haec irritamenta iam lassae voluptatis? unde ista quies, in qua putrescis, ac marces? Nonne, si gratus es, dices: 4

> . . . . . Deus nobis haec otia fecit:
> Namque erit ille mihi semper Deus, illius aram
> Saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
> Ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum
> Ludere quae vellem calamo permisit agresti.

Ille Deus est, non qui paucas boves, sed qui per 5
totum orbem armenta dimisit, qui gregibus ubique passim vagantibus pabulum praestat; qui, pascua hibernis aestiva substituit, qui non calamo tantum cantare, et agreste atque inconditum carmen ad aliquam tamen oblectationem modulari docuit, sed tot artes, tot vocum varietates, tot sonos, alios spiritu nostro, alios externo, cantus edituros, commentus est. Neque enim nostra ista, quae invenimus, dixeris: non magis, quam quod crescimus, quam quod ad constitutum tempus sua corpori officia respondent. Nunc puerilium dentium lapsus, nunc ad

Tectum vero aliter... fulgens. Caelum intelligit per noctem « stellis ardentibus aptum », interdiu Apollinea radians face.

Vnde. De hoc usu particulae *unde* cf ad III, 36, 1.

Ille Deus est, etc. Egregius Cleanthis Hymnus in Iovem, quem iam supra ad c. III, 2, laudavi, contendi meretur.

Tamen. Omnes codd. et antiquae edd. Est melius, quam *tantum*, et significat, Gronov. interprete, non exactam legem harmonicam, sed rudem et qualemcumque observationem modorum.

Digitized by Google

surgentem iam aetatem, et in robustiorem gradum transeuntem pubertas, et ultimus ille deus surgenti iuventae terminum ponens. Insita sunt nobis omnium aetatum, omniumque artium semina, magisterque ex occulto Deus producit ingenia.

VII. Natura, inquit, haec mihi praestat. Non intelligis te, quum hoc dicis, mutare nomen Deo? Quid enim aliud est natura, quam Deus, et divina ratio, toti mundo et partibus eius inserta? Quoties voles, tibi licet aliter hunc auctorem rerum nostrarum compellare; et Iovem illum optimum ac maximum rite

Pubertas. Pubes ipsa, seu nota pubertatis: quo tempore iam surgit aetas et transit in robustiorem gradum, illa adest.

Ille deus. Non *dies*, et *surgenti iuventae*, non *urgenti* codd. optimi dant.

Aetatum loco *virtutum* legi mavult Io. Clericus Silv. philol. pag. 215 ad calcem edit. Aeschin. Socrat. Male.

Insita sunt... ingenia. Ipse noster Quaest. Nat. III, 29: *in semine, ait, omnis futuri hominis ratio comprehensa est. Et legem barbae et canorum (scil. crinium) nondum natus infans habet: totius enim corporis et sequentis aetatis in parvo occultoque lineamenta sunt. Animam vero docuit Stoa extrinsecus dari.* Cf. Lips. in Physiol. III, 7.

VII. Arg. Obiectionem refellit a Naturae vi petitam, et Naturam unum ex Dei nominibus contendit esse. Nil enim refert Deusne, an natura, an Iupiter ille appelletur. Haec omnia cum proxime elapsae aetatis disputationibus ita congruunt, ut ea alicui ex nostris pseudophilosophis obiecta credideris.

Quam Deus. Idem lib. II, Quaest. Nat. c. 45: *Vis illum naturam vocare? non peccabis.* Plin. H. N. 1, 7 fin. Lipsii Physiol. I, 5.

Divina ratio..... inserta. Sic Virg. Aeneid. lib. VI, vss. 724-727: *Principio caelum ac terras camposque liquentes, Lucentemque globum Lunae, Titaniaque astra, Spiritus intus alit, totamque infusa per artus Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.* Cic. Divin. I, cap. 11: *Iupiter... collustrat lumine mundum, Menteque divina caelum terrasque petessit.*

Nostrarum. Quatenus omnia ad hominem retulerunt, cuius causa omnia essent creata.

Auctorem rerum nostrarum compellare. Sic plurimi codd. scripti et editi. Codex tamen Naz. et unus pal. dant *actorem*, i. e. inspectorem et curatorem. Saltem hae voces interdum confunduntur, de qua re monuit Gesner. in Thesauro s. v. *auctor* et nuper Huschke in Anal. crit. p. 141.

Et Iovem illum..... rite dices. Aeschyl. Agamemn. scen. II: «Ζεὺς ὅστις ποτ' ἐστίν, εἰ τόδ' αὐτῷ φίλον κεκλημένῳ, Τοῦτό νιν προσεννέπω.» Orpheus non absimilis, Hymn. ad Mus.: «Σὺν τῷ παντὶ Διὸς πάλιν ἐντὸς ἐτύχθη Αἰθέρος εὐρείης ἠδ' οὐρανοῦ ἀγλαὸν ὕψος, Ἠόντου δ' ἀτρυ-

dices, et tonantem, et statorem: qui non, ut histo- 2
rici tradiderunt, ex eo quod post votum susceptum acies Romanorum fugientium stetit, sed quod stant beneficio eius omnia, stator, stabilitorque est: hunc eumdem et fatum si dixeris, non mentieris; nam quum fatum nihil aliud sit, quam series implexa causarum, ille est prima omnium causa, ex qua caeterae pendent. Quaecunque voles illi nomina proprie aptabis, vim aliquam effectumque caelestium rerum continentia. Tot appellationes eius possunt esse, quot munera.

VIII. Hunc et Liberum patrem, et Herculem, ac Mercurium nostri putant. Liberum patrem: quia omnium parens sit; quod ab eo primum inventa se-

γείτου, γαίης δ' ἐριχύδεος εὗρη, Ὠκεανός τε μέγας, καὶ νείατα τάρταρα γαίης, Καὶ ποταμοὶ, καὶ πόντος ἀπείριτος, ἄλλα τε πάντα. »

Statorem. De Etymologia huius vocis haud dubie reiicula conferatur Gronovius Obss. IV, 14, p. 638 Lips. et Ernesti Clav. Cic. h. v. Est autem a *sisto*.

Stetit. Grut. legi mavult *stitit*: sed Charisio 3. Diomede 1. Priscianoque 10 auctoribus est *steti* idem q. cohibui, stare feci.

Stant beneficio..... stabilitorque est. Idem Orph. Hymn. modo laudato: « Ζεὺς πυθμὴν γαίης τε καὶ οὐράνου ἀστερόεντος. »

Tot appellationes..... munera. Hinc illae precum formulae: sive talis, sive talis vocari malis, tam saepe usitatae, e. c. in Horatii Carmine saeculari. Cf. de hac πολυωνυμίᾳ Deor. Spanhem. ad Callim. Hy. in Dian. 7. Hemsterhus. ad Luciau. I, p. 92 bip. *munera* sunt γέρα, τιμαὶ, δῶρα: vide Valck. ad Euripid. Hippol. p. 78. *Mitscherlich*, ad Hymn. homeric. in Cerer. vs. 327.

VIII. Arg. Nullam igitur differentiam sive dicas naturae, sive Deo te debere; nos igitur Deo obligari.

Hunc et Liberum patrem, etc. Vides hic allegoricae interpretationis a Zenone aliisque insecutis Stoicis adoptatae specimen, quae tamen iam inde ab eo tempore, quum philosophari coepissent Graeci, obtinuerat. Quum enim primi iam philosophiae conditores, e. c. Anaxagoras, Metrodorus al., quin adeo poëtae, e. c. Pindarus, ruditatem mythologicarum narrationum pleraramque intellexissent, tantum aberat, ut Xenophanis Homerum impietatis insimulantis exemplum sequerentur (Sext. Empir. contra Mathem. IX, 139, p. 503: adde Interpp. ad Diog. Laërt. IX, 18), aut, quod sanius fuisset, Aristarchi exemplo, ex indole et natura aevi, cui originem debent, interpretarentur, ut plerique et in his praesertim Stoici interpretatione allegorica fabulas nimis rudes crassasque mitigare studerent. Quas quidem Allegorias etiam eodem fere tempore a Criticis quibusdam homericis, prae-

minum vis est, consultura per voluptatem. Herculem: quia vis eius invicta sit, quandoque lassata fuerit operibus editis, in ignem recessura. Mercurium: quia ratio penes illum est numerusque, et ordo, et scien-
2 tia. Quocumque te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi; nihil ab illo vacat: opus suum ipse implet. Ergo nihil agis, ingratissime mortalium, qui te negas Deo debere, sed naturae; quia nec natura sine Deo est, nec Deus sine natura; sed idem est utrumque, nec distat officio. Si quid a Seneca accepisses, Annaeo te diceres debere, vel Lucio: non creditorem mutares, sed nomen; quoniam sive praenomen eius, sive nomen dixisses, sive cognomen, idem tamen ille
3 esset. Sic hunc Naturam vocas, Fatum, Fortunam: omnia eiusdem Dei nomina sunt, varie utentis sua

sertim a Cratete Mallota et ipso Stoico, ad Homerum illustrandum esse adhibitas manifestum est. Cf. Cornutus, Sallustius et Heraclides in Opusc. mythol. a Thom. Galeo Amstelod. ap. Henr. Wetsten. 1688. 8. editis. Vide Heynii Excursum III ad Iliad. Hom. ψ. To. VIII pag. 563 sq. Tiedemanni *System der Stoischen Philos.* II p. 238 sq. Hinc ille versus, quem Lipsius sub nomine Orphei laudat, εἷς Ζεὺς, εἷς Ἀΐδης, εἷς ἥλιος, εἷς Διόνυσος, explicandus est, quem haud dubie fictum Stoici cuiusdam esse apparet, nisi forte ad Aristobulea, de quibus nuper Valckenarii commentatio opera Luzacii edita exposuit, potius pertinuerit. Ductus autem hic versus est e Iustini Martyris Cohortat. ad gentes p. 78, 1 ed. Hutchins., et in fragm. Orphei a Gessnero sub nr. 4 pag. 364 receptus.

Ab eo. Etsi omnes codd. his vocibus careant et nonnisi uni mss. Erasmi debeantur, tamen nihil mutandum censui, quippe nexu sententiae eas postulante.

Consultura. Vsui futura humanitati.

Herculem, a Stoicis in sapientem, quin adeo in sapientiam ipsam esse mutatum, saepius monuimus. Allegorice eius combustio in monte Oeta ad interitum mundi per ignem refertur.

Ratio) Non est sollicitanda haec lectio: *oratio* enim, quod Gruterus hic fuisse suspicabatur, locum non habet: quamquam alias iungi solent *ratio* et *oratio* in Mercurio, e. c. in hoc ipso opere lib. I, c. 3, §. 7.

Quocumque te flexeris, etc. Eadem egregie protulit Cleanthes in Hymno laudato, et noster plenus est huius sententiae, e. c. Epist. XLI init. LXXXIII fin. Seneca apud Lactant. lib. VI, c. 24.

Ergo nihil agis. H. e. nihil proficis; in irrito tua obiectio est.

potestate. Et iustitia, probitas, prudentia, fortitudo, frugalitas, unius animi bona sunt: quidquid horum tibi placuit, animus placet.

IX. Sed ne aliam disputationem ex obliquo habeam, plurima beneficia ac maxime in nos Deus confert sine spe recipiendi: quoniam nec ille collato eget, nec nos ei quidquam conferre possumus. Ergo beneficium per se expetenda res est, una spectatur in eo accipientis utilitas: ad hanc accedamus, sepositis commodis nostris. « Dicitis, inquit, diligenter eligendos quibus beneficia demus, quia nec agricolae quidem semina arenis committant. Quod si verum est, nostram utilitatem in beneficiis dandis sequimur, quemadmodum in arando serendoque: neque enim serere, per se res expetenda est. Praeterea quaeritis, cui detis beneficium: quod non esset faciendum, si per se beneficium dare, expetenda res esset; quae quocumque

IX. Ang. Deum ergo beneficia dare, sed haec beneficia, siue spe remunerationis. Beneficium igitur per se expetendum. Tum diligenter eligendos esse, quibus beneficia demus, nec adversari hoc sententiae, beneficia dare, expetendam per se rem esse: usque ad cap. XVI.

Sed ne aliam disputationem ex obliquo habeam. Sic omnes scr. et ed. libri: et bene dici *disputationem habere* docet Iulius Caesar Bello Gallico, lib. V, c. 30. At Pincianus elegantiorem, uti putabat, loquendi formam protulit declitque e coniectura sua: *Sed ne in aliam disputationem ex obliquo abeam.* Sed non dispiciendum esse critico et reponendum, quod elegantius sit, nunc inter omnes critices peritos constat; etsi vel sic non desint, qui hanc legem inscii migrent; quippe quae haud parum iudicii requirit. Prima omnium ac potissima lex criticis est, videre et investigare, quid auctori scribere placuerit: nec temere in hac disquisitione agere, neque auctorem ipsum emendare, sed librarium.

Dicitis, inquit. Supple Epicurus. Obiectionem exponit usque ad verba *honestum*, etc.; quod quo magis perspicuum esset, directae orationis signa « ..... » adhibuimus.

Quae quocumque loco. Sicut praecedentia cum Gronov. e mss. constitui: nam quum non: *Praeterea quaeritis, cui dandum sit beneficium*, in ullo scripto aut olim edito comparent, sed Erasmi codex praestet: *Praeterea quaeritis, cui detis beneficium*, exprimi curavi, quamquam *quomodo detis* desint: ita non *quia enim* scripsi, sed *quae quoc. l.* cum Pinciani libris, quum hoc ipso in

loco, et quocumque modo daretur, beneficium erat. » 3 Honestum propter nullam aliam causam, quam propter ipsum, sequimur. Tamen etsi nihil aliud sequendum est, quaerimus quid faciamus, et quando, et quemadmodum: per haec enim constat. Itaque quum eligo cui dem beneficium, id ago, ut beneficium sit: quia si turpi datur, nec honestum esse potest, nec beneficium.

X. Depositum reddere, per se res expetenda est: non tamen semper reddam, nec quolibet loco, nec quolibet tempore. Aliquando nihil interest, utrum infitier, an palam reddam. Intuebor utilitatem eius, cui redditurus sum, et nociturum illi depositum ne-

loco codex Naz. interpolatus sit, nec comicam loquendi formam, qua Seneca uti non solet, ex interpolato illo, alioqui praestantissimo codice, quamquam Grut. et Gronov. suadent, recipere audeam. Criticis autem saeculi decimi sexti et septimi comicos, inprimis Plautum, nocturna diurnaque mana versantibus, quod e. q. e libris criticis istius temporis a Grutero in Lampade critica collectis videre licet, solemne fuit, ubique aut archaismos, aut comicas et eas elegantiores iis visas loquendi formas captare, et ubi vel nullus iis locus esset, infarcire. Caute itaque agendum est nobis praestantissimorum istius temporis virorum commentarios evolventibus discutientibusve.

Beneficium erat. Post haec verba quidam editores lacunam suspicantur; *Lagrange* lacunae signum apponi iussit. Sed haec omnia inter se optime cohaerent, dummodo hic absolvi obiectionem, incipere vero responsionem attenderis. Itaque hic signum adhibui quo indicatur mutari interlocutorem.

Honestum propter, etc. Responsionis initium. Obiectio prima verbis quidem non refutatur, sed re, quam illud honestum complectitur, quod propter ipsum statuunt sequendum Stoici: qui se comparantes cum agricola in eligendis quibus beneficium daretur, non utilitatem, sed scopum spectaverunt.

X. Ano. Depositum reddere rem esse honestam et in se expetendam; posse tamen eligi ubi, quando, quemadmodum reddendum sit. Item in beneficio dando. In illius vero electione qui beneficium acceptarus est et proinde nobis obligandus, spectandum esse inprimis animum.

Depositum reddere, etc. Vt verbo moneam, exemplo sit homo, qui sanitate mentis utens rem nocituram, e. c. gladium, venenum, commiserit tibi, quam mente capto eidem reposcenti unquam reddideris.

Aliquando nihil interest..... reddam. Non verum hoc dogma, neque ex disciplinae Stoicae severitate patet. Namque depositum nobis hac lege concreditum fuit, ut quo tempore il-

gabo. Idem in beneficio faciam: videbo quando dem. cui dem, quemadmodum, quare. Nihil enim sine ratione faciendum est; non est autem beneficium, nisi quod ratione datur: quoniam ratio omnis honesti comes est. Quam saepe hominum, donationem suam inconsultam obiurgantium, hanc audimus vocem, Mallem perdidisse, quam illi dedisse? Turpissimum genus damni est, inconsulta donatio, multoque gravius, male dedisse beneficium, quam non recepisse. Aliena enim culpa est, quod non recepimus: quod cui daremus non eligimus, nostra. In electione nihil minus, quam hoc quod tu existimas, spectabo a quo recepturus sim: eligo enim eum qui gratus, non qui redditurus sit. Saepe autem et non redditurus gratus est; et ingratus qui reddidit. Ad animum tendit aestimatio mea. Ideo locupletem, sed indignum, praeteribo: pauperi viro bono dabo. Erit enim in summa inopia gratus, et quum omnia illi deerunt, supererit animus. Non lucrum ex beneficio capto, non voluptatem, non gloriam. Vni placere contentus, in hoc dabo, ut quod oportet, faciam. Quod oportet autem, non est sine electione: quae qualis futura sit, interrogas?

lud reposceretur, statim redderemus. Nihil ergo iam interest bene an male reddita re ille usurus sit qui eam credidit; reposcenti statim reddenda est.

Donationem suam obiurgantium. Sibi male precantium ob donum, et acto suo maledicentium.

Turpissimum genus damni est. Sic omnes codd. Aute Muretum: *Turpissimum genus perdendi est.*

Aliena enim culpa est, etc. Haec in antegressis saepius obvenerunt, quum diceret, res inter animos geritur. Sic IV, 3, 1 divitem importunum vocavit, quem h. l. indignum appellat.

A quo recepturus sim. Vel grati animi iudicium quodcumque, vel rem. *Redditurus* quod mox sequitur, non eiusdem latitudinis vox est. Nam de re data solum agitur: at videre est ex ἀντιθέσει τοῖν *gratus* et *redditurus*: atqui *recepturus* indicat et grati animi virum et redditurum, quorum ab utroque recipiam.

Vni. i. e. honesto cum ratione coniuncto.

Digitized by Google

XI. Eligam virum integrum, simplicem, memorem, gratum, alieni abstinentem, sui non avare tenacem, benevolum. Hunc vero quum elegero, licet nihil illi fortuna tribuat, quo referre gratiam possit, ex sententia res gesta erit. Si utilitas me et sordida computatio liberalem facit, si nulli prosum, nisi ut invicem ille mihi prosit: non dabo beneficium proficiscenti in diversas longinquasque, non dabo abfuturo semper, non dabo sic affecto, ut spes ei nulla sit convalescendi, non dabo ipse deficiens, non enim habeo tempus re-
2 cipiendi. Atqui ut scias, rem per se expetendam esse, benefacere; advenis modo in nostrum delatis portum, et statim abituris, succurrimus. Ignoto naufrago navem, qua revehatur, et damus et instruimus. Discedit ille, vix satis noto salutis auctore, et nunquam amplius in conspectum nostrum reversurus, debitores nobis deos delegat, precaturque illi pro se gratiam referant: interim nos iuvat sterilis beneficii conscien-
3 tia. Quid quum in ipso vitae fine constitimus, quum testamentum ordinamus, non beneficia nobis nihil profutura dividimus? quantum temporis consumitur, quamdiu secreto agitur quantum et quibus demus? Quid enim interest, quibus demus, a nullo recepturi? Atqui nunquam diligentius damus, nunquam magis

XI. Aug. Aliae probationes ex quibus beneficia sequitur sine respectu ad utilitatem conferenda. Vbi suprema necessitas adfuit, dignissimos a nobis eligi ut illis nostra omnia tradamus; idem in beneficiis faciendum est, quae ante mortis tempus conferuntur.

Simplicem. Explicat Cicero de Off. I, 30, 13: Sunt his alii multum dispares, simplices et aperti, qui nihil ex occulto, nihil ex insidiis agendum putant, veritatis cultores, fraudis inimici. Opponuntur autem, recte observante Ernesti in Clav. Cic. h. v., simplices, i. candidi et sinceri, multiplicibus, quia idem dicunt, idem cogitant, etc., quod multiplices non faciunt.

Sic affecto. Affici simpliciter dicitur pro *affici morbo*.

Debitores..... delegat. Frequens iuris verbum, et significat, pro se vicarium dare, qui solvat. Vide infra VII, 19, 2. Epist. XVIII, 27 et passim. Hoc istud Symmachus imitatur lib.

iudicia nostra torquemus, quam ubi remotis utilitatibus, solum ante oculos honestum stetit: tamdiu officiorum mali iudices, quamdiu illa depravat spes ac metus, ac inertissimum vitium, voluptas. Vbi mors interclusit omnia, et ad ferendam sententiam incorruptum iudicem misit, quaerimus dignissimos, quibus nostra tradamus: nec quidquam cura sanctiore componimus, quam quod ad nos non pertinet.

XII. Et mehercule tunc magna voluptas subit cogitantem, Hunc ego locupletiorem faciam, huius dignitati, adiectis opibus, aliquid splendoris affundam. Si non damus beneficia nisi recepturi, intestatis moriendum sit. Dicitis, inquit, beneficium creditum insolubile esse: creditum autem non est res per se expetenda. Quum creditum dicimus, imagine et translatione utimur. Sic et legem, iusti iniustique regulam esse: et regula non est res per se expetenda. Ad haec verba demonstrandae rei causa descendimus. Quum dico

VI. Ago gratias, et meam vicem, quia solvendo par non sum, caelestibus delego virtutibus. Lips.

Iudicia nostra torquemus. H. e. huc illuc mentem et fluctuantes animos versamus, plurimum solliciti.

Inertissimum vitium. Egregie hoc reduxit Gruter. ex ora Erasmicae edit. et suis ipsius codd., quum antea ederetur: *incertissimum vitium*, quod tamen neque intellectu difficillimum et ad sensum valebat. Sed iam non de levitate et inconstantia humana sermo est; quocirca *inertissimum* melius longe se habet.

Vbi mors..... tradamus. Si morte appropinquante affectibus purgemur, quaerimus tanquam praetores, aut quaesitores in nostrum locum tales, quibus, etc. *Mittere* autem est verbum iudiciale et comitiale de iis, qui a quaesitore, aut eo, qui comitiis praeest, in iudicium, ad sententiam ferendam, aut in suffragia eliguntur. Confert haec Hemsterhus. cum Lucian. in Nigrin. c. 30, To. I, 278 sq.

XII. Ano. Obiectio alia, nempe beneficium esse creditum insolubile; porro creditum non in se expetendum. Annaeus negat paritatem: nam saepe cum periculo et damno datur beneficium.

Creditum insolubile. Quia semper obligamur, et quum solvimus, debemus. Lips.

Imagine et translatione. I. similitudine quadam et metaphora; illa ita describit aliquid similitudine alterius rei, ut quasi in rem praesentem perveniss: haec adhibetur, si verbo proprio carcamus simili utentes. Cf.

Digitized by Google

creditum, intelligitur tanquam creditum. Vis scire? adiicio insolubile, quum creditum nullum non solvi aut possit, aut debeat. Adeo beneficium utilitatis causa dandum non est, ut saepe, quemadmodum dixi, cum
3 damno ac periculo dandum sit. Sic latronibus circumventum defendo, ut tuto transire permittatur: reum gratia laborantem tueor, et hominum potentium factionem in me converto, quas illi detraxero sordes, sub accusatoribus iisdem fortasse sumpturus, quum abire in partem alteram possim, et securus spectare aliena certamina: spondeo pro indicato, et suspensum amici bonis libellum deiicio, creditoribus eius me obligaturus: ut possim servare proscriptum, ipse pro-
4 scriptionis periculum adeo. Nemo Tusculanum aut Tiburtinum comparaturus salubritatis causa, et aestivi secessus, quoto anno empturus sit disputat: quum

Senecae Epist. LXX, 4 sq. et quem ibi laudavi Ernesti Lexic. technol. lat. rhet. Imago et Translatio.

Regula non est res per se expetenda. Ius et iustum per se expetendum, iniustum per se odio dignum: at iusti et iniusti regula per se nec optanda, nec reformidanda est.

Quemadmodum dixi. E. c. I, 10 fin. At saepius haec similiaque iam dixerat.

Reum gratia laborantem. Qui parum gratiosus est apud populum, aut iudices; cui gratia deest. Laborare odio, fame, etc. est proprie fatigari, urgeri odio fameque: gratia itaque laborat is, qui premitur gratia, qua adversarius gaudet.

Sordes. Togam sordidam, signum reorum. Sic de Benef. II, 35, 3, detractae sordes.

Abire in partem alteram. Transfugere, et pro adversariis militare. Videtur sibi contrarius esse mox, quum dicat: Securus spectare aliena certamina.

Suspensum.... deiicio. Bonis *iudicati*, damnati hominis proscriptis titulus suspensus erat; ea vendi debere. Laudat Lipsius Sueton. de Claud. c 9 lege praediatoria venalem pependisse, *id est*, eius res. ubi cf. *Ernesti* not. Publice itaque proposita tabula venales declarantur, ut explicat Heynius ad Tibull. II, 4, 5 verba eandem vim habentia: ite sub titulum, *deiicio*, revello. Cic. Quint. 6.

Comparaturus. Cum Grut. e cod. Col. recepi: etsi Gron. *paraturus* ut parius praefert. In usu tamen et pro: emendo sibi parare, Ciceronis tempore fuisse, certum est.

Quoto anno omnium codd. et edd. ant. lectio est, quam pro sana habeo. Lipsius tamen haec verba suspecta sibi dixit, cui Gron. assensus emendavit: *quota anima s. s. d.* Sensus est: ut si quis praedium tale empturus

Digitized by Google

emerit, tuendum est. Eadem in beneficiis ratio est; nam quum interrogaveris, quid reddat? respondebo, bonam conscientiam. Quid reddit beneficium? dic tu mihi, quid reddat iustitia, quid innocentia, quid magnitudo animi, quid pudicitia, quid temperantia? si quidquam praeter ipsas, ipsas non petis.

XIII. Mundus in quid vices suas absolvit? in quid sol diem extendit et contrahit? Omnia ista beneficia sunt: fiunt enim nobis profutura. Quo modo mundi officium est, circumagere rerum ordinem; quo modo solis, loca mutare, ex quibus oriatur, in quae cedat, et haec salutaria nobis facere sine praemio: ita viri

sit, statim hoc faciet, et emptum tuebitur: ita et ille, qui beneficia dare vult statim, haud cunctanter data tueri dando et sustinere studebit, nec magis interrogabit quid reddat beneficium, quam ille emptor praedii voluptatis causa paratum interrogare solet, quid reddat. Similitudo non explicata Lipsio Gronovioque ansam dedit, locum pro suspecto habendi. Sed ut noster assolet, priore comparationis parte omissa, alteram arripere et ei immorari, sic h. l. illa verba; *quum emerit.... est*, et *nam quum interrogaveris*, etc. sibi respondent. Caeterum *annua emere* an bona latinitas patiatur, dubito: nec Gronovius evicit.

Nemo.... disputat. Etiamnunc Tusculum (*Frascati*) et Tibur (*Tivoli*) magnoaestimantur a Romanis malum aërem (*l'aria cattiva*) vitaturis. Meminit huius moris *Büsching* IV, p. 352 sq. ed. octavae.

Quid reddat. Hoc est, Gallic. *ce que rapporte.* Martial. lib. II, Epigr. 38: *Quid mihi reddat ager quaeris, Line, Nomentanus.*

XIII. Ang. Omnia in rerum natura fieri, quia oportet. Danda ergo beneficia, non quia reddituri alii sunt, sed quia oportet.

Mundus. I. e. caelum cum astris volvens revolvensque, κόσμος: sic appellatum ab ornatu ordineque, quo deus omnia permeat regitque. Deum itaque, sive, quod unum idemque Stoae est, naturam semper ordine agentem, imitemur. Cf. Lipsii Physiolog. Stoic. II, 6:

In quid. Quam sibi causam proponens?

Vices suas absolvit. Vices appellat omnes motus qui ad leges aeternas exacti et similes sui sunt. Idem est fere cum poëtarum et Mythographorum Horis. Horat. Carmin. lib. I, Od. XII: *Qui mare ac terras variisque mundum temperat Horis.*

Sol diem, etc. Nam prout ad hanc aut illam regionem propior accedit sol, aut potius prout terra soli hunc aut illum polum obvium praebet, dies contrahitur et extenditur. Ad hunc locum laudat Lipsius Epictetum in Monumentis Epictetaae Philos. Tom. III, p. 95, n. 88.

Quomodo solis, loca mutare. Hoc ex opinione coaevorum Senecae. Non opus est monitione ad hunc locum,

officium est inter alia, et beneficium dare. Quare ergo dat? ne non det, ne occasionem benefaciendi perdat. Vobis voluptas est, inertis otii facere corpusculum, et securitatem sopitis simillimam appetere, et sub densa umbra latitare, tenerrimisque cogitationibus, quas tranquillitatem vocatis, animi marcentis oblectare torporem, et cibis potionibusque intra hortorum latebram corpora ignaviâ pallentia saginare; nobis voluptas est, dare beneficia vel laboriosa, dum aliorum labores levent; vel periculosa, dum alios a periculis extrahant; vel rationes nostras aggravatura, dum aliorum necessitates et angustias laxent. Quid mea interest, an recipiam beneficia? etiam quum non recepero, danda sunt. Beneficium eius commodum spectat, cui praestatur, non nostrum: alioquin nobis illud damus. Itaque multa, quae summam utilitatem aliis afferunt, pretio gratiam perdunt. Mercator urbibus prodest, revera solem stare, moveri terras, ut decurrentibus nobis in alveo fluminis rapidi, stat ripa quae videtur fugiens ab oculis nostris recedere.

Vobis. Epicureis.

Vobis voluptas est, inertis otii facere corpusculum. Sic Erasmus, cod. Naz. aliique apud Gruterum; at Pinc., quem Muretus sequutus est, fecit: *Inerti otio assuefacere corpusculum:* Marginalis lectio est, *farcire corp.* Burmann. ad Phaedri fab. III, 7, 5 emendat: *Inerti otio facere corpusculum.* Sed vulgata bene habet. — *Inertis.... corpusculum.* I. e. inerti otio indulgentes corpus saginare et uni voluptati vivere.

Sopitis. Quaedam edd. habent *soporis.* Rud. Agricolae coniectura, et Mureti insitione. Sed *sopitis* bonum est. — *Sopiti* dicuntur, Gronovio explicante in Observat. IV, p. 605 ed. lips., qui aut icti, aut alioude mente consternati deliquium animi patiuntur et pro mortuis concidunt. Describit Seneca vitam hominis inertis, quam Horat. Carm. I, 1, 19 depinxit: *Est, qui nec veteris pocula Massici, nec partem solido demere de die spernit, nunc viridi membra sub arbuto Stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae.*

Rationes nostras. Facultates nostras.

Etiam quum non recepero. Negatio necessaria est, ideoque vel codd. et edd. silentibus textui immisi. — Sic proponit Ruhkopf; veterum tamen omnium librorum lectionem: *etiam quum recepero* servare si volueris facile interpreteris, *Lagrange* duce: *Qu'importe que mes bienfaits me reviennent? ne faudra-t-il pas en répandre de nouveaux après la restitution?*

Digitized by Google

medicus aegris, mango venalibus: sed omnes isti, quia ad alienum commodum pro suo veniunt, nec obligant eos quibus prosunt.

XIV. Non est beneficium quod in quaestum mittitur. Hoc dabo, hoc recipiam: auctio est. Non dicam pudicam, quae amatorem ut incenderet repulit; quae aut legem, aut virum timuit, ut ait Ovidius:

Quae, quia non licuit, non dedit, illa dedit.

Non immerito in numerum peccantium refertur, quae pudicitiam timori praestitit, non sibi. Eodem modo qui beneficium ut reciperet dedit, non dedit. Ergo et nos beneficium damus animalibus, quae aut usui, aut alimento futura nutrimus? [1] beneficium damus arbustis quae colimus, ne siccitate, aut immoti et ne-

Mango venalibus. Quos comit, ornat, format servos novitios, ut vendat, puerorum altor et negotiator. Auctis enim per luxum servorum familiis, efflorait his temporibus mancipiorum mercatus, fuitque proinde hoc unum e praecipuis quaestus opipari generibus, venalitios advehere Romam et vendere, quod Mangonum fuit. Cf. Reitemeyeri lib. de hac re doctissimum, et Heynii Opusc. acad. Vol. IV, p. 120 sqq.

XIV. Aug. Rursus beneficia illorum elevat, quibus non beneficium per seipsum placet, sed ob gratiam quam sperant, aut exigunt. Non magis hi beneficia praestant, quam pudica illa est mulier, quae ob timorem non adulteros sectatur.

Legem. Iuliam nempe, ab Augusto contra adulterium latam. Suet. Aug. 34. Quam laudat Horatius, qui adulterum non semel acerrime carpit, alioqui parum castimoniae studiosus vir (*Foecunda culpae saecula nuptias Primum inquinavere et genus et domos: Hoc fonte derivata clades In patriam populumque fluxit*, lib. III, Od. VI.) Idem ille tamen alio loco suae aetatis castitatem laudat his ad Augustum ipsum Asclepiadeis: *Nullis polluitur casta domus stupris...Laudantur simili prole puerperae*; Carm. lib. IV, Od. V, innuens sane legibus ab Augusto latis tantam tribuendam esse mutationem.

Vt.... Ovid. Versus Ovidii est in Amor. III, Eleg. 4, vs. 4, qui nunc in edd. sic legitur: *Quae quia non liceat, non facit, illa facit.* Exquisitior videtur esse Senecae lectio.

Non dedit. Dare saepe de feminis proprie dicitur quae corpus suum, quae se dant, dum amanti adlubescentes cedunt. Mart. lib. VII, Epig. XVII: *Das Cattis, das Germanis, das, Coelia, Dacis.*

Non sibi. I. e. non conscientiae s. virtutis causa pudica fuit; sed legi aut famae obsecuta.

(1) Quam vim habeat ista et sequens interrogatio, equidem non assequor. T.

glecti soli duritia laborent? Nemo ad agrum colendum ex aequo et bono venit, nec ad ullam rem, cuius extra ipsam fructus est. Ad beneficium dandum non adducit cogitatio avara, nec sordida, sed humana, liberalis, cupiens dare etiam quum dederit, et augere novis ac recentibus vetera, unum habens propositum, quanto ei, cui praestat, bono futura sit: alioquin humile est, sine laude, sine gloria, prodesse, quia expedit. Quid magnifici est se amare, sibi parcere, sibi acquirere? ab omnibus istis vera beneficii dandi cupido avocat: ad detrimentum, iniecta manu, trahit, et utilitates relinquit, ipso benefaciendi opere laetissima.

XV. Numquid dubium est, quin contraria sit beneficio iniuria? Quo modo iniuriam facere per se vitanda ac fugienda res est: sic beneficium dare, per se expetenda. Illic turpitudo contra omnia praemia in scelus hortantia valet: ad hoc invitat honesti per
2 se efficax species. Non mentiar, si dixero, neminem

Ex aequo et bono. I. Propter honestum.

Extra ipsam. Quae nempe fructum aliquem propter se habet ac donat. Nullum rem colo, nisi quod utilitatem inde traham.

Vnum habens propositum, quanto ei, cui praestat, bono etc. Eruit hanc lectionem Grut. e suis codd. mss. Nam quum vulgatae habeant edd. pristinae: *et non habens propositum quanto ei qui*, eius codd. omittunt *et*, leguntque non *qui*, sed *cui*: at τὸ *non* molestum erat, et cod. Naz. praestabat *num*, unde Gruterus *unum* feliciter divinabat. Codex autem Col., et ipse alioqui bonae fidei, dabat: *non habens propositum, nisi quanto*, etc., quae tamen lectio emendationi quam genuinae scripturae similior est.

Iniecta manu. Ritu iuris veteris, in vindicando vel asserendo, manus iniectio erat. Hinc de omni vi admota. Ovid. Amor. 1, 4, 40: *Et dicam, mea sunt, iniiciamque manus.* Cicero: *Veritas ad se, iniecta manu, vocat.* Gallice diceretur *prendre au collet.*

XV. Aug. Eamdem materiam persequitur, et hinc etiam gratuitam esse beneficentiam colligit, quod saepe prius beneficium causa iterum benefaciendi fiat.

Turpitudo contra omnia praemia... valet. Innata quasi propositi actus malignitas horrorem ingenui cuiuslibet hominis ita movet, ut superet omnia *praemia*, incitamenta ad malum perpetrandum.

Digitized by Google

non amare beneficia sua, neminem non ita compositum animo, ut libentius eum videat, in quem multa congessit; cui non causa sit iterum dandi beneficii, semel dedisse: quod non accideret, nisi nos ipsa delectarent beneficia. Quam saepe dicentem audias: 3
Non sustineo illum deserere, cui dedi vitam, quem e periculo eripui! Rogat me, ut causam suam contra homines gratiosos agam. Nolo: sed quid faciam? iam illi semel, iterumque affui. Non vides inesse isti rei propriam quamdam vim, quae nos beneficia dare cogit? primum quia oportet, deinde quia dedimus. Cui initio ratio non fuisset praestandi, aliquid ei 4
praestamus ob hoc, quia praestitimus. Adeoque nos ad beneficia non impellit utilitas, ut et inutilia tueri ac fovere perseveremus, sola beneficii caritate: cui, etiam infeliciter dato, indulgere, tam naturale est, quam liberis pravis.

XVI. Iidem isti gratiam referre ipsos fatentur, non

Amare beneficia sua. Apposite laudat Lipsius Aristotelem, qui de hoc affectu egregie, ut solet, egit lib. IX Ethic. ad Nicom. c. 7 toto, et in causas inquirit. Beneficos, ait A., magis eos quos beneficiis affecerunt, amare videri propterea quod illis debetur, deinde quod, vel nulla spe fore ut illi utiles fiant, illos pro opere suo habent, aeque ac artifices poëtaeque opera sua; perinde ac filios, amantes, tandem quod vi et actione, illo sensu vivendi ac agendi acerrimo gaudemus, etc. Hinc et Epicurei beneficio afficere quam affici suavius putabant. Plut. in libro: non posse suaviter vivi secundum Epicureos, Opp. Vol. XIV, pag. 107, c. 15 ed. Hutten.

Contra homines gratiosos. H. e. qui gratia plurimum valent, qui multum et nominis sui et opum et dignitatum auctoritate possunt.

Affui. Auxilium praestiti. Nam *adesse* est *succurrere.*

Adeoque nos ad.... utilitas. Et tantum abest ut utilitas sola ad largiendum nos impellat, ut contra, etc.

Inutilia. Suppl non *negotia*, sed *beneficia.* Mox *fovere*; quam vocem iam vidimus non semel; dicitur vero metaphorice pro *fovere eum cui benefacimus*, fovere beneficia.

Cui etiam infeliciter dato indulgere. Eodem modo quo supra *fovere beneficia*, nunc ait *beneficio indulgere*, etiamsi infeliciter datum illud fuerit.

Tam naturale est, quam liberis pravis. Illud *est* e codd. Pinc. et Grut. admisi, sed *parvis*, quod etiam afferunt, repudio cum Grutero.

XVI. Aug. Gratiam referre rem

quia honestum est, sed quia utile: quod non esse ita minore opera probandum est, quia quibus argumentis collegimus beneficium dare per se rem expetendam esse, iisdem etiam hoc colligemus. Fixum est illud, a quo in caetera probationes nostrae exeunt, honestum ob nullam aliam causam, quam quia ho-
2 nestum sit, coli. Quis ergo controversiam facere audebit, an gratum esse, honestum sit? Quis non ingratum detestetur hominem, sibi ipsi inutilem? Quid autem? quum tibi narratur de eo, qui adversus summa beneficia amici sui ingratus est, quomodo id fers? utrum tanquam rem turpem fecerit, an tanquam
3 utilem rem sibi et profuturam omiserit? Puto, nequam hominem existimas; cui poena, non cui curatore opus sit: quod non accideret, nisi gratum esse per se expetendum, honestumque esset. Alia fortasse minus dignitatem suam praeferunt, et an sint honesta, interprete egent: hoc expositum est, pulchriusque, quam ut splendor eius dubie ac parum luceat. Quid tam laudabile, quid tam aequaliter in omnium animos receptum, quam referre bene meritis gratiam?

quoque esse per se expetendam. Argumenta eadem quae supra, nempe ab honesto. Honestum enim esse gratiam referre: porro quidquid honestum est, id per se expetendum, et absque respectu ad utilitatem.

Iidem isti. Sc. Epicurei.

Honestum est. A virtute postulatur. Collegit, beneficium esse per se expetendam rem, quia virtus est ea dandi. Atqui quod de una virtute valet, etiam de reliquis valere, stoico sensu, manifestum est. Ergo et gratum esse poscit honestum per se expetendum.

Fixum est illud. Fixum h. e. loco suo iam positum nec dimovendum. Vulgaris formula loquendi. *Fixum et statutum est.* Gallice simillime nos diceremus: *C'est un point fixe.*

Sibi ipsi inutilem. Ingratus quum a quolibet contemnatur, nullam utilitatem, sed damnum sibi inde conciliat, sibi ipsi noxius est. Docent hoc sequentia.

Quid autem? Sc. dixeris.

Curatore. Homines nequam sua disperdunt, ideoque bonis interdicti curatorem accipiunt. At hic de alia nequitia sermo est, et quae poenam magis quam curam requirat.

Alia. Officia.

Expositum est, sc. publice ad oculos omnium: est ὑπ' αὐγὰς ἄγεσθαι.

Digitized by Google

XVII. Ad hoc, dic mihi, quae causa nos perducit? Lucrum? quod qui non contemnit, ingratus est. Ambitio? et quae iactatio est solvisse, quod debebas? Metus? nullus ingrato; huic enim uni rei non posuimus legem, tanquam satis natura cavisset: quo modo nulla lex amare parentes, indulgere liberis iubet: supervacuum est enim, in quod imus, impelli. Quemadmodum nemo in amorem sui cohortandus est, quem adeo dum nascitur trahit: ita ne ad hoc quidem, ut honesta per se petat. Placet suapte natura, adeoque gratiosa virtus est, ut insitum sit etiam malis probare meliora. Quis est, qui non beneficus videri velit? qui non inter scelera et iniurias opinionem bonitatis affectet? qui non ipsis quae impotentissime fecit, speciem aliquam induat recti? velitque etiam iis videri beneficium dedisse, quos laesit? Gratias itaque

in apertam lucem proferri: etiam usitata locutione de purpura ad solem examinanda, ut splendor patefiat, egregie observante Hemsterhus. ap. Ruhnken. ad Tim. p. 265.

XVII. Anc. Nullam esse causam, nisi honestatem, quae ad illud nos impellit, ut grati simus: neque enim lucrum, neque ambitionem, neque metum ad id satis valere. De metu vero longius paulo disserit, quem probat nullum esse, quod nulla lex sit quae ingratos coërceat; ut nulla quae iubeat amare parentes, liberos, etc.

Quo modo nulla lex, etc. Apud Romanos quidem nulla lex amare parentes, etc. iusserat. Mosen tamen legem hac de re posuisse notum est, non ut hoc officium, in quod natura imus, injungere debuisset, sed ut officia, sine quibus respublica quaelibet constare nequit, summatim formula legis complecteretur.

In quod imus impelli. H. e. ad eum scopum nos impelli, ad quem ultro tendimus.

Quem adeo dum nascitur trahit. Est Modii (in Gruteri Lampad. critic. Vol. V, pag. 230) emendatio, quum legeretur: *quem quum nascitur trahit*, et codices haberent, *quemadmodum nascitur trahit*. — *Quemadmodum.... trahit*. Stoicum hoc esse, nec tamen Aristoteli incognitum (cf. Stobae. II, pag. 308 Heeren.) e Ciceronis de Offic. I, 4 manifestum fit.

Probare meliora. Quis nescit illam Medeae vocem (Ovid. Metam. VII, 20) vel verbo simillimam: *video meliora proboque, Deteriora sequor*.

Impotentissime fecit. H. e. cupiditatibus suis famulatus fecit. *Impotens* qui sui non compos, nec rectum iam curat.

Velitque etiam. MSS. omnes Gruteri et Pinc. cum Gronovianis: *quoque etiam iis* vel *his*. Vnde scriben-

agi sibi ab his, quos afflixere, patiuntur: bonosque se ac liberales fingunt, quia praestare non possunt. Quod non facerent, nisi illos honesti et per se expetendi amor cogeret, moribus suis opinionem contrariam quaerere, et nequitiam abdere, cuius fructus concupiscitur, ipsa vero odio pudorique est: nec quisquam tantum a naturali lege descivit, et hominem exuit, ut animi causa malus sit. Dic enim cuilibet ex istis, qui rapto vivunt, an ad illa quae latrociniis et furtis consequuntur, malint ratione bona pervenire? Optabit ille, cui grassari et transeuntes percutere quaestus est, potius illa invenire, quam eripere. Neminem reperies, qui non nequitiae praemiis sine nequitia frui malit. Maximum hoc habemus naturae meritum, quod virtus in omnium animos lumen suum permittit: etiam qui non sequuntur illam, vident.

XVIII. Vt scias, per se expetendam esse grati animi affectionem, per se fugienda res est ingratum esse: quoniam nihil aeque concordiam humani generis dis-

dum iudicat Gronovius: *velitque etiam us.*

Afflixere. Affligere, ibi idem est cum τῷ *laedere.* Non Ciceronianus ille sensus; nam ap. Tullium semper est pro *consternere*, *perdere.* Pro Cael. c. 80: *Adolescentium planum spei maxime perculisse atque afflixisse videamini.* Pro Sext. Rosc. cap. 33: *Mors Q. Scaevolae omnes cives suos perdidit et afflixit.*

Gratias.... patiuntur. Exemplum in Tacit. Agricol. 42 est: quem quum Domitianus proconsulatu privasset, agi sibi gratias passus est, nec erubuit beneficii invidia.

Animi causa. Omnium librorum scriptura est. Pincianus emend. *ut inani causa m. e.* Sed nou opus est: nam animi causa est: per iocum, per voluptatem, animi recreandi causa, Polybii περιουσίας χάριν; cuius interpretationis non exempla desunt. Plautus: *Praeterea aliquantum, animi causa, in deliciis disperdidit.* Idem Caesar Bel. Gal. lib. VII.

Dic enim. E codd. Pincian. et Gruter. quum vulg. *Dic ergo* haberent.

Grassari. Interdum pro latrocinari usurpatum. Cicer. de Fat. cap. 34: *Hoc enim modo viator bene vestitus causu fusse grassatori videtur, cur ab eo spoliaretur.* Simili modo Hor. Carm. lib. III, Od. XIV, stroph. 5: *I, pete unguentum, puer, et coronas; Et cadum Marsi memorem duelli. Spartacum si qua potuit* vagantem *Fallere testa*, etc.

XVIII. Arg. Per se res fugienda

sociat ac distrahit, quam hoc vitium. Nam quo alio tuti sumus, quam quod mutuis iuvamur officiis? hoc uno instructior vita contraque incursiones subitas munitior est beneficiorum commercio. Fac nos singulos: quid sumus? praeda animalium et victimae, ac imbecillissimus et facillimus sanguis. Quoniam caeteris animalibus in tutelam sui satis virium est: quaecumque vaga nascuntur, et actura vitam segregem, armata sunt: hominem imbecillitas cingit: non unguium vis, non dentium, terribilem caeteris fecit: nudum et infirmum societas munit. Duas res dedit, quae illum obnoxium, validissimum facerent, ratio-

est, ingratum esse, quoniam omne societatis humanae vinculum eo vitio disturbatur.

Minutior in antegressis est ed. Gron. sphalma typogr., pro *munitior*.

Nam... commercio. Saepe hoc Cicero in libris de Offic. e. c. lib. I, cap. 4, 7, etc. de Fruib. lib. III, cap. 19 sq. tanquam stoicum inculcat. Sic ait I, 7, 5 de Offic. Sed quoniam, ut praeclare scriptum est a Platone, non nobis solum nati sumus, ortusque nostri partem patria vindicat: atque ut placet Stoicis, homines hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se aliis alii prodesse possint. — Si quis de miseria hominum quaedam conferte velit, is adeat Lucretium, lib. V, vss. 201 sq. praesertimque Plin. Hist. Nat. lib. VII init., et Orosium, etc.

Ac imbecillissimus. Erasmus *bellissimus*, alii *villissimus*: male intellectis codd., qui per compendium scripta dabant, *becillissimus*, *bellicissimus bellissimus*: unde facile fuit, veram scripturam, *imbecillissimus* eruere, quam Gronovio, nisi fallor, debemus.

Hominem imbecillitas. Sic Erasm. Quum vero codd. mss. darent *imbecilla*, Grutero placuit *imbellia*, (quam vocem nonnisi apud Gellium Macrobiumque ex antiquo historico obviam, Festus *belli inscientiam* interpretatur), in textum inferre, sequacibus Lipsio et Gronovio, amore archaismorum, quibus tamen Senecam parum delectatum esse constat, haud dubie permotis.

Non unguium vis, non dentium, etc. Anacreonticae sententiae hic videtur meminisse Noster: Φύσις κέρατα ταύροις. Ὁπλας δ' ἔδωκεν ἵπποις, Ποδωκίην λαγωοῖς, Λέοντι χάσμ' ὀδόντων, κ. τ. λ. Anacr. Od. II, vss. 1–4.

Quae illum obnoxium, validissimum facerent. Sic Gronov. dedit. Antea *qui illum obnoxium ceteris val.* sed τὸ *ceteris* Erasmi coniectaneum est, nec in ullo cod. comparet. Cod. Naz. *obnoxiom*, unde postrema littera omissa librorum plurium scriptura *obnoxio*. Minus esset ambiguum, si verbum in medio positum esset, sed et sic distinctione inserta facile intelligitur: exempla quaedam addit Gronov. cuique facile obvia. H. e. *quae illum, obnoxium alioqui*

nem et societatem. Itaque qui par esse nulli posset, si seduceretur, rerum potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit: societas terris genitum, in alienae naturae transmisit imperium, et dominari etiam in mari iussit. Haec morborum impetus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit: haec fortes non facit, quod licet contra fortunam advocare. Hanc tolle: et unitatem generis humani, qua vita sustinetur, scindes; tolletur autem, si efficies, ut ingratus animus non per se vitandus sit, sed quia aliud illi timendum est. Quam multi sunt enim, quibus ingratis esse tuto licet? Denique ingratum voco, quisquis metu gratus est.

XIX. Deos nemo sanus timet. Furor est enim metuere salutaria: nec quisquam amat, quos timet. Tu denique, Epicure, Deum inermem facis: omnia illi tela, omnem detraxisti potentiam; et ne cuiquam metuendus esset, proiecisti illum extra mundum.

futurum, et omnibus quae in natura expetendam esse. *sunt minorem, facerent omnium validissimum.*

Rationem. Id. Anacreon, Od. modo laudata: Τοῖς ἀνδράσιν φρόνημα (sub. ἡ φύσις ἔδωκε).

In alienae naturae transmisit imperium. Piscium atque avium regem fecit qui vivunt hae in aëre, hi in aquis, et proinde alius naturae sunt ac homo genitus terris.

Haec fortes... advocare. Scil. eam, tanquam patronum atque defensorem. Contra mala, quae fortuna hominibus infligit, societatem humanam multo facere posse, quis negat? Finge enim calamitates a fortuna immissas: societas levat eas et mitigat: auxilia itaque et solatia infelicibus praestat.

XIX Anc. Ipsa Epicuri doctrina de Deo docet, hanc virtutem per se *Epicure.* Epicurum, Deum mundi auctorem non esse, sed atomorum motum concursumque temerarium, nulla causae motricis ratione habita, cogitare potuisse, quemcumque philosophiae studiosum, Epicureis exceptis, taeduit. Attamen docuit, etsi deus in intermundiis, i. e. in spatio inter plures, quos statuebat Epicurus, mundos sito, vitam beatissimam agat, nihil facientem nihilque rerum humanarum curantem, veneratione tamen dignissimum esse. Quae quum sibi manifesto adversentur, fuere qui hanc eum de Deo doctrinam modo animi aut securitatis causa commentum esse et expolivisse existimarent. Cf. Baylii Diction. h. v.

Mundum. Ita Muretus. Recte, etiamsi omnes codd. et edd. ha-

Hunc igitur inseptum ingenti quodam et inexplicabili muro, divisumque a contactu et a conspectu mortalium, non habes quare verearis: nulla illi nec tribuendi, nec nocendi materia est. In medio intervallo 2
huius et alterius caeli desertus, sine animali, sine homine, sine re, ruinas mundorum supra se circaque se cadentium evitat, non exaudiens vota, nec nostri curiosus. Atqui hunc vis videri colere, non aliter quam parentem, grato, ut opinor, animo: aut si nou vis videri gratus, quia nullum habes illius beneficium, sed te atomi et istae micae tuae forte ac temere conglobaverunt, cur colis? Propter maiestatem, inquis, 3
eius eximiam, singularemque naturam. Vt concedam tibi: nempe hoc facis nulla spe, nullo pretio inductus. Est ergo aliquid per se expetendum, cuius te ipsa dignitas ducit: id est honestum. Quid est autem honestius, quam gratum esse? huius virtutis materia tam late patet, quam vita.

XX. Sed inest, inquit, huic bono etiam utilitas ali-

beant: *extra motum*. Nec abludit Lipsius, qui primum *extra metam* coniiciebat, postea vero mauum auctoris agnoscebat.

Inseptum. Dant codd. Gruter. vulg. *septum*.

Muro. I. intervallo, intermundio: est τὰ μεταξόσμια, ap. Cic. fin. II, 23 intermundia vocata. Quintil. VII, 3, 5 Gesner. Vide Brucker. Histor. critic. Philos. Tom. I, p. 1291.

Micae. Atomi tenuissimi: ἄτομα καὶ ἀμετάβλητα. Diog. Laërt. X, 41 sq.

Atqui... colis? Epicurum pium et religionis amantissimum fuisse, et ipse librique eius, in quibus theologica tractabat, testantur; et Baylius l. l., not. G. et P. ubi eruditissimum et sagacissimum illum Criticum neque noster locus neque Cic. et Diogenis Laërt. loca latuerunt, egregie docuit.

Honestum. Nec *honestum* repudiabat Epicurus, quippe qui semper iactabat, non iucunde vivi, nisi et honeste vivatur: sed illud honestum non eo quo Stoici sensu intelligebat, quum prudentiam cum virtute s. honesto confunderet.

XX. Arg. In gratia referenda nullum lucrum, nulla utilitas spectetur: ne damnum quidem nos retineat, quin grati simus.

Sed inest, inquit,.... utilitas aliqua. Obiectio est adversariorum qui ut virtutem probent non propter se ipsam sed propter utilitatem colendam, huic asserunt aliquid utilitatis semper iungi. Ante aut post *inquit*

qua. — Cui enim virtuti non inest? sed id propter se expeti dicitur, quod quamvis habeat aliqua extra se commoda, sepositis quoque illis ac remotis, placet. Prodest gratum esse: ero tamen gratus, etiam si noceat. Qui gratus est, quid sequitur? ut haec res illi
2 alios amicos, alia beneficia conciliet? Quid ergo, si quis sibi offensas concitaturus est? si quis intelligit, adeo per hoc se nihil consecuturum, ut multa etiam ex reposito acquisitoque perdenda sint: num libens in detrimenta descendet? Ingratus est, qui in referenda gratia secundum datum videt, qui sperat quum reddit. Ingratum voco, qui aegro assidet, quia testamentum facturus est, cui de hereditate, aut de legato
3 vacat cogitare: faciat licet omnia, quae facere bonus amicus et memor officii debet, si animo eius obversatur spes, si lucri captator est, et hamum iacit. Vt

ergo subauditur Epicurus aut eius assecla, qui nihil nisi prudentia, quam honestum vocat, motus facere vult, ideoque utilitatem e quacumque actionum suarum exspectat. Sublimior itaque atque durior ei est ista Stoae postulatio, virtutem esse rem per se expetendam, quam ut sibi de doctrinae huius veritate persuaderi patiatur. Hoc autem ita Epicureis accidere debebat, quippe qui omnia ad sensus felicitatemque inde proficiscentem referrent.

Cui enim virtuti non inest? Respondet Annaeus, et fatetur Epicureorum sententiam in hoc veram, sed nihil inde sequi. Nam etsi utilitas bene facta semper consequitur, non ob illam utilitatem bene agendum est. Concedo Ethicae scriptores optimos in hoc consentire, nihil iuste, sancte, caste, fortiter effici quod non utile sit, non quidem statim et ei qui fecit, sed in temporum et rerum summa, et omnium quae fiunt posthac alibique habita ratione.

Secundum datum videt. Alterum sequensque donum intuetur speratque.

Si animo eius obversatur spes, si lucri captator est. E multi codd. et edd. adiecit Gronov. vocem *lucri*. Grutero lectio haec sordida videbatur, et particulam *si* delere volebat: assensus est Lipsius. Recte autem loco huic Gron. suppetias tulit. Pars altera propositionis conditionalis, ait, pleniore et numerosiore periodo simul est similitudinis *ἀπόδοσις*.

Hamum iacit. De haeredipetis inprimis in usu est, qui muneribus magnis missis legata aut hereditates ab orbis divitibus quasi piscari gestirent. Primum usus huius vestigium reperimus apud Horat. Serm, lib. II, Sat. v, vs. 25, quem deinceps multi sequuti sunt, e. c. Martial. lib. IV, 56. lib. VI, Epigr. LXVI, etc. Sic

aves, quae laceratione corporum aluntur, lassa morbo pecora et casura, e proximo speculantur, ita hic imminet morti, et circa cadaver volat.

XXI. Gratus animus ipsa virtute propositi sui capitur. Vis scire hoc ita esse, nec illum utilitate corrumpi? Duo sunt genera grati hominis. Dicitur gratus, qui aliquid pro eo quod acceperat, reddit. Hic fortasse ostentare se potest: habet quod iactet, quod proferat. Dicitur gratus, qui bono animo accepit beneficium, bono debet. Hic intra conscientiam clusus est; quae illi contingere potest utilitas ex affectu latenti? Atqui hic, etiam si ultra facere nihil potest, 2
gratus est: amat, debet, referre gratiam cupit. Quidquid ultra desideras, non ipsi deest. Artifex est etiam, cui ad exercendam artem instrumenta non suppetunt; nec minus canendi peritus, cuius vocem exaudiri fremitus obstrepentium non sinit. Volo referre gratiam: post hoc aliquid superest mihi, non ut gratus, sed
ut solutus sim. Saepe enim et qui gratiam retulit, 3
ingratus est: et, qui non retulit, gratus. Nam ut omnium aliarum virtutum, ita huius, ad animum tota aestimatio redit. Hic si in officio est, quidquid defuit,

fortunae munera, quibus homines facile decipi se patiuntur, Seneca, Ep. VIII, 3, *visceta beneficia* vocat. Lipsius affert Plinii iunioris locum huic similem, in Paneg. *Nonne ut regum, ita Caesarum munera, illitos cibis hamos, opertos praeda laqueos aemulabantur.* Nec Graecis hanc loquendi formulam esse inusitatam docuit Hemsterhus. ad Lucian. II, p. 440 bip. Similiter Plato, Tom IX p. 386 bip. edit., voluptatem vocat ἄθλιαρ, quo loco Cicero de Senectute c. 13 usus est, emendatus a Valckenar. in Diatribe ad Euripid. p. 195.

XXI. Anc. Solum animum in gratia referenda esse spectandum.

Virtute. Praestantia consilii sui, cogitationis atque voluntatis, qua animus ad gratiam referendam agitur, delinitur animus gratus: bono animo debet beneficia, ὀφείλει. Aristot. Ethic. ad Nicom. IX, 7.

Non ipsi deest. Hoc est, deest quidem, sed non ipsi, in quo quidem esse numquam potest; sed deest loco, tempori, rerum naturae, circumstantiis, etc. Infra explicat: *Hoc si in officio est, quidquid defuit, fortuna peccat.*

Solutus. Arguta haec distinctio: animo grati sumus, re solvimus.

fortuna peccat. Quo modo est disertus etiam qui tacet, fortis etiam qui compressis manibus, vel et alligatis: quo modo gubernator etiam qui in sicco est, quia consummatae scientiae nihil deest, etiam si quid ob-
4 stat quo minus se utatur: ita gratus est etiam qui vult tantum, nec habet huius voluntatis suae ullum alium, quam se, testem. Immo amplius adiiciam: est aliquando gratus, etiam qui ingratus videtur, quem mala interpres opinio contrarium traducit. Hic quid aliud sequitur, quam ipsam conscientiam? quae etiam obruta delectat, quae concioni ac famae reclamat, et in se omnia reponit, et quum ingentem ex altera parte turbam contra sentientium adspexit, non numerat suffragia, sed una sententia vincit. Si vero bonam fidem perfidiae suppliciis affici videt, non descendit e fastigio, sed supra poenam suam consistit.

XXII. Habeo, inquit, quod volui, quod petii. Non poenitet, nec poenitebit, nec ulla iniquitate me eo

Compressis manibus. De otiosis dicitur, proverbii loco. Cf. Liv. VII, 13. Lucan. II, 292. Attigit Erasmus Adag. 2121. Gallice dicimus *les bras croisés.*

Quem mala interpres opinio contrarium traducit. Sequor codicem Naz., qui *in* omittit ante *contrarium*. *Traducere* h. l. est contemptui, risui exponere παραδειγματίζειν. Cf. Turnebi Advers. XVI, 5.

Et in se omnia reponit, etc. Quis h. l. non meminerit egregii carminis Horatiani lib. III, Od. III, vs. 1 sqq.: *Iustum ac tenacem propositi virum Non civium ardor prava iubentium, Non vultus instantis tyranni, Mente quatit solida.*

Una sententia; quam fert, sua conscientia instinctus, et elatus supra male de se iudicantem plebem, secure despicit in illam quae *traducit* i. poenis, tanquam *contrarium* sive perfidum, afficit. Similis est Demetrii sententia ap. Senec. Ep. VII, 8, unus mihi pro populo est, etc. Cf. Iacobs ad Brunckii Analect. Animadv. III, 2, p. 153.

XXII. Arg. Ipsam virtutem amplissimum sibi praemium, et etiam in morbis, etiam in tormentis gaudio esse. Argumenti repetitio quod iam supra exposuit: grati animi specimina a morientibus inprimis edi, qui sane nihil iam sperant, neque referendam unquam, quod grati sint, gratiam rentur. Tandem pauca subiungit de virtutis pulchritudine.

Inquit. Non h. l. ut multoties et de Nostri more, adversarius, sed sapiens, qui non descendit e fa-

fortuna perducet, ut hanc vocem audiam, Quid mihi volui? quid mihi nunc prodest bona voluntas? Prodest et in equuleo, prodest et in igne; qui si singulis membris admoveatur, et paulatim vivum corpus circumeat; licet ipsum corpus plenum bona conscientia stillet: placebit illi ignis, per quem bona fides collucebit. Nunc quoque illud argumentum, quamvis dictum iam, reducatur. Quid est quare grati velimus esse, quum morimur? quare singulorum perpendamus officia? quare id agamus in omnem vitam nostram memoria decernente, ne cuius officii videamur obliti? Nihil iam superest, quo spes porrigatur: in illo tamen cardine positi, abire e rebus humanis quam gratissimi volumus. Est videlicet magna in ipso opere merces rei, et ad alliciendas mentes hominum ingens honesti potentia: cuius pulchritudo animos circumfundit, et delinitos admiratione luminis ac fulgoris sui rapit.

stigio, et mente stans solida supra tormenta, supra morbum consistit.

Quid mihi volui?.... voluntas? Brutum, post Philippicam aciem sese gladio statim transfixurum, Sophocleos versus eumdem sensum habentes pronunciavisse omnibus notum.

In equuleo. Equuleus tormenti genus, cui ligneae machinae rei pedes manusque fidiculis alligati, membraque machina erecta per cochleas tantopere extendebantur, ut saepe ossium compago resolveretur. Cf. Stephani Thes. L. L. h. v.

Licet ipsum corpus plenum bona conscientia stillet. Redundat vox ultima, inquit Lipsius. Certe mendosa est. Vtrum, *licet ipsum cor bona coscientia stillet?* an *pectus?* Gron. Repetitio nec mihi placet, occurrit tamen. — *Stillet*, liquescat.

Placebit illi ignis, etc. Similia Ep. LXVI, 17 not.

Dictum iam. IV, 11, 3 sq.

Memoria decernente. Lectionem codd. Grut. praefero cum Gron. vulgatae *occurrente*, aut *decurrente*, quam habet Lipsius. — *Memoria decernente.* Etsi separatae sint animae facultates memoria et iudicium, tamen quia in tumultu illo obversantium totius, quae retro est, vitae actionum utraque concurrit, atque eodem paene momento peragitur, idemque animus reminiscitur et de omnibus vitae partibus censet, et recordando reputamus ac decernimus, fuerimusne annon in officio, *memoriam* ipsam *decernentem* dixit. Sic de Brevit. Vit. c. 10, 3, *necesse est memoriam suam timeat.*

In illo cardine. In extremo limite. Alludere enim videtur ad agrorum car-

Digitized by Google

At multa hinc commoda oriuntur. Et tutior est vita melioribus, amorque et secundum bonorum iudicium, aetasque securior, quam innocentia, quam
4 grata mens prosequitur. Fuisset enim iniquissima rerum natura, si hoc tantum bonum miserum, et anceps, et sterile fecisset. Sed illud intuere, an ad istam virtutem, quae saepe e tuto ac facili aditur, etiam per saxa, et rupes, et feris ac serpentibus obsessum iter, fueris iturus.

XXIII. Non ideo per se non est expetendum, cui aliquid extra quoque emolumenti adhaeret: fere enim pulcherrima quaeque, multis et adventitiis comitata sunt dotibus: sed illas trahunt, ipsa praecedunt. Num dubium est, quin hoc humani generis domicilium circuitus solis ac lunae vicibus suis temperet? quin alterius calore alantur corpora, terrae relaxentur,

dines sive limites, praesertim quia vox *abire* sequitur. Sic Lucan. VII, 381: *Vltima fata Deprecor ac turpes extremi cardinis annos, Ne discam servire senex.*

At multa hinc commoda oriuntur. Non solum pulchra est, sed etiam multa commoda, multas utilitates praebet. Illa de pulchritudine e Platonis Phaedro X, p. 329 ed. bip. desumpta sunt, quae Cicero de Offic. I, 5 init. Senec. Ep. LXXXIX, 1, 115, 3, et alii certatim expressere.

Tutior. Ab externis hostibus.

Securior. Spectat ad animi tranquillitatem.

Quae saepe e tuto ac facili. Inserui τὸ *e*, quod vetus liber Erasmi suppeditat: et sic loqui amat Seneca.

Sed illud.... fueris iturus. Animo Senecae obversata fuisse videtur egregia imago primum apud Hesiod. Opp. et D. 265 sq. ed. Brunck. τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν Ἀθάνατοι, etc. obvia, et a multis post expressa.

XXIII. Ang. Sicut id, quod inprimis pulchrum sit etiam simul prodesse possit, ut astra; sic animus gratus.

Num dubium....temperet? Quis dubitare potest lunam ac solem, dum hunc globum circumeunt, qui humano generi domicilium datus fuit, vicesque suas per inane conficiunt, secundum regulas quasdam temperari et se gerere? De ea temperie caloris humorisque, quam duo haec astra conciliant, et sic generant ac producunt, praeter alios cf. Aristot. IV de generat. Animal. cap. ult. *Lips.* Eadem quae Seneca de sole lunaque affert, Cicero tanquam stoica de Nat. Deor. II, 15 sq. attulit: nec aliter noster in Nat. Quaest. de iis loquitur. Sic II de Nat. Deor. 19 fin. *multaque ab ea (Luna) manant et fluunt, quibus et animantes alantur au-*

Digitized by Google

immodici humores comprimantur, alligantis omnia hiemis tristitia frangatur: alterius tepore efficaci et penetrabili rigetur maturitas frugum? quin ad huius 3
cursum fecunditas humana respondeat? quin ille annum observabilem fecerit circumactu suo, haec mensem, minoribus se spatiis flectens? Vt tamen detrahas ista, non erat ipse sol idoneum oculis spectaculum, dignusque adorari, si tantum praeteriret? non erat digna suspectu luna, etiamsi otiosum sidus transcurreret? Ipse mundus quoties per noctem ignes suos

gescantque et pubescant maturitatemque assequantur, quae oriuntur e terra.

Alligantis omnia hiemis. Quod gelu omnia constringantur, fluviorum unda captiva fiat, tellus concrescat, etc. Horat. Carmin. lib. I, Od. IX, stroph. 1: *Vides ut alta stet nive candidum Soracte... geluque Flumina constiterint acuto.* Lucret.: *Nix acri concreta pruina.* Hinc *pigrum* frigus. Martial. lib. IV, Epigr. III: *Concretas pigro frigore ridet aquas.*

Fecunditas humana respondeat. Ad lunares menses partuum ratio apud veteres respondere credebatur. Quod optime explicat, cur de decem mensibus perpetuum crepent, ubi de partu aliquid innuunt. Porro quum mensis (ut vocant) Lunaris minus quam viginti novem dies complectatur, necesse est in spatio novem mensium quatuordecim fere dies deesse, ergo et decimi mensis dimidium partem supputationi adiici.

Annum observabilem fecerit circumactu suo. Nam fere ab incunabulis orientis mundi solis cursum circa terram temporis mensuram esse volnerunt. Vnde scriptor Gallicus in celebri opere *Atala* Solem ingeniose vocavit *le grand pendule des siècles*.. Caeterum non apte annum dividebant quum menses ad Lunae cursus et vices ordinare et finire aggrederentur. Sed vid. not. seq.

Haec mensem, etc. Et inde annum quoque antiquioribus temporibus lunarem dictum, etc. Vid. Cic. de Nat. Deor. II, 46. Et propter hoc diu incertus anni tenor fuit, quum nempe totius anni spatium in duodecim partes distribui vellent, illae autem partes ad Lunam exactae non 365 dies conficiunt, sed tantummodo 354 Vnde post duo aut tres annos tredecimus mensis inserebatur; et post varias mutationes tandem octaëteris inventa est. Hoc erat octennium, ita compositum ut quinque anni duodecim mensium forent, tres vero tredecimum vel intercalarium mensem admitterent. Porro in octennio nostro sex anni 365 dierum sunt, duo vero 366 dies numerant, ita ut si anni lunares solaribus comparentur, per octennium sexies undecim et bis duodecim dies desint, hoc est nonaginta. Si vero tres menses (h. e. 90 dies), inseueris, aequalitas iam redibit et una stabunt solaris et lunaris anni. Caeterum quod ad lunae influxum pertinet, male creduli philosophi parum certa de hoc influxu exploratagque nos docere possunt.

Ipse mundus. I. caelum deusque Stoac.

Digitized by Google

fudit, et tantum stellarum innumerabilium refulsit, quem non intentum in se tenet? quis sibi illa, tunc quum miratur, prodesse cogitat? Adspice ista tacito succentu labentia, quemadmodum velocitatem suam sub specie stantis atque immoti operis abscondant! Quantum ista nocte, quam tu in numerum ac discrimen dierum observas, agitur? quanta rerum turba sub hoc silentio evolvitur? quantam fatorum seriem
4 certus limes educit? Ista quae tu non aliter, quam in decorem sparsa consideras, singula in opere sunt. Nec enim est, quod existimes septem sola discurrere, caetera haerere; paucorum motus comprehendimus: innumerabiles vero, longiusque a conspectu nostro

Adspice ista tacito succentu labentia. Sic emendavit Gronovius lectionem mendosam omnium codd. Pinciani et Grut. *tacito sub caetu*: unde Pinc. e Virgilii versu affinxerat *tacito labentia caelo*. Recepit primum Muretus, deinde alii. Erasmus: *tanto superne caetu*. Est oxymoron elegantissimum. — *Adspice ista tacito succentu labentia.* Gronov. laudat Cic. Somnium Scipion. cap. 5: quis est, qui complet aures meas tantus et tam dulcis sonus? Hic est, inquit ille, qui intervallis coniunctis imparibus, sed tamen pro rata parte ratione distinctis, impulsu et motu ipsorum orbium conficitur, qui acuta cum gravibus temperans, varios aequabiliter concentus efficit, etc. Sed quis est, qui de harmonia sphaerarum nihil fando audiverit?

Limes. Zodiacum dicit, per quem errantia sidera feruntur: et ex eorum positu haec inferiora ipsosque homines, ingenia et mores formari, Chaldaei censuerunt. Divinationum autem genera, et id quod ex astris petitur astrologicum, coluerunt Stoici (conf. Cic. de Divinat. II, 49 et passim), nec id temere, quum astra iis essent dii. Conf. Lipsii Physiolog. Stoicor. II, 14.

Ista quae tu non aliter, etc. Quam egregie haec dicta sint, posteriorum saeculorum duorum decora astronomica, a celeberr. v. *Copernic* et *Kepler* usque ad *Herschell*, *Olbers*, *Boden*, *Arago* al. ad oculum, quod aiunt, observationibus et inventionibus demonstraverunt. Quid nunc dixisset vir tali notitia et inspectione dignissimus, si licuisset ei esse tam felici, ut mirabilia, quae proxime elapsae aetates detexerunt in caelo, intelligere potuisset! Sed in libro Natural. Quaest. VII, 31 haec aliquando detectum iri Seneca quasi vaticinatus est.

Nec enim est quod existimes. . . . . haerere. Hoc tamen nos credimus, qui planetas septem (nam quatuor, immo quinque, nempe Vestam, Cybelem, Pallada, Innonem, Saturnum, sive *Herschell*, antiqui non norant) per inane ferri admittimus, caetera sidera moveri negamus.

seducti dii eunt, redeuntque. Et ex his qui oculos nostros patiuntur, plerique obscuro gradu pergunt, et per occultum aguntur. Quid ergo? non caperis tantae molis adspectu, etiam si te non regat, non custodiat, non foveat, generetque, ac spiritu suo riget?

XXIV. Quemadmodum haec quum primum usum habeant, et necessaria vitaliaque sint, maiestas tamen eorum totam mentem occupat: ita omnis virtus, et in primis grati animi, multum quidem praestat, sed non vult ob hoc diligi: amplius quiddam in se habet, nec satis ab eo intelligitur, a quo inter utilia numeratur. Gratus est quia expedit? ergo et quantum expedit. Non recipit sordidum virtus amatorem; soluto ad illam sinu veniendum est. Ingratus hoc cogitat: Volebam gratiam referre, sed timeo impensam, timeo periculum, vereor offensam: faciam potius quod expedit. Non potest eadem ratio et gratum facere, et 2 ingratum. Vt diversa illorum opera, ita inter se diversa proposita sunt. Ille ingratus est, quamvis non oporteat, quia expedit: hic gratus est, quamvis non expediat, quia oportet.

XXV. Propositum est nobis secundum rerum natu-

Dii. Deorum naturae participes esse stellas crediderunt veteres; et huic opinioni aperte Noster h. l. suffragatur.

XXIV. Anc. Ex antecedenti similitudine, concludit animum gratum esse quidem utilem, sed per se tamen iam expetendum.

Quemadmodum haec quum. Sc. Vt haec astra, etsi primum, etc.

Vitaliaque. Vitam dent, ad tuendam eam faciant.

Sordidum. Qui sinum suum, e quo dona promuntur, comprimit: oppositus illi, qui *soluto* i. aperto, ad dandum parato sinu, laxo (interprete Bentleio ad Horat. Serm. II, 3, 172) venit.

Non oporteat. Non honestum sit.

XXV. Anc. Qua in re dii nobis sint imitandi.

Nobis. Stoicis. Nam semper cum Epicureis Senecae contentio est, quippe qui utilitatem in omnibus quaerunt. Caeterum dogma hoc est perpetuum et principium Stoicorum inde a Cleanthis et Chrysippi tempore, secundum rerum naturam vivere

ram vivere, et deorum exemplum sequi: dii autem quodcumque faciunt, in eo quid praeter ipsam faciendi rationem sequuntur? nisi forte existimas illos fructum operum suorum ex fumo extorum, et thuris odore percipere. Vide quanta quotidie moliantur, quanta distribuant, quantis terras fructibus impleant, quam opportunis et in omnes oras ferentibus ventis maria permoveant, quantis imbribus repente deiectis solum molliant, venasque fontium arentes redinte-
2 grent, et infuso per occulta nutrimento novent. Omnia ista sine mercede, sine ullo ad ipsos perveniente commodo, faciunt. Haec quoque nostra ratio, si ab exemplari suo non aberrat, servet, ne ad res honestas conducta veniat. Pudeat ullum venale esse beneficium: gratuitos habemus deos.

XXVI. Si deos, inquit, imitaris, da et ingratis beneficia: nam et sceleratis sol oritur, et piratis patent maria. Hoc loco interrogant, an vir bonus daturus sit beneficium ingrato, sciens ingratum esse? Permitte mihi aliquid interloqui, ne interrogatione insidiosa capiamur. Duos ex constitutione Stoica accipe ingratos: alter ingratus, quia stultus est. Stultus etiam

oportere, τέλος εἶναι, τὸ ὁμολογουμένως τῇ φύσει ζῆν. Zenonis principium erat: τὸ ὁμολογουμένως ζῆν, vivas harmonice. Hoc purum formale, quod nunc aiunt, mutarunt Cleanthes et Chrysippus in rationale, addentes τῇ φύσει, quod Seneca sequitur et explicat. Cf. Stob. II, 7 p. 133 sq. Heeren.

Novent. E cod. Naz. cum Gron. reduxi, quam antea *renovent* ederetur. Non alia de causa mutatum, ait Gron., quam quod nunc composita frequentius in ore vulgi.

XXVI. Ans. An et ingratis beneficia a bono viro ingratos eos esse scienţe danda sint, inquiritur usque ad cap. 36. Hoc autem capite status qui dicitur controversiae constituitur. Quis, ex institutione Stoica, est ingratus? Duo eorum sunt genera.

Interrogatione. I. conclusione, ἐρωτήματι. Cf. Hemsterhus. ad Lucian. II, pag. 402 bip.

Ex constitutione Stoica. Ex disciplinis quas Stoa constituit. Gallice optimè vertetur: *dans le système des stoïciens*.

Stultus. Huic verbo opponitur a Stoicis sapiens: omnem malum et omne vulgus *stultum* appellat Stoa, quae et imperitum scientiaque ca-

malus est: qui malus est, nullo vitio caret: ergo et ingratus est. Sic omnes malos dicimus, intemperantes, 2
avaros, luxuriosos, malignos: non quia ista omnia singulis magna et nota vitia sint, sed quia esse possint: et sunt, etiamsi latent. Alter est ingratus, qui a vulgo dicitur, in hoc vitium natura pronus et propensus. Illi ingrato, qui sic hac culpa non caret, quo modo nulla caret, dabit beneficium vir bonus; nulli enim dare poterit, si tales homines submoverit. Huic ingrato, 3
qui beneficiorum fraudator est, et in hanc partem procubuit animo, non magis dabit beneficium, quam decoctori pecuniam credet, aut depositum committet ei, qui iam pluribus abnegavit. Timidus dicitur aliquis, quia stultus est: et hoc quidem malos sequitur, quos indiscreta et universa vitia circumstant; dicitur timidus proprie, naturâ etiam ad inanes sonos pavidus. Stultus omnia vitia habet, sed non in omnia naturâ pronus est; alius in avaritiam, alius in luxuriam, alius in petulantiam inclinatur.

rentem sic vocat. Cic. Tusc. III, 4: *Omnes perturbationes animi, ait, morbos philosophi appellant: negantque stultum quemquam his morbis carere. Qui autem in morbo sunt, sani non sunt, et omnium insipientium animi in morbo sunt: omnes insipientes igitur insaniunt. Sanitatem enim animorum positam in tranquillitate quadam constantiaque censebant: his rebus mentem vacuam appellarunt insaniam*, etc. Cf. Stob. II, p. 186 sq. Heeren. ed. Lipsii Manud. ad Stoic. phil. III, 20.

Nulli..... submoverit. Nam sapientes, qui omnibus istis vitiis carent, nusquam sunt, etsi, ut fiamus, omnibus viribus contendendum est: nec οἱ προκόπτοντες, sive proficientes eximendi sunt.

Beneficiorum fraudator. H. e. qui beneficia abnegat. Videtur ille qui beneficium accipit, fidem suam danti obstringere et se gratiam relaturum polliceri. Quod si non efficerit, patet eum aliquo modo fidem fefellisse, ergo fraudari.

In hanc partem procubuit animo. Hoc vitii genere laboravit. Procumbere animo est animum deiicere, substernere, affligere, humi figere; quae metaphorae omnes e Stoae ingenio sunt, ut vitii quodlibet genus significetur; nam omne vitium apud Stoicos animi quaedam debilitas est.

Decoctori. Prodigo, qui patrimonia decoquit.

Petulantiam. Protervitatem, procacitatem, quae opponitur modestiae ac pudori. Cic. in Verrem, act. II,

XXVII. Itaque errant illi qui interrogant Stoicos: Quid ergo? Achilles timidus est? Quid ergo? Aristides, cui iustitia nomen dedit, iniustus est? Quid ergo? et Fabius, qui cunctando restituit rem, temerarius est? Quid ergo? Decius mortem timet? Mucius proditor est? Camillus desertor? Non hoc dicimus,

cap. 14: *Coniuges integras ab istius petulantia conservare non licitum est.* Idem, Paradox. III: *Lapsa est libido in muliere ignota: dolor ad pauciores pertinet, quam si petulans fuisset in aliqua virgine nobili.*

Inclinatur, non *inclinantur*, praeter codd. legit quoque Vincent. bellov. Spec. hist. VI, 28. Antea erat *inclinantur*, minus bene, quamvis facile intelligatur.

XXVII. Arg. Quum stultus, stoico sensu, quisque malus sit, ideoque et ingratus; illi ad hoc vitium inprimis propenso, nullum beneficium esse dandum.

Quid ergo? Achilles timidus est? Obiectionem id esse patet contra Stoicum decretum: Nullo vitio non laborare stultum. Ab omnibus philosophorum sectis hoc Stoae dogma impugnatum esse constat. Videmus hic, quibus argumentis usi sint ad Stoicos refellendos, omnibus ex usu et experientia desumptis. Quatenus non sapientes isti viri notissimi erant, esse debebant stulti: quae quidem assertio pro paradoxo valere debuit, ideoque impugnanda. Nec negari potest, difficile fuisse Stoicis, nisi demendo et retrahendo, laqueis hisce, in quos se ipsi induerant, evadere.

Cui iustitia nomen dedit. Nam Iustus ab unanima civitate audiebat, et plebs universa huic in theatro assurrexit, quum primum Aeschyli versus recitaretur: οὐ γὰρ δοκεῖν δίκαιος, ἀλλ' εἶναι θέλει.

Fabius, qui cunctando restituit rem. Q. Fabius Maximus Verrucosus Oviculа Cunctator prodidactor qui ann. ant. Chr. nat. 115 Annibalis impetum fregit, moras de moris usque nectens. Noti sunt Virgilii versus, Aeneid. lib. VI fin., quibus hic alludere videtur noster: *Quo fessum rapitis, Fabii? Tu maximus ille es, Vnus qui nobis cunctando restituis rem.*

Decius mortem timet? Tres Decii fuere, avus, pater et filius, qui Diis infernis in praelio se devovere, ut Romanis victoriam darent. Primus, P. Decius Mus, consul cum T. Manlio Imperioso Torquato ann. V. C. 454 (ant. Chr. N. 300), in bello Latino se devovit. Secundus cui idem nomen, quartum consul ann. V. C. 459 (ant. Chr. N. 295) pugnans fortiter adversus Gallos et Samnites eodem modo cecidit. Tertius, consul V. C. 476 (ant. Chr. n. 279) cum P. Sulpicio Saverione, dimicavit contra Pyrrhum, et quamquam rex, Decii consilio comperto, qui patris et avi instar statuerat se devovere, iussisset consulem non occidi, sed capi et ad exquisita supplicia reservari, in confertissimos hostes se immisit ignotum, et super vulneratorum morientiumque confusos acervos ipse corruit.

Camillus desertor? M. Furius Camillus, qui exsul Veios se contulit, sed capta a Gallis Roma et Romanis iamiam pretio sese liberantibus, affuit derepente et impugnatos vi sum-

sic omnia vitia esse in omnibus, quo modo in quibusdam singula eminent, sed malum ac stultum nullo vitio vacare; nec audacem quidem timoris absolvimus: ne prodigum quidem avaritia liberamus. Quo 2
modo homo omnes sensus habet, nec ideo tamen omnes homines aciem habent Lynceo similem: sic qui stultus est, non tam acria et concitata habet omnia, quam quidam quaedam. Omnia in omnibus vitia sunt: sed non omnia in singulis exstant. Hunc natura ad avaritiam impellit: hic libidini, hic vino deditus est: aut si nondum deditus, ita formatus, ut in hoc illum mores sui ferant. Itaque ut ad propositum revertar, 3
nemo non ingratus est, qui malus est: habet enim omnia nequitiae semina; tamen proprie ingratus appellatur, qui ad hoc vitium vergit; huic ergo beneficium non dabo. Quo modo male filiae consulit, qui illam contumelioso et saepe repudiato collocavit: quo modo malus paterfamilias habebitur, qui negotiorum gestorum damnato patrimonii sui curam mandaverit: quo modo dementissime testabitur, qui tu- 4
torem filio reliquerit, pupillorum spoliatorem: sic pessime beneficia dare dicetur, quicumque ingratos eligit, in quos peritura conferat.

XXVIII. Dii quoque, inquit, multa ingratis tri-

ma internecione occidit. Quo facto parens patriae et Romae conditor alter consalutatus est.

Lynceo. Lynceus unus ex Argonautis fuit Apharei filius, Idae fratris, acutissima oculorum acie praeditus (Λυγκεὺς δὲ ὀξυδερκίᾳ διήνεγκεν, ὡς καὶ τὰ ὑπὸ γῆν θεωρεῖν. Apollodor. III, 10, 3. Cf. Burmanni Catalogus Argonaut. (editioni Valerii Flacci pag. 128 ed. Harl. praemissus): unde alii quoque acie oculorum valentes Lyncei vocati sunt, e. c. ille Strabo, quem Plinius Hist. Nat. VII, 21, Cicerone teste, narrat pervidisse centum triginta millium passuum, etc.

Contumelioso. Conviciorum amantissimo, malaque proinde tractatione utenti, cui saepe uxor repudium misit.

Negotiorum gestorum. Qui res litesque alienas administrant: inprimis autem ad pecuniariam tractationem negotia pertinere docuit Ernesti Clav. Cic. h. v. Gall. est: *chargé d'affaires.*

XXVIII. Aug. Nec ideo dii, homi-

huunt. Sed illa bonis paraveran' : contingunt autem etiam malis, quia separari non possunt. Satius est autem, prodesse etiam malis propter bonos, quam bonis deesse propter malos. Ita, quae refers, diem, solem, hiemis aestatisque cursus, et media veris autumnique temperamenta, imbres et fontium haustus, ventorum statos flatus pro universis invenerunt: excerpere singulos non potuerunt. Rex honores dignis dat, congiarium et indignis. Frumentum publicum tam fur quam perjurus et adulter accipiunt, et, sine delectu morum, quisquis incisus est; quidquid aliud est, quod tanquam civi, non tanquam bono datur,
2 ex aequo boni ac mali ferunt. Deus quoque quaedam munera in universum humano generi dedit, a quibus excluditur nemo; nec enim poterat fieri, ut ventus bonis viris secundus esset, contrarius malis: commune autem bonum erat, patere commercium maris, et re-

neque aliquid boni publice ideoque ipsis malis dividentes, culpandi sunt.

Temperamenta. Mitiora quam aestatis tempora et lenior aura.

Statos flatus, etc. Scil. Favonius ineunte vere, etesiae aestate, etc.

Honores. Munera publica, e. c. consulatus.

Congiarium. Donativum, constabat oleo, vino et pecunia, quae populo inprimis sub Caesaribus dividi solebant.

Quisquis incisus est. Sic omnes Pinc. et Grut. codd. mss. Recte. Vnus Lipsius in suis libris mss., quorum fides tamen dubia est, *quisquis civis est*, invenerat, cuius quidem lectionis falsitas vel inde constat, quod adeo Iudaeos ad frumentarias donationes ab Augusto admissos Philo tradit in legatione ad Caium. Facile itaque est ad intelligendum, hanc lectionem codd. Lipsii nihil nisi glossema parum eruditam esse, quod genuinae lectionis locum immerito occupaverit. — *Quisquis incisus est.* In tabulis nomina incolarum incidebantur, insculpebantur, qui deinde tesseras acciperent, quibus monstratis oleum aut quidquid distribueretur nacti sunt. Conf. Lipsius Elector. I, 8, qui totam hanc rem eleganter pertractavit. Attigit erudite rem Salmas. ad Scriptt. H. A. To. 1, p. 776.

Commune autem bonum erat. Bona est lectio: quum tamen *bonum* scriptum forte esset, hinc *bono* scripserunt nonnulli, ut superius c. XVIII erat *obnoxiom* pro *obnoxio*, observante Gronovio contra Gruterum, qui *commune* (auferendi casu) *autem bono erat* praeferre maluerat: at Seneca *communi bono* scripturus fuisset.

Digitized by Google

gnum humani generis relaxari. Nec poterat lex casuris imbribus dici, ne in malorum improborumque rura defluerent. Quaedam in medio ponuntur. Tam bonis 3
quam malis conduntur urbes: monumenta ingeniorum et ad indignos perventura publicavit editio: medicina etiam sceleratis opem monstrat. Compositiones remediorum salutarium nemo suppressit, ne sanarentur indigni. In his exige censuram, et personarum aestimationem, quae separatim tanquam digno dantur, non in his quae promiscue turbam admittunt. Multum 4
enim refert, utrum aliquem non excludas, an eligas. Ius et furi dicitur: pace etiam homicidae fruuntur: sua repetunt, etiam qui aliena rapuerunt. Percussores et domi ferrum exercentes murus ab hoste defendit: legum praesidio, qui plurimum in illas peccaverunt, proteguntur. Quaedam non poterant caeteris contingere, nisi universis darentur. Non est itaque quod de istis disputes, ad quae publice invitati sumus:

Quaedam in medio, etc. Quaedam sunt communis usus, ut urbes, libri recentes, qui apud Sosios Dorosve librarios prostarent cuique. Non ut civi, sed ut homini haec parantur.

Medicina etiam sceleratis opem monstrat. Omnes codd. sic habent, quod cum Gronovio recepi, propterea quoque, quoniam et apud alios et apud nostrum usus verbi de medicina et remediis solemnis est, e. c. VI, 16, 3. Epist. XXII, 1. XXVII, 8. L, 5, LXXVIII, 4, etc. Vulgata erat *ministrat:* sed de medicina, medico aut remediis hoc verbum, quantum equidem nemini, non in usu fuit: etsi probe sciam, de servis usurpatum esse.

Ius et furi. Vulgata fuit ante Lipsium et Gruterum: *Ius fori omnibus dicitur*. Codd. omnes *Ius et fori*, omissa voce *omnibus:* unde *Ius et furi dicitur* egregie eruit Claud. Puteanus, cuius notis, quas auctoribus a se lectis adscribere solitus est, edidit autem ipse nullas (conf. Ioecheri *Gelehrtenlexicon* h. v.), interdum usus esse videtur Lipsius.

Percussores et domi ferrum exercentes. Facile in oculos incurrit, loquendi formam, *ferrum exercere*, non eodem sensu hic adhibitam esse, quo apud alios, e. c. Virgil. Aeneid. VIII, 424: *Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro:* nam ibi est; ferro cudendo occupati erant. Sed uti poëtis *exercere* idem est quod lacessere, fatigare, i. e. crebro movere, frequenter usurpare, multum esse in aliqua re; ita h. l. rarior vis obtinet, frequenter uti ferro, gladio ad occidendos homines. Attigit hunc verbi usum

illud quod iudicio meo ad aliquem pervenire debet, ei quem ingratum sciam, non dabo.

XXIX. Ergo, inquit, nec consilium deliberanti dabis ingrato, nec aquam haurire permittes, nec viam erranti monstrabis? an, haec quidem facies, sed nihil donabis? Distinguam istud: certe tentabo distinguere. Beneficium est opera utilis: sed non omnis opera utilis beneficium est. Quaedam enim tam exigua sunt, ut beneficii nomen non occupent. Duae res coire debent, quae beneficium efficiant. Primum, rei magnitudo: quaedam enim sunt infra huius nominis mensuram. 2 Quis beneficium dixit quadram panis, aut stipem aeris abiecti, aut ignis accendendi factam potestatem? et interdum ista plus prosunt, quam maxima: sed tamen vilitas sua illis, etiam ubi tempore facta sunt necessaria, detrahit pretium. Deinde quod potissimum est, oportet accedat, ut eius causa faciam, ad quem volam pervenire beneficium: dignumque eum iudicem, et libens id tribuam, percipiensque ex munere meo gaudium. Quorum nihil est in istis, de quibus loquebamur. Non enim tanquam dignis illa tribuimus, sed negligenter tanquam parva: et non homini damus, sed humanitati.

Wernsdorf. ad Poët. min. lat. V, 2 p. 1066, nostri tamen loci immemor. *Peraussores* sunt qui ab aliis conducti, in viis, etc. hominibus vim inferunt.

Iudicio meo. H. e. electione mea; quod ego elegi dandumque alicui iudicavi.

XXIX. Aug. Nec omnia, quae ingratis dantur, sunt beneficia vocanda. Nam multa, etsi utilissima quod apto tempore data, viliora sunt quam quae beneficiorum nomine condecorentur.

Beneficium...utilis. Haec sunt pure stoica, in definitione boni obvia. Bonum autem est, quod prodest, et quod omnia ratione praedita appetunt. Stobae. II, 7, p. 78, 94 sq., τὸ οἷον ὠφελεῖν. Opera utilis itaque est genus, cuius species est beneficium.

Rei magnitudo. Spectat ad momentum, dignitatem rei, quae inprimis alicuius saluti consulit.

Ad quem volam pervenire. Sic cod. Naz. Caeteri et edd. *volebam*, quod tamen e *volam* postea factum esse videtur.

Sed humanitati. Ex Aristotelis di-

XXX. Aliquando daturum me etiam indignis quaedam non negaverim, in honorem aliorum: sicut in petendis honoribus quosdam turpissimos nobilitas industriis, sed novis, praetulit. Non sine ratione sacra est magnarum virtutum memoria, et esse plures bonos iuvat, si gratia bonorum non cum ipsis cadat. Ciceronem filium quae res consulem fecit, nisi pater? Cinnam nuper quae res ad consulatum recepit ex hostium castris? Quae Sextum Pompeium, aliosque Pompeios, nisi unius viri magnitudo? tanta quondam, ut satis alte omnes suos etiam ruina eius attolleret. Quid nuper

eto ap. Stob. Floril. 35 de bonitate p. 222 (ed. Gesner. Tiguri 1543 ex Trincavell. expressae) haustum, qui culpatus, quod improbo aliquid dedisset, οὐ τῷ ἀνθρώπῳ. ἔφη, ἀλλὰ τῷ ἀνθρωπίνῳ. Ipsa haec verba Seneca reddidit: at Herodes Atticus ap. Aulum Gellium IX, 2 pulchre immutavit in re pari: *Demus*, inquit, *huic aliquid aeris, cuicumodi est, tanquam homines, non tanquam homini.*

XXX. Arg. Indignis tamen quaedam esse danda in honorem aliorum.

Novis. Supple *hominibus*, qui primi e familia sua ad honores perveuerunt, e. c. Cato Censorius, Cicero, Marius.

Non sine ratione..... cadat. Hac sententia motus ignovit Iulius Caesar Atheniensibus, qui Caleno tradere se noluerant ante praelium pharsalicum, post illud demum se tradentibus: Multum, inquit, deliquistis, et nouuisi mortuis vitam salutemque debetis. Dio Cass. 43, 14. Hanc sententiam, paulo obscuriorem, sic vertit *Lagrange*: *Il y a plus de plaisir à être homme de bien, quand le souvenir des services ne meurt pas avec celui qui les a rendus.*

Ciceronem filium quae res cons. fecit.... Nam virtutes omnes uberant, si famae et veteribus scriptoribus, v. gr. Plin. et Sen. patri credideris. Factus autem est Cic. hic iunior a. V. 724 consul suffectus propter nomen patris, quem Augustus magni fecit. Dio Cass. LI, 19. *Middleton*, in *the life of Cicero* fin. defendit eum ab iniuriis, quibus multi eum affecerunt et veterum et recentiorum (Version. germanicae Duschii Vol. III, p. 538-555). Cf. I. H. L. *Meierotto* de rebus ad auctores quosdam classicos pertinentibus dubia, Berolini 1785, in quo egregio libro inde a p. 171 quaestio haec; cur M. Tullius Cicero M. F. bene natus a tanto patre minus bene institutus, erudite tractatur.

Cinnam. Et ipsum Cn. Pompeii ex filia nepotem. Vid. de Clement. I, 9. Fuit vero iste Cn. Cornelius Cinna Magnus ordinarius consul. a. V. 758. Dio Cass. LV, 22.

Sextum.. attolleret. Sextum Pompeium Sexti filium, qui consul fuit a. V. 718, quo nomine et alius item consul cum Sext. Appuleio anno quo Augustus obiit 767. Plures insuper ex duabus aut tribus Pompeiorum fami-

Fabium Persicum, cuius osculum etiam impediret viri vota boni, sacerdotem non in uno collegio fecit, nisi Verrucosi, et Allobrogici, et illi trecenti, qui hostium incursioni pro republica unam domum obiecerant? Hoc debemus virtutibus, ut non praesentes solum illas, sed etiam ablatas e conspectu colamus. Quo modo illi id egerunt, ut non in unam aetatem prodessent, sed beneficia sua etiam post ipsos relinquerent; ita et nos non una aetate grati simus. Hic magnos viros genuit, dignus est beneficiis, qualiscumque est: dignos dedit. Hic egregiis maioribus ortus est: qualiscumque est, sub umbra suorum lateat. Vt loca sordida repercussu solis illustrantur, ita inertes maiorum suorum luce resplendeant.

liis consules fuere, nempe Q. Pompeius cum C. Caligula Caesare; eo ipso anno quo trucidatur a Chaerea (ille mortuus est nempe Chr. n. 41), et C. Pompeius Longinus Gallus Cos. an. Chr. 49, cum Q. Veranio Laeto Nepote. Nonnulli sunt qui praeturam, praefecturas, imo et consulatum, sed suffecti obtinuere, quorum a Suetonio, Tacito, Dione Cassio, etc., mentio fit.

Quid nuper Fabium Persicum. Cf. ad II, 21, 4. Iuvenal. VIII, 13. De gente Fabia omnia nota sunt.

Cuius osculum etiam impediret viri vota boni. Haec est vulgata usque ad Muretum, qui Pinciani coniecturam, *cuius osculum etiam impuri vitabant*, s. in textum recepit. Codd. autem mss., ac primus omnium, codex naz.: *cuius osculum etiam inpodiri devota boni*: alii *inrodiri*, *impediri*. Scripti quidam assentiuntur vulgatae, quam tueor, ut sit sensus: impuritas hominis tanta est, ut adeo osculum eius votis vim demat precantium virorum bonorum. Non solum profanis (βεβήλοις) praesentibus vim precum suarum minui putabant, quare illud notum: Odi profanum vulgus et arceo; Horat III, Carm. I, 1; sed adeo hoc osculo. Aptior itaque est vulgata quam illa altera: nam haec vulgata etiam respicit ad sacerdotium, quo hic Fabius Persicus fungebatur.

Hoc debemus... colamus Paulo aliter Horat. III Carm. 24, 31 sq. *Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quaerimus invidi.*, et Vellei. Pat. II, 92: *Praesentia invidia, praeterita veneratione persequimur; his nos obrui, illis instrui credimus.*

Vna aetate est *une seule génération*. Sic Nestor vixit tres aetates hominum. Et quidem Homer. hoc significans ait τρεῖς ἤδη γενεὰς γένετ' ἀνδρῶν.

Qualiscumque est. H. e. licet ipse per se abiecti animi sit, et ingenii nullius.

Dignos. Intellige *dignos beneficiis*.

Hic egregiis maioribus.... resplendeant. Haec quam inania et falsa et

XXXI. Excusare hoc loco, mi Liberalis, deos volo. Interdum enim solemus dicere: Quid sibi voluit providentia, quae Aridaeum regno imposuit? Illi putas hoc datum? patri eius datum est, et fratri. Quare Caium Caesarem orbi terrarum praefecit, hominem humani sanguinis avidissimum, quem non aliter fluere in conspectu suo iubebat, quam si ore excepturus esset? Quid? ergo tu illi hoc datum existimas? patri 2 eius Germanico datum, datum avo, proavoque, et ante hos aliis non minus claris viris, etiam si privati paresque aliis vitam exegerunt. Quid? tu, quum Mamercum Scaurum Cos. faceret, ignorabas ancilla-

parum Stoice, immo parum philosophice iactata, patet, si de publicis muneribus loqueretur h. l. sed circa res privatas sermo est. Illius filium qui fortunae prosperae et opum multarum auctor mihi est, donis meis et amore prosequar, etsi parum gratum et alioqui parum amabilem. Filii qui maguis beneficiis cumulatum me voluit patrem venerabor, colam, similibusque donis, si qua potuero, immeritum cumulabo. Sed ubi penates egrederis, et de civitate, non de privata domo res agitur, quisque per se pensandus, nec filio id dandum quod pater meruit, nec patri quod filius.

XXXI. Anc. At Dii, qui indignis beneficia dant, excusari debent. Etsi pleraque laudabilia, ait Lipsius recte, et notanda in nostro, hic tamen locus una cum seq. capite, inter eximios et sapientiae altae est.

Aridaeum. Philippus Aridaeus, notus Alexandri M. frater, matre impari Philinna, saltatrice larissaea: quem in regia diligenter educatum et optimae indolis felicissimique ingenii iam plus quam spes praeferentem, Olympias verita ne quid ille contra Alexandrum moliretur, veneno dato ita afflixit, ut timidus dehinc, imbecillus et vino turpiter deditus fuerit. Cf. Ptolemaeum Athenaei XIII, p. 578, a. Curtius X, 7 sq. Post mortuum Alexandrum, et quum iam de imperio dissentiretur, hortante Meleagro, hac conditione princeps factus est, ut si quem Roxane Alexandri, tunc gravida, edidisset marem, hic in regni consortium assumeretur. Quod quidem evenit. Aridaeum, postquam septem annos rerum summa potitus esset, Olympias interemit, in Macedoniam a Polysperchonte reducta ann. ant. Chr. N. 310.

Caium Caesarem, cognomine Caligulam.

Datum avo. Eius avus Drusus Germanicus fuit Tiberii frater, quem Tacitus *breves et infaustos populi romani amores* appellat.

Proavoque ad maiores Claudiae gentis spectat: nam Tib. Claudius, Liviae maritus prior, recte Lipsio observante, neque fama, neque fatis nimis illustris fuit.

Mamercum Scaurum. De hoc laudat Lipsius Taciti Annal. VI, 29: *Mamercus Scaurus, insignis nobilitate et orandis causis, vita probrosus:*

rum suarum menstruum ore illum hiante exceptare? Numquid enim ipse dissimulabat? numquid purus
[3] videri volebat? Referam dictum tibi eius in se, quod circumferri memini, et ipso praesente laudari. Pollioni Asinio iacenti, obscoeno verbo usus, dixerat se facturum id quod pati malebat; et quum Pollionis attractiorem vidisset frontem, Quidquid, inquit, mali dixī, mihi et capiti meo. Hoc dictum suum ipse narrabat. Hominem tam palam obscoenum, ad fasces, et ad tribunal admisisti? nempe dum veterem illum Scaurum, senatus principem cogitas, indigne fers sobolem eius iacere.

XXXII. Deos verisimile est, ut alios indulgentius tractent propter parentes avosque, alios propter futuram nepotum pronepotumque, ac longe sequentium posterorum indolem. Nota est enim illis operis sui series: omniumque illis rerum per manus suas iturarum scientia in aperto semper est: nobis ex ab-

III, 66 *opprobrium maiorum* vocatur. Impurissimus ille homo sub Tiberio periit, et familia Scaurorum in eo est extincta, narrante Seneca Suasor.

Quid? tu, quum... faceret, sc. providentia. Tunc ignorabas illum fuisse hominem probrosissimum? fortuna tamen in illo Scaurum illum senatus principem, cuius Cicero tanta laude saepe meminit, respexisse videtur. — *Faceret*. Sic emendaveram, quum et Lipsium in hanc parvulam mutationem τοῦ *faceres* in *faceret* incidisse viderem. Illud enim nullum sensum fundit idoneum: quid autem durius, quam haec omnia ad fortunam? Praestat tamen τὸ *tu* retinere: h. e. Liberalis, tu ipsum consulem factum videbas.

Pollioni Asinio filio oratoris et historici clari, de quo cf. Manutius ad Cic. Epist. ad famil. X, 31: qui hic memoratur, occurrit interdum apud Tacitum.

Pati, *πάσχειν*, est *obscaenum* verbum nequitiae, cuius exemplum habes ap. Sueton. Tib. 45.

Quidquid... dixi. Cf. III, 27, §. 2.

Deos verisimile est, etc. Omnium codd. et edd. lectio ante Muretum, qui emendavit textum, aut potius Senecam ipsum: *Deos videre, ut...* nulla mutationis ratione reddita. — *Deos verisimile est*, etc. Est enallage, qua Latini Atticorum more noto accusativis uti interdum amant, per ellipsin *quod ad* exponendis: de quo more nunc satis noto Viri docti saepius monuere, e. c. ad Liv. II, 57, 3, ed. Drakenb. et *Heusinger* ad Cic. de Offic. I, 32, 2, qui et nostri luci memor fuit.

dito subit; et quae repentina putamus, illis provisa veniunt ac familiaria. Sint hi reges, quia maiores eorum non fuerunt, quia pro summo imperio habuerunt iustitiam, abstinentiam, quia non rempublicam sibi, sed se reipublicae dicaverunt. Regnent hi, quia vir bonus quidam proavus eorum fuit, qui animum supra fortunam gessit, qui in dissensione civili, quoniam ita expediebat reipublicae, vinci quam vincere maluit. Referri illi gratia tam longo spatio non potuit; in illius respectum iste populo praesideat, non quia scit aut potest, sed quia alius pro eo meruit. Hic corpore deformis est, adspectu foedus, et ornamenta sua traducturus; iam me homines accusabunt, caecum et temerarium dicent, nescientem quo loco, quae summis ac excellentissimis debentur, ponam: at ego scio, alii me istud dare, alii olim debitum solvere. Vnde

Repentina putamus. Et quidquid nos, consiliantium Deum mentem et aeternas omnium rerum leges, vices, coaptationes et seriem non assecuti, fortunae, sorti, τυχῇ tribuimus. Nam fors vox inanis est et sine sensu quam tunc maxime usurpamus quum nihil nobis dicendum aut dictu dignum apparet; ita ut ingenium nostrum in irrito esse et caecutire oculos quodam modo fateamur, quum aliquid *forte* geri dicimus.

Sint hi reges, etc. Sequuntur verba Fortunae. Exemplo sit Medorum primus rex apud Herodot. I, 98: addatur Gelo et Hiero Syracusis, Numa Pompilius Romae aliique.

Quia maiores eorum non fuerunt. Homines novos innuit qui rerum potiuntur et imperantium longam seriem (quam nunc *dynastie* vocamus) incipiunt.

Sint hi reges, quia... fuerunt quia. Hanc omnium codd. et edd. lectionem mutandam putavit Gruterus: *quia maiores e. n. f. qui pro... qui non*, etc. Sed cf. not. super.

Regnent hi... maluit: ad Iulium Caesarem fortasse respexit.

Hic corpore deformis est. Respexisse videtur ad Caligulam. Cf. Suetou. Calig. 50.

Ornamenta, sua insignia, Caesaribus propria.

Traducturus i. risui expositurus, παραδειγματίσων. De Claudio h. l. sermonem esse suspicor.

Iam me... at ego scio. Providentia, sive Fortuna loquitur.

Vnde, etc. Haec non ad Germanicum pertinere possunt, quippe quem omnibus notissimum fuisse constat; sed haud dubie ad *Agrippam* spectant, quem et modestissimum et fortissimum scimus fuisse (Dio Cass. LIV, 29), et cuius pater ne illis quidem temporibus notus fuit. Cf. supra III, 32, 2. Epist. XCIV, 46.

isti norunt illum quemdam, gloriae sequentis fugacissimum, eo vultu ad pericula euntem, quo alii ex periculo redeunt nunquam bonum suum a publico distinguentem? Vbi, inquis, iste, aut quis est? Vnde? nescitis; apud me istae expensorum acceptorumque rationes dispunguntur. Ego quid cui debeam, scio; aliis post longam diem repono; aliis in antecessum, ac prout occasio, et reipublicae meae facultas tulit.

XXXIII. Ingrato ergo aliquando quaedam, sed non propter ipsum dabo. Quid si, inquit, nescis, utrum gratus sit, an ingratus? exspectabis donec scias, an dandi beneficii tempus non amittes? exspectare longum est; nam, ut Plato ait, difficilis humani animi
2 coniectura est: non exspectare, temerarium est. Huic respondebimus, nunquam exspectare nos certissimam rerum comprehensionem: quoniam in arduo est veri

Apud me... dispunguntur. Ego Fortuna, Providentia, supputo expensa acceptaque accuratissime.

Reipublicae meae facultas. Haec omnium codd. et edd. lectio est: in nullis autem *utilitas* reperitur.

XXXIII. Anc. Itaque vel ingrato danda esse beneficia, sed praesertim ei, qui verisimiliter gratus fuerit.

Nam.... est. Difficile est, animi consilia explorare. Saepius haec Platonis sententia in eius operibus, e. c. Amatoribus occurrit, sed locum, quem Seneca respexit, invenire non contigit.

Nos. Il. e. Stoicos.

Comprehensionem. Ita explicat Cic. Acad. Qu. IV, 6: *cognitio aut perceptio, aut si verbum e verbo volumus, comprehensio, quam κατάληψιν illi vocant.* Κατάληψις autem eas perceptiones complectebatur, quae tam certae sint, ut pro veris agnoscantur; itaque *φαντασίαι καταληπτικαί* sunt impressiones ab externis rebus in sensibus nostris excitatae, quae accuratissime respondent rebus illis extra nos sitis, nobiscum diligentissime proprietates illarum communicant, et nonnisi inde proficisci possunt. Cf. Heynium ad Epicteti Manual. c. 45. Tiedemanni System I, p. 118 sq. qui tamen locum laud. Ciceronis, ubi Zenonis definitio affertur, perperam cepit. Hinc facile colligas, Senecam Academicorum sententiae hac de re accessisse: sed res aliter se habet. Nam, quum notum sit, veteres Stoicos omnino rerum comprehensionem contra Academicos mascule defendisse, scientiae tamen neminem nisi sapientem compotem esse obtinebant: unde facile apparet, nostrum h. l. comprehensionem proprie sic dictam non intelligere, sed scientiam illam (cf. Cic. Acad. Qu. IV, 47; de Finibus III, 5) quam certissimam rerum comprehensionem vocat.

exploratio; sed ea ire, qua ducit veri similitudo. Omne hac via procedit officium; sic serimus, sic navigamus, sic militamus, sic uxores ducimus, sic liberos tollimus: quum omnium horum incertus sit eventus. Ad ea ac- 3
cedimus, de quibus bene sperandum esse credimus. Quis enim pollicetur serenti proventum, naviganti portum, militanti victoriam, marito pudicam uxorem, patri pios liberos? Sequimur qua ratio, non qua veritas trahit. Exspecta ut nisi bene cessura non facias, et, nisi comperta veritate, nihil moveris: relicto omni actu vita consistit. Dum verisimilia me in hoc aut in illud impellant, non vera: ei beneficium dabo, quem verisimile erit gratum esse.

XXXIV. « Multa, inquit, intervenient, per quae et malus pro bono surrepat, et bonus pro malo displiceat; fallaces enim sunt rerum species, quibus credimus. » Quis negat? sed nihil aliud invenio, per quod cogitationem regam. His veritas mihi vestigiis sequenda est: certiora non habeo. Haec ut quam diligentissime aestimem, operam dabo, nec cito illis assentiar. Sic 2

Officium, non virtus. Officium oritur e primis naturae, et quidem ita, ut amore sui, socialitate, sciendique cupidine exortis, sensus pulchri et decori nascatur, quo fit, ut aestimatione rerum instituta, regulae constituantur actionum nostrarum. Has autem regulae proprie sunt *officia*, τὰ καθήκοντα; comprehendunt itaque omnes actiones, quae nos decent, ideoque et beneficia, tanquam aestimabilia.

Ad ea accedimus. Sc. ea agere suscipimus.

Sequimur... trahit: quod ratione asserente et iudicante, ideoque ratiocinatione ducente futurum videtur, non quod liquido futurum constat.

Moveris, praeterit. subi. Sensus: nihil aggrediaris.

Vera; ei beneficium dabo, etc. Cum Gron. veterem lectionem *non vere*, una littera mutata, reposui. Antea: *non verebor beneficium dare ei, quem*, etc. — *Dum verisimilia, non vera; ei beneficium dabo.* Alibi quoque hoc epitheto gaudet noster Epist. XIII, 9.

XXXIV. Ann. Hanc verisimilitudinem sequi fas est: nec sapientem aliter agere decet, ut in promissis.

Bonus pro malo displiceat. H. e. pro malo habitus. Quasi malus revera sit, displiceat.

Cogitationem regam. Dirigam mentem.

Digitized by Google

enim in praelio potest accidere, ut telum meum in commilitonem manus dirigat, aliquo errore decepta; et hosti, tanquam meo, parcam. Sed hoc et raro accidet, et non vitio meo: cui propositum est hostem ferire, civem defendere. Si sciam ingratum esse, non dabo beneficium. — At obrepsit, at imposuit. Nulla hic culpa tribuentis est, quia tanquam grato dedi.
3 « Si promiseris, inquit, te daturum beneficium, et postea ingratum esse scieris, dabis, an non? Si facis, sciens peccas: das enim cui non debes; si negas, et hoc modo peccas; quia non das ei, cui promisisti. Constantia vestra hoc loco titubat, et illud superbum promissum, nunquam sapientem facti sui poenitere, nec unquam emendare quod fecerit, nec mutare con-
4 silium. » Non mutat sapiens consilium, omnibus his manentibus quae erant, quum sumeret. Ideo nunquam illum poenitentia subit: quia nihil melius illo tempore fieri potuit, quam quod factum est: nihil melius constitui, quam quod constitutum est. Caeterum ad omnia cum exceptione veniet: si nihil incide-

Telum meum in commilitonem.... decepta. Exempla etsi rara tamen historia servavit. Herodotus I, 43 verbi gratia Adrastum narrat interfecisse contra suam voluntatem Croesi filium Atyn.

Meo. H. e. populari, commilitoni.

Imposuit. Pro lusit, mentitus est. Martial. lib. III, epigram. LVIII: *Perfidus imposuit nuper mihi equpo Ravennae: Quum peterem mixtum, protulit ille merum.*

Constantia. Sibi nunquam adversari, semper sibi constantes esse bonos, Stoici statuebant: de constantia autem hic agitur, et stoico isto dogmate, quod sapiens in decretis suis nihil mutet. Mox quoque Seneca purgat inconstantiae crimen, XXXV, 2. Cf. Lipsii Manuduct. III, 8.

Conscientia vestra. Omnes codd. mss. vacillant inter *conscientia nostra* et *vestra*. Vincent. bellov. Spec. hist. VI, 31 habet: *c. nostra hoc modo tit.*, et deinceps *sapientem consiliis suis p.* Vnde autem *secta vestra* edd. nonnullas occupaverit, nescio: esse glossam scio. Sed *constantia* quae est Lipsii coniectura egregia, praeferenda et in textum revocanda erat.

Quum sumeret. Suppl. *Consilium.* Sensus omnis: Nihil ex iis quae, quum consilium ille sumpsit, erant, mutatur; neque illi iam consilium mutabitur, neque quod ita statuerit, poenitentiam habebit.

Cum except... si nihil incid. Semper nempe ille adiicit, quum aliquid

rit, quod impediat. Ideo omnia illi succedere dicimus, et nihil contra opinionem accidere, quia praesumit animo, posse aliquid intervenire, quod destinata prohibeat. Imprudentium ista fiducia est, fortunam sibi spondere: sapiens utramque partem eius cogitat; scit quantum liceat errori, quam incerta sint humana, quam multa consiliis obstent; ancipitem rerum ac lubricam sortem suspensus sequitur, et consiliis certis incertos eventus. Exceptio autem, sine qua nihil destinat, nihil ingreditur, et hic illum tuetur.

XXXV. Promisi beneficium, nisi si quid incidisset, quare non deberem dare. Quid enim, si quod illi pollicitus sum, patria sibi me dare iusserit? Si lex lata erit, ne id quisquam faciat, quod ego me amico meo facturum promiseram? Promisi tibi filiam in matrimonium; postea peregrinus apparuisti: non est mihi

animo destinavit: modo nil incidat, quod obstaculo sit. Apud recentiores est una percelebris secta quae hoc sapientiae praeceptum ad litteram servat, *the Quakers.*

Fortunam sibi spondere. Sibi spondere fore ut consiliis fortuna faveat, neque quidquam opponat obstaculi.

Consiliis certis incertos eventus. Supple *sequitur.*

Nihil destinat, nihil ingreditur. Omnium codd. lectio est, non, quod Muret. dedit, *aggreditur. Ingreditur* est incipit.

Et hic. Sc. *vel tum.*

XXXV. Arg. Continuatio eiusdem materiae. Varia exempla enumerat, in quibus promissis non stare licet, et dogma suum repetit, mutatione rerum posse mutari sapientis consilium.

Non est mihi.... connubium. Cives romanos tantum cives romanas in matrimonium ducere potuisse, notissima res est. Concessio tamen iustarum nuptiarum cum peregrino vel peregrina post Senecae demum tempora iuvaluit. Cf. Heineccii Antiq. rom. ad Instit. I, 10. Quod vero Lipsius ad h. l. contendit, Senecam etiam fuisse peregrinum, in eo desidero eius iudicium, quum, quod senex ille alioqui venerandus probe scivit, Seneca muneribus et honoribus officiisque civilibus omnis generis functus sit, quae tamen nonnisi in civem romanum cecidisse constat. Corduba autem, unde Seneca oriundus fuit, erat colonia patricia (Plinio teste N. H. III, 1), ideoque colonia civitatis romanae, qua quidem relicta coloni Romam reduces ius suffragii et honorum petendorum exercuerunt. Quamobrem Seneca se ipse novum hominem apud Tacit. XIV Annal. 53 appellavit. Hactenus assentior Fergusono lib. I Historiae incrementi et excidii Reip. Rom. interpretat. ger-

cum externo connubium. Eadem res me defendit,
2 quae vetat. Tunc fidem fallam, tunc inconstantiae crimen audiam, si quum omnia eadem sint, quae erant promittente me, non praestitero promissum: alioquin quidquid mutatur, libertatem facit de integro consulendi, et me fide liberat. Promisi advocationem: postea apparuit, per illam causam praeiudicium in patrem meum quaeri. Promisi me peregre una exiturum: sed iter infestari latrociniis nuntiatur; in rem praesentem venturus fui: sed aeger filius, sed puerpera
3 uxor tenet. Omnia esse debent eadem, quae fuerunt quum promitterem, ut promittentis fidem teneas. Quae autem maior fieri mutatio potest, quam si te malum virum et ingratum comperi? quod tanquam digno dabam, indigno negabo, et irascendi quoque causam habebo deceptus.

XXXVI. Inspiciam tamen et quantum sit de quo

man. p. 17 et 102: nam de omnibus coloniis (de quibus cf. Heinecc. Antiquit. romam. ad Instit. Append. I, LXXVI sq. p. 393 sq.) rem ita se habuisse affirmare non ausim.

Eadem res me defendit, quae vetat. H. e. quod me impedit quominus tibi dem promissa, hoc me ab omni culpa liberat. Insons et innoxius, licet pollicitis non steterim, ambulo, quia stare per fortunam non licuit.

De integro consulendi. H. e. consilium redintegrandi; iterum deliberandi, quasi res integra foret, neque unquam in deliberationem missa.

Et me fide liberat. Omnium codd. et edd. lectio ante Erasmum, qui Tulliana phrasi coniecit, *et meam fidem liberat. Fides* est interdum promissum, quatenus *fides* est id cui confidas, seu confidere soleas possisque; deducitur autem ab aeol. πίττις, πίτις, cum aspiratione, ut sit idem quod πίστις. Salmas. de Vsur. 2, p. 22. Graev. ad Cic. de Off. I, 7.

Promisi advocationem. H. e. auxilium in re iudiciaria; *adesse* alicui in lite, ut gratia crimen elevetur, hoc *advocatio* est.

Praeiudicium... quaeri. H. e. quaeri accusandi aut affligendi quoquo modo mei patris ansam.

In rem praesentem... fui. Proprie veniebant in rem praesentem olim, quum locum de quo controversia esset, oculo ac digito designare vellent. Sed hic sermonem esse de advocato, qui alioqui in iudicio patrocinium clienti aut amico erat praestiturus, apparet. Cf. Ernesti Clav. Cic. h. v.

XXXVI. Anc. Attendendum esse quis rei promissae modus sit et aliquid vel ingrato tribuendum, ut fidem non fefellisse sapiens videatur. Non omni errori tamen in rebus pro-

agitur: dabit mihi consilium promissae rei modus. Si exiguum est, dabo: non quia dignus est, sed quia promisi; nec tanquam munus dabo, sed verba mea redimam, et aurem mihi pervellam; damno castigabo promittentis temeritatem: ecce ut doleat, ut postea consideratius loquaris: quod dicere solemus, linguarium dabo. Si maius erit, non committam, quemadmodum Maecenas ait, ut sestertio centies obiurgandus sim. Inter sese enim utrumque comparabo. Est aliquid, 2 in eo quod promiseris, perseverare: est rursus multum in eo, ne indigno beneficium des. Hoc tamen quantum sit, attendendum: si leve, conniveamus; si vero magno mihi aut detrimento, aut rubori futurum, malo semel excusare, quare negaverim, quam semper, quare dederim. Totum, inquam, in eo est, quanti promissi mei verba taxentur. Non tantum quod temere promisi, retinebo; sed quod non recte dedi, repetam. Demens est, qui fidem praestat errori.

XXXVII. Philippus Macedonum rex habebat mili-

missis temerarie indulgendum esse docet.

Aurem mihi pervellam. I. e. ipse me admonebo, ad cautionem in posterum adhortabor. Nam aurem vellere commonefacientis est et memoriam item excitantis. Plin. H. N. XI, 45: *est in aure ima memoriae locus, quam tangentes antestamur.* Virgil. Eclog. VI, 4: *Cynthius aurem Vellit et admonuit.* Noster iterum infra V, 7 et Epist. XCIV. *L*.

Ecce ut doleat. Mihi ipse dicam: ecce ut hoc mihi doleat. Verbum doleat impersonaliter hic usurpatur.

Linguarium. Multam dependam et quasi vectigal pro lingua temere locuta. Cf. Gronov. ad libr. IV de pecunia vetere, cap. 4.

Sestertio centies. Lipsius monet argute Maecenatem locutum, nolle se obiurgari tanto impendio, id est rebus ipsis, non verbis. *Lagrange* vertit: *Je ne veux pas qu'un reproche me coûte un million de sesterces.* Sestertium centies (h. e. 10,000,000 sestertii) ad nostrae monetae rationes exactum fere 2,000,000 fr. aequat.

Malo semel excusare.... quod dederim. Nempe si non dederim semel, tantum culpam levitatis aut imprudentiae mihi obiiciam. Si vero male promissum dederim, per totam vitam me poenitebit quod dederim.

XXXVII. ANG. Probat exemplo regis Macedonum, qui errore suo intellecto fidem non praestitit.

Philippus. Ex memoratione *Pau-*

tem manu fortem, cuius in multis expeditionibus utilem expertus operam, subinde ex praeda aliquid illi virtutis causa donaverat, et hominem venalis animae crebris auctoramentis accendebat. Hic naufragus in possessiones cuiusdam Macedonis expulsus est; qui, ut nuntiatum est, accucurrit, spiritum eius recollegit, in villam illum suam transtulit, lectulo suo cessit, affectum semianimemque recreavit, diebus triginta impensa sua curavit, refecit, viatico instruxit, subinde
2 dicentem: Gratiam tibi referam: videre tantum mihi imperatorem meum contingat! Narravit Philippo naufragium suum, auxilium tacuit, et protinus petiit, ut sibi praedia cuiusdam donaret. Ille quidam erat hospes eius, is ipse, a quo receptus erat, a quo sanatus. Multa interim reges, in bello praesertim, opertis oculis donant; non sufficit homo iustus unus tot armatis cupiditatibus; non potest quisquam eodem tempore et
3 bonum virum, et bonum ducem agere. Quomodo tot

saniae, qui postea Philippum interfecit (cf. Arrian. Exped. Alexandri I, 20, 25 ed. Schmiederi et Diodor. Sic. XVI, 91) colligamus necesse est, patrem Alexandri M. dici, non penultimum aut alium regem Macedoniae cognominem. Ceterum Seneca unus hanc historiam de Philippo narravit.

Militem. Non gregarium, sed centurionem ordinis ductorem: sic *miles*, στρατιώτης, saepe de iis qui militibus praesunt usurpatur. Sed h. l. militem significat qui grandis statura et manu promptus ob id a rege spectatus est, et inter familiares quodam modo admissus. Hoc saepe apud principes factum videmus et possumus meminisse.

Auctoramentis. Donis, praemiis.

Qui, ut nuntiatum est, accucurrit. Scholium *Macedoni illi*, quod codd. quosdam et edd. invaserat, Gronovius plurium codd., inprimis cod. Nav., auctoritate recte delevit, et *qui* e suis mss. pro *quod* posuit: quem sequimur.

Affectum. Bene habet: scholium est, quod Lipsii codd. praestabant, *afflictum semivivumque.*

Viatico instruxit. Viaticum dedit. Viaticum vero est pecunia et intercibaria ad viam suscipiendam. C. Caecil. Plinius de Martiale Hispaniam proficiscente: *Prosecutus eram viatico secedentem; dederam hoc amicitiae, dederam, etc.*

Opertis oculis. Gallic. *les yeux bandés.*

Homo iustus. Sc. hac in re. Nam aliàs eius iustitia male audit apud Demosthenem et Theopompum Athenaei IV, p. 166 f. 167. Cicero tamen lau-

millia hominum insatiabilia satiabuntur? quid habebunt, si suum quisque habuerit? hoc Philippus sibi dixit, quum illum induci in bona quae petebat iussit. Expulsus bonis suis ille, non ut rusticus iniuriam tacitus tulit, contentus quod non et ipse donatus esset; sed Philippo epistolam strictam ac liberam scripsit: qua accepta ita exarsit, ut statim Pausaniae mandaret, bona priori domino restitueret: caeterum improbissimo militi, ingratissimo hospiti, avidissimo naufrago, stigmata inscriberet, ingratum hospitem testantia. Dignus quidem fuit, cui non inscriberentur illae literae, sed insculperentur, qui hospitem suum, nudo et naufrago similem, in id in quo iacuerat ipse littus expulerat. Sed videbimus, quis modus poenae servandus fuerit: auferendum utique fuit, quod summo scelere invaserat. Quis autem poena eius moveretur, qui id commiserat, propter quod nemo miserari miseros posset? 4

XXXVIII. Dabit tibi Philippus quia promisit,

dat enm propter facilitatem et humanitatem de Off. I, 26. Conf. Aelian. V. H. VIII, 15. Iustin. IX, 4. Vnde Seneca hanc historiolam desumpserit, dicere non habeo: criticum autem non egisse in deligendis exemplis historicis, notum est, e. c. ex iudicio de Alexandro Magno. Cf. ad I de Benef. 13, 1. II, 16, 1. Ep. XCI, 17.

Strictam. H. e. vividam atque vehementem. Metaphora ducta a gladio qui e vagina strictus fuit.

Stigmata. Inustas fronti notas literasque. De hoc more, sive una litera sive pluribus iisque ingentibus frontem implendi maleficorum, multa collegit Lipsius in Elect. II, 15, pag. 488 sqq. Opp. Tom. I.

Propter quod nemo miserari miseros posset? Defendit hanc lectionem Lipsius e sequentibus cap. XXXVIII, 2: *nonne omnibus miseris aqua et igni interdixerat?* Plerique tamen scripti, *pro quo nemo misereri misericors posset?* Vulgatum praefero ut Senecae magis consentaneum. — *Quis.... posset?* Poenam reprobare videtur istam noster, quia miles iste tam immane facinus commiserat, ut nemo, qui quod incredibile visum esset, evenisse videret, eiusmodi miseris naufragis opem ferre in posterum ab animo suo impetrare posset: ne sibi, verens, idem quod rustico accideret. Seneca autem in hacce reprehensione sibi constat; ut qui, omni actione ingratorum reiecta, nec poenam probat ullam.

XXXVIII. ARG. Philippum con-

etiamsi non debet, etiamsi iniuriam, etiamsi scelus facturus est, etiamsi uno facto praeclusurus est naufragis littora? Non est levitas, a cognito et damnato errore discedere; et ingenue fatendum est: « Aliud putavi: deceptus sum. » Haec vero superbae stultitiae perseverantia est: « Quod semel dixi, qualecumque est, fixum ratumque sit. » Non est turpe, cum re mu-
2 tare consilium. Age, si Philippus possessorem illum eorum littorum reliquisset, quae naufragio ceperat, nonne omnibus miseris aqua et igni interdixerat? Potius est, inquit, intra fines regni mei, te litteras istas oculis inscribendas durissima fronte circumferre; ostende quam sacra res sit mensa hospitalis: praebe in facie tua legendum istud decretum, quo cavetur ne miseros tecto iuvare capitale sit. Magis ista constitutio sic erit rata, quam si illam in aes incidissem.

XXXIX. « Quare ergo, inquit, Zeno vester, quum tendit bene egisse, licet promissis non steterit, et pertinaciam eorum carpit, qui quidquid dixerunt, fixum et ratum esse volunt.

Dabit tibi. Num dabit tibi, superbissime latro, *Philippus*, etc.? Haec quidem sunt rhetorici coloris Senecae familiaris propria, ut nimirum interrogationibus conversionibusque subitis eiusmodi utatur: uti saepe iam vidimus.—Nunc sentio, recte se habere interrogationes illas, de quibus supra cap. XIV, 2, ambigebam. *T.*

Interdixerat. Pro *interdixisset.* Nil hac formula loquendi frequentius, qua plus quam perfect. indicativo modo pro subiunctivo ponitur.

Potius est. Praestat te, etc.

Te literas istas oculis inscribendas. Lipsius ait: Quid? ipsis oculis inscriptae notae? nec potuit, nec solet, etc. Emendat adeo vel *foculis*, vel vel *ocius*. Sed bene habet. — *Te literas istas oculis inscribendas*, etc. Bene Huetus in notis mss. locum hunc sic exposuit: non fronti solum, sed oculis ipsis, si fieri posset, inscribendas. Lipsius h. l. expedire se non potuit.

Ostende.... hospitalis. Institutis antiquissimis hospitalitatem attribuendam et sanctitatem eius moribus firmatam esse instar decreti, constat. Hinc Graecis ἄλλα καὶ τράπεζαν μὴ παραβαίνειν proverbialis fuit loquendi forma Cf. Iacobs ad Brunckii Analect. Animadv. I, 2 p. 241 et Addend. Vol. III eiusdem operis P. 2 p. 436. Nec Arabibus incognitum morem dicendique rationem docet Schulz Leitungen des Hochsten V, p. 247.

In aes incidissem. Vt legem.

Digitized by Google

quingentos denarios mutuos cuidam promisisset, et illum parum idoneum comperisset, amicis suadentibus ne daret, perseveravit credere, quia promiserat? » Primum alia conditio est in credito, alia in beneficio. Pecuniae etiam male creditae exactio est; appellare debitorem ad diem possum : et si foro cesserit, portionem feram : beneficium et totum perit, et statim. Praeterea hoc mali viri est, illud mali pa- 2
tris familiae. Deinde ne Zeno quidem, si maior fuisset summa, credere perseverasset. Quingenti denarii sunt: illud, quod dici solet, in morbo consumat: fuit tanti, non revocare promissum suum. Ad coenam quia promisi, ibo, etiamsi frigus erit : non quidem, si nives cadent. Surgam ad sponsalia, quia promisi, quamvis non concoxerim : sed non, si febricitavero. Sponsum descendam, quia promisi : sed non si spondere in incertum iubebis, si fisco obligabis. Subest, 3

Parum idoneum. Gall. redderetur *peu solvable.*

Si foro cesserit. Proprie de argentariis, qui non amplius solvendo pares, ideoque forum, ubi argentariam faciunt, deserere coguntur: deinde quoque de debitoribus, quorum bona sub titulum ivere. Cf. ad XII, 3.

Quingenti, etc. In Lipsiana et plerisque edd. est punctum post : *Quingenti denarii sunt.* Solus *Ruhkopf* ponit tantummodo virgulam; sed, contra suum morem, nihil mouens. Nos interpunctionem paulo mutavimus, quo sententia, per se impedita, magis perspicua foret. Sensus est: *Quingenti* tantummodo denarii pendendi *sunt*: *illud* (hanc pecuniae summam) Zeno, seu quivis *consumat*, consumeret *in morbo*, *quod* (totae phrasis, proverbii loco) *dici solet*, ut dici solet.

In morbo consumat. Morbum dici de quovis animi vitio notum est, ideoque etiam de libidine quadam singulari animi: cf. Ep. VII, 1 et Mitscherlich. ad Horat. Carm. I, 37, 10. Iuprimis huc pertinet Epist. 79, 4. Concedo tamen, sumi quoque proprie posse de impensa, quam morbus corporis creare solet.

Fuit tanti. Quasi dicat: vel hoc impendio emere debui promissi mei fidem.

Descendam. Ad spondendum in forum et ad tribunal. Cf. ad III de Benef. 27, 2.

In incertum. Summa non expressa.

Fisco. In fiscum reditus influxisse, qui ex tributis provinciarum Caesaris manarent et ad imperatores pertinerent, constat. Cf. Heineccii Antiq. rom. I, 25, 105 sq.

XXXIX. Anc. Promissa autem beneficia multum distant ab aliis promissis, v. g. a crediti promisso.

inquam, tacita exceptio, si potero, si debebo, si haec ita erunt. Effice, ut idem status sit, quum exigitur, qui fuit quum promitterem. Destituere levitas non erit, si aliquid intervenit novi; quid miraris, quum conditio promittentis mutata sit, mutatum esse consilium? eadem mihi omnia praesta: et idem sum. Vadimonium promittimus; tamen deseris: non in omnes datur actio deserentes; vis maior excusat.

XL. Idem etiam illa in quaestione responsum existima, an omnimodo referenda sit gratia, et an beneficium utique reddendum sit. Animum praestare gratum debeo: caeterum aliquando me referre gratiam non patitur mea infelicitas, aliquando felicitas eius, cui debeo. Quid enim regi, quid pauper diviti reddam? utique quum quidam recipere beneficium, iniuriam iudicent, et beneficia subinde aliis beneficiis
2 onerent. Quid amplius in horum personam possum, quam velle? nec enim ideo beneficium novum reiicere

Vadimonium promittimus; tamen deseris: non in omnes datur actio deserentes. Hanc lectionem ope cod. Naz. reposui. Hic codex, cuius apices singuli, ait Gron. consideratione digni sunt, cum quatuor aliis dabat *deserit*, unde Gronov. fecit *deserti*. Simplicior autem emendatio mihi esse videbatur *deseris*. Antea: *Vad. prom. tamen deseritur: non in omnes datur actio; deserentem vis maior*, etc. Iam Lipsius *deserentes* dat, quam vocem ad *omnes* retulit, recte legens ac distinguens.

XL. Ang. Animus gratus tamen praestandus est, si fieri non possit ut res ipsa reddatur. Non ille semper vituperandus qui non statim reddit. Immo ingratum animum hic demonstrat, qui intempestive et statim reddit, quasi invitus debeat.

Aliquando me referre gratiam non patitur... aliquando felicitas eius cui debeo. Quid enim illi dandum qui omnia abunde habet et ita nos praestat divitiis ut nihil illud videatur quod dabimus? Quod infra dicitur, pag. 497, ad cap. fin: *Aliquando et non reddam beneficium*, etc.

Quid enim regi, quid pauper diviti reddam? Mureti haec coniectura est, quam caeteris praefero. Nam omnes codd. et caeterae edd. habent: *Quid enim regi, quid pauperi, quid diviti r.?* Vnde Pinc. facere voluit: *Quid e. regi, quid principi, quid d. r.?* Reges enim et principes frequenter copulat noster. Fuit, quum opinarer voces duas *quid pauperi* margini a male sedulo appictas et sic in textum immissas esse. — *Quid enim regi*, etc. Haud dubie noster de Nerone h. l. cogitavit,

debeo, quia nondum prius reddidi. Accipiam tam libenter, quam dabitur: et praebebo me amico meo exercendae bonitatis suae capacem materiam. Qui nova accipere non vult, acceptis offenditur. Non refero gratiam: quid ad rem? non est per me mora, si aut occasio mihi deest, aut facultas. Ille praestitit mihi, nempe quum occasionem haberet, quum facultatem. Vtrum bonus vir est, an malus? apud bo- 3
num virum bonam causam habeo: apud malum non ago. Ne illud quidem existimo faciendum, ut referre gratiam, etiam invitis his quibus refertur, properemus, et instemus recedentibus. Non est referre gratiam, quod volens acceperis, nolenti reddere. Quidam, quum aliquod illis missum est munusculum, subinde aliud intempestive remittunt, et nihil se debere testantur. Reiiciendi genus est, protinus aliud invicem 4
mittere, et munus munere expungere. Aliquando et non reddam beneficium, quum possim: quando? si plus mihi detracturus ero, quam illi collaturus; si ille non erit sensurus ullam accessionem recepto eo, quo reddito, mihi multum abscessurum erit. Qui festinat utique reddere, non habet animum grati hominis, sed debitoris. Et ut breviter, qui nimis cito cupit solvere, invitus debet: qui invitus debet, ingratus est.

qui beneficia quae Senecae dederat, ab eo reddituro tot tantaque recipere noluit. Tacit. Annal. XIII, 53.

Reiiciendi genus. Sic cod. Naz. et caeteri. Nec quidquam mutes. Vincent. bellov. l. l. IX, 108 habet: *Reiiciendi signum*, et mox *munus munere expugnare*. Alioqui sensus est obvius.

Digitized by Google

DE
BENEFICIIS

LIBER QVINTVS.

Digitized by Google

ARGVMENTVM

LIBRI QVINTI.

Absolutis duabus praecipuis partibus, Quomodo dandum beneficium; Quomodo accipiendum: transire se dicit ad quaedam non tam in ipsa materie, quam ex ipsa et vicina ac connexa. Quaestiunculas subserit, primo istam: An turpe beneficiis vinci? negat vinci posse, et parem semper esse, qui grate meminit, qui cupit animo referre, si re non potest. Quaestiuncula secunda: An aliquis sibi beneficium donet? item negat, et in utramque tamen partem argutatur. Tertia Quaestiuncula: An aliquis ingratus Stoice dici possit? ait, et docet. Quarta: An non omnes ingrati sint? minime, etsi plurimos fatetur. Deinde ex attextu: Quousque, et an alius pro alio obligemur? ut filius pro patre, et talia. Distinctione respondet, et magis negat. Quinta Quaestiuncula: An triste beneficium, et invito etiam dari possit? potest. Vltima denique: An repeti beneficium possit? LIPSIVS.

Digitized by Google

L. ANNAEI SENECAE

AD

AEBVTIVM LIBERALEM

DE BENEFICIIS

LIBER QVINTVS.

I. In prioribus libris videbar consummasse propositum, quum tractassem, quemadmodum dandum esset beneficium, et quemadmodum accipiendum; hi enim sunt huius officii fines. Quidquid ultra moror, non servio materiae, sed indulgeo: quae quo ducit, sequendum est, non quo invitat. Subinde enim nascetur, quod lacessat aliqua dulcedine animum, magis non supervacuum, quam necessarium. Verum quia 2
ita vis, perseveremus, peractis quae rem continebant, scrutari etiam ea, quae, si vis verum, connexa sunt, non cohaerentia: quae quisquis diligenter inspicit, nec facit operae pretium, nec tamen per-

I. Arg. Quum potissimae officii huius partes absolutae sint, ad quaestiones procedit connexas quidem, sed non cohaerentes, ut Liberali, cuius laudes sequuntur, gratificetur.

Quidquid.... invitat. Potissimis officii partibus consummatis, non opus amplius est ut materiem illustrem ordine accurato, sed delibanda sunt quae connexa sunt ei quae ducit, ordine tamen qualicumque non omisso, non ut quae cohaereant ullo vinculo iucunditatis, appetam, quo invitat, allicit, etsi non omnino supervacua, tamen non necessaria.

Peractis quae rem continebant. Postquam ea fuse satis persecutus sum et illustravi quae rem continent, vel quibus res continetur. *Res* h. l. proprie est *le sujet*.

Si vis verum. Suppl. *dicere*, vel *dicam*.

dit operam. Tibi autem homini natura optimo, et ad beneficia propenso, Liberalis Aebuti, nulla eorum
3 laudatio satisfacit. Neminem unquam vidi tam benignum etiam levissimorum officiorum aestimatorem. Iam bonitas tua eo usque prolapsa est, ut tibi dari putes beneficium, quod ulli datur; paratus es, ne quem beneficii poeniteat, pro ingratis dependere. Ipse usque eo abes ab omni iactatione, usque eo statim vis exonerare quos obligas, ut quidquid in aliquem confers, velis videri non praestare, sed red-
4 dere. Ideoque plenius ad te sic data revertuntur; nam fere sequuntur beneficia non reposcentem: et ut gloria fugientes magis sequitur, ita fructus beneficiorum gratius respondet illis, per quos etiam esse ingratis licet. Per te vero non est mora, quo minus beneficia qui acceperunt, ultro repetant: nec recusabis conferre alia, et suppressis dissimulatisque plura ac maiora adiicere. Propositum optimi viri, et ingentis animi est, tam diu ferre ingratum, donec feceris gratum. Nec te ista ratio decipiet; succumbunt vitia virtutibus, si illa non cito odisse properaveris.

Pro ingratis dependere. Quia tibi inscribis et imputas benefacta in alios collata, sequitur ut gratus pro iis sis et solvas.

Et ut gloria fugientes (Sc. eam gloriam) *magis sequitur*, i. e. modestos. Sic Agrippam IV, 32, 4, appellat noster gloriae sequentis fugacissimum. Ep. LXXIX, 11, ait: *Gloria umbra virtutis est, etiam invitos comitabitur.* Ingeniosissime quoque Martialis: *Ante fores stantem dubitas admittere famam.* Lib. I. epigramm. XXVI.

Non cito odisse properaveris. Codd. mss. et vulg. edd. habent: *si illa concito odisse properaveris*, unde Muretus fecit: *si illa non cito odisse prop.* Lipsio aliisque editoribus probantibus. In qua tamen lectione illa: *non cito* quum *properaveris* male congruunt. *Ruhkopf* proposuit et in textum recepit *hoc scito odisse properaveris*, quam lectionem sic defendit: «quum *con* et *hoc* in codd. saepe confundantur (cf. Heynii Obss. ad Tibull. IV, 2, 32), legendum puto: *hoc scito*, i. e. hac ratione, quam sequeris. *Scitum* autem idem esse quod decretum, δόγμα, ipse noster docet Ep. CXV, 9. Nec *properaveris* stare potuit, quum magis de mora, quam de properatione h. l. sermo sit. Proinde e cod. Naz. *prosperaveris* revocandum erat, in quo verbo neacio

II. Illud utique unice tibi placet, velut magnifice dictum: Turpe est beneficiis vinci. Quod an sit verum, non immerito quaeri solet, longeque aliud est quam mente concipis. Nunquam enim in rerum honestarum certamine superari turpe est, dummodo arma non proiicias, et victus quoque velis vincere. Non omnes 2 ad bonum propositum easdem afferunt vires, easdem facultates, eamdem fortunam, quae optimorum quoque consiliorum duntaxat exitus temperat. Voluntas ipsa rectum petens laudanda est, etiamsi illam alius gradu velociori antecessit: non, ut in certaminibus ad spectaculum editis, meliorem palma declarat: quamquam in illis quoque saepe deteriorem praetulit casus. Vbi de officio agitur, quod uterque a sua parte 3

quis obelo in codice confixerat τὸ *s*, Grutero narrante, ut inde fieret *properaveris.*» Et interpretatur *si ista, quam tibi praescripsisti, norma legeque oderis atque ita prospera fecevis, sive in virtutes mutaveris.* Quae lectio quum parum probata et interpretatio parum perspicua nobis videretur, Mureti lect. servavimus quae cum precedentibus optime consentit.

II. Aio. Non turpe esse beneficiis vinci, demonstrat usque ad cap. VII. Hoc vero dicit duabus rebus beneficium constare, animo, re: animo, quidem vinci non decorum: sed re, non turpe. Multi enim gratum animum habent, nec possunt testari, obstante fortuna.

Quod.... quaeri solet, haud dubie in scriptis scholisque Stoicorum, e. c. Hecatonis rel.

Rer. honestar. ideoque officiorum, quae inde pendent.

Duntaxat erat vox Lipsio suspecta, et quum eius codex divisim scriberet *dum taxat*, hoc praetulit. At Gronovio assentior, nihil suspecti h. l. esse iudicanti. Nam *duntaxat* hic non est *tantummodo*, sed *saltem*, ad minimum; si nihil aliud, certe exitus temperat, regit fortuna. Sic saepe occurrit, e. c. Sueton. Aug. 66. Noster habet cod. sensu, Epist. LVIII, 33. Plin. Epp. V, 6.

Voluntas ipsa rectum petens. H. e. tendens ad virtutem.

Laudanda est. Notum est illud Ovidii Pont. III, 4, 79: *ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.* Haud multum abludit Kantianum dogma: bonam voluntatem in consiliis nostris magni esse faciendam et principii loco habendam.

Non ut.... casus: ibi non voluntas, sed factum ipsum vincit: *casus* tamen, e. c. fractio currus, decidere potest. Exempla dat Pausanias in historia Arrhachionis et Creusae, lib. VIII, 40. Alia vide ap. P. Fabrum in Agonistic. lib. 3 passim.

Vbi de officio agitur. Cf. ad IV, 33, 2.

esse quam plenissimum cupit, si alter plus potuit, et ad manum habuit materiam sufficientem animo suo, si illi, quantum conatus est, fortuna permisit; alter autem voluntate par est, etiamsi minora quam accepit reddidit, aut omnino non reddidit, sed vult reddere, et toto in hoc intentus est animo: hic non magis victus est, quam qui in armis moritur; quem occidere facilius hostis potuit, quam avertere. Quod turpe existimas, id accidere viro bono non potest, ut vincatur: nunquam enim succumbet, nunquam renuntiabit: ad ultimum usque diem vitae stabit paratus, et in hac statione morietur; magna se accepisse prae se ferens, paria voluisse.

III. Lacedaemonii vetant suos pancratio, aut cestu decernere, ubi inferiorem ostendit victi confessio. Cursor cretam prior contingit: velocitate alium, non

Quantum conatus est, quantum velit.

Renuntiabit conditioni huic, aut amico certamini. Laudat Ernesti in Clav. Cic. h. v. Ciceron. Verr. I, 54: renuntiabit illam decisionem, h. e. nuntiat illam pactionem, quam fecissent, ratam non esse, improbari ab eo, cuius in ea re voluntas maxime spectanda sit.

III. Ano. Caeterum non eum vinci qui minora dedit; nam animo invictus esse potest; animi vero est inprimis victoria. Exempla a Lacedaemoniorum luctatoribus, a trecentis Fabiis, a Regulo.

Lacedaemonii vetant, etc. In usu tamen fuisse apud eos hoc *pancratium* sive pugilatus et luctae coniunctionem, antequam referente Plutarcho in Lycurg. c. 19, et plenius Apophthegm. Lacon. p. 228, ed. frcf. vetaretur, noli dubitare. Cf. praeter Fabrum Agonist., I, 12, Burmann. ad Propert. III, 12. Pancratiastes est, Lipsio recte observante, qui nodis manibus pugnisque nexus miscet, sed etiam pedibus et toto corpore certat. Inde nomen Graecis, quod viribus et omni robore advocato, sicut et eosdem παμμάχους vocant.

Cestu, segmento loreo, gravi bullis s. nodis e ferro, aere, plumbo interstincto manus brachiaque armabantur: deinde arte fuisse factas, coriis consutis, chirothecas, ut indui possent manibus, constat: hoc pondere caput, genae, collum pectusve adversarii quatiebantur. Cf. Homeri Il. ψ, 352 sq. Virgil. Aen. V, 362 sq. et utroque loco Heynii nott.

Cretam. Sic optimi codd. Alii *metam*, quae est explicatio antiquae lectionis, et e margine in textum, ut in talibus fit, translata. — *Creta* I. e. meta. Plin. H. N. VIII, 42. XXXV,

animo, antecessit. Luctator ter abiectus perdidit palmam, non tradidit. Quum invictos esse Lacedaemonii cives suos magno aestimarent, ab his certaminibus removerunt, in quibus victorem facit non iudex, non per se ipse exitus, sed vox cedentis, et tradere iubentis. Hoc quod illi in civibus suis custodiunt, virtus 2
ac bona voluntas omnibus praestat, ne unquam vincantur, quoniam quidem etiam inter superantia animus invictus est. Ideo nemo trecentos Fabios victos dicit, sed occisos. Et Regulus captus est a Poenis, non victus; et quisquis alius saevientis fortunae vi ac pondere oppressus, non submittit animum. In bene- 3
ficiis idem est: plura aliquis accepit, maiora, frequentiora; non tamen victus est. Beneficia fortasse beneficiis victa sunt, si inter se data et accepta computes: si dantem et accipientem comparaveris, quorum animi et per se aestimandi sunt, penes neutrum erit palma. Solet enim fieri ut, etiam quum alter multis vulneri-

17: alias linea exterior est: ultima linea Horatii Epist. I, 16 fin. inde ducta est.

Ter abiectus, τριαχθείς, qui ter ab adversario deiicitur, aut qui tribus certaminibus, σταδίῳ, διαύλῳ et δολίχῳ vincitur. Hinc Eurip. Orest. 436 διὰ τριῶν δ' ἀπόλλυμαι, prorsus perii. Cf. Ez. Spanhem. ad Iuliani Orat. I, p. 40, Salmas. ad Solin. p. 206.

In quibus victorem, etc. Apud Plutarch. Apophthegm. lacon. p. 228 ed. frcf. ipse Lycurgus hanc eamdem causam huius legis addit: ὅπως, ἔφη, μηδεὶς αὐτῶν ἐν τῷ πονεῖν ἀπαυδᾷν ἐθίζηται.

Tradere i. e. manum, quae porrigebatur: hinc loquendi ratio proverbialis, manum dare, de victo.

Inter superantia. Sic omnes codd. Graeteri. Pincianus tamen ingeniose emendavit: *in ter superatis animus*.

Nemo trecentos.....occisos. Trecenti et sex e gente Fabia iuvenesque senesque memorantur ann. V. C. 277, ant. Chr. n. 477, C. Horat. Pulvillo, T. Menenio Lanato coss. contra Veienses saepenumero dimicavisse laeto eventu, et postquam multa eorum millia interemissent, agros vastassent, insidiis tandem circumventos occubuisse omnes ad Cremeram. Vid. T. Liv. lib. II, cap. 48; Ovid. Fast. lib. II, v. 235; Dionys. H. lib. IX, c. 5, quamquam ille de more suo dubitat.

Regulus captus est a Poenis. M. Atilium Reg. omnes norunt consul. ann. V. C. 487, ant. Chr. n. 267 cum Iul. Libone, et postea ann. 256: quo anno navali praelio victor exstitit apud Ecnomum Siciliae, et Afri-

bus confossus est, alter leviter quidem saucius, pares exisse dicantur, quamvis alter videatur inferior.

IV. Ergo nemo vinci potest beneficiis, si scit debere, si vult referre, si quod rebus non potest, animo aequat. Hic, quam diu in hoc permanet, quam diu tenet voluntatem, gratum animum signis approbat: quid interest, ab utra parte munuscula plura numerentur? Tu multa dare potes; at ego tantum accipere possum: tecum stat fortuna, mecum bona voluntas; tamen tam par tibi sum, quam multis armatissimis
2 nudi, aut leviter armati. Nemo itaque beneficiis vincitur: quia tam gratus est quisque, quam voluit. Nam si turpe est beneficiis vinci, non oportet a praepotentibus viris accipere beneficium, quibus gratiam referre non possis: a principibus dico, a regibus, quos eo loco fortuna posuit, ex quo largiri multa possent, pauca admodum et imparia datis recepturi. Reges et principes dixi, quibus tamen potest opera navari, et quorum illa excellens potentia per minorum consensum ministeriumque constat. Sunt quidam extra

cam invasit. Sed anno sequente captus est et in vincula a Carthaginiensibus coniectus.

Solet enim fieri.... inferior. Non omnino tamen bona comparatio. Nam hi qui pares exisse dicuntur, eos animo pares fuisse intelligis; nihil amplius. At videtur h. l. Seneca dicere eos revera pares discessisse, quod minime est. Et aliunde non dicitur quum singulari pugna alter permulta, alter pauca vulnera accipit, illos pares exire.

IV. Ann. Conclusio et probationum quae supra occurrunt repetitio congestioque; quibus hanc addit, si beneficiis vinci turpe sit, nulli a regibus principibusque viris beneficia accipienda.

Scit debere. Artem debendi novit. Debere quidem non volunt, aut debent inviti, nec eo tempore gratum animum ostendunt quo nondum rem acceptam solvunt.

In hoc. In hoc statu animi, in hac cogitatione.

Quum voluit, quum eius bona voluntas patet valetque.

A principibus, etc. Hic Seneca ad suam ipsius conditionem et relationem ad Neronem respexisse videtur, de qua Tacit. Ann. XIV, 53 exponit, ubi ait Seneca: se tot tantisque muneribus obruiti debuisse, etc.

Sunt quidam, etc., quos post ipse

omnem subducti cupiditatem, qui vix ullis humanis desideriis continguntur: quibus nihil potest praestare ipsa fortuna. Necesse est a Socrate beneficio vincar; necesse est a Diogene, qui per medias Macedonum gazas nudus incessit, calcatis regiis opibus. O nae ille tunc merito et sibi et caeteris, quibus ad dispiciendam veritatem non erat offusa caligo, supra eum eminere visus est, infra quem omnia iacebant. Multo potentior, multo locupletior fuit omnia tunc possidente Alexandro; plus enim erat, quod hic nollet accipere, quam quod ille posset dare.

V. Non est turpe ab his vinci; neque enim minus fortis sum, si cum invulnerabili me hoste committis: nec ideo ignis minus urere potest, si in materiam incidit inviolabilem flammis; nec ideo ferrum secandi vim perdidit, si non recipiens ictum lapis solidus, invictaeque adversus dura naturae, dividendus est. Idem tibi de homine grato respondeo. Non turpiter vincitur beneficiis, si ab his obligatus est, ad quos aut fortunae magnitudo, aut eximia virtus aditum

appellat, Socrates, Diogenesque sinopensis: de hoc posteriore omnia nota sunt, inprimis illud, quo Seneca h. l. respexit, responsum Alexandro M. rogauti ut diceret si quid sibi opus esset: Nunc quidem, paullulum a sole. Cic. Tusc. V, 32, ubi plura de Diogene occurrunt memoratu digna.

O nae e quatuor codd. Grut. receptum. Olim *Nonne ille.*

Infra quem omnia iacebant, quatenus rex Macedoniae rerum Graeciae potitus erat? Id autem tunc temporis agebat, ut bellum contra Darium Codomanum aggrederetur: itaque necdum fastigium potentiae ascenderat. Cf. Plutarch. vit. Alexandri p. 671 frcf. Proprie omnia demum possidebat, rege Persarum subacto.

V. Aug. Non minus fortem hunc esse qui cum invulnerabili hoste committitur, non minus calidum et omnia fere exusturum ignem, etiamsi in materiam inviolabilem flammis ceciderit: non minus ergo hunc gratum qui minus praestat. Nos fere semper a parentibus beneficiis vinci; quod ubi necessarium, quomodo est turpe? Non ignominiosum non consequi, modo sequaris.

Si cum invulnerabili me hoste committis. Committi, componi quis dicitur, qui cum quodam certare debet; *invulnerabili* propter arma, clypeum, thoracem, etc.

Si dividendus est. Si is lapis qui

Digitized by Google

2 redituris ad se beneficiis clausit. A parentibus fere vincimur; nam tam diu illos habemus, quam diu graves iudicamus, et quam diu beneficia illorum non intelligimus. Quum iam aetas aliquid prudentiae collegit, et apparere coepit propter illa ipsa eos amari a nobis debere, propter quae non amabantur, admonitiones, severitatem, et inconsultae adolescentiae diligentem custodiam, rapiuntur nobis. Paucos usque ad verum fructum a liberis percipiendum perduxit
3 aetas: caeteri liberos onere senserunt. Non est tamen turpe, vinci beneficiis a parente; quidni non sit turpe, quum a nullo turpe sit? Quibusdam enim et pares, et impares sumus: pares animo quem solum illi exigunt, quem nos solum promittimus; impares fortuna, quae si cui obstitit quo minus referret gratiam, non
4 ideo illi tanquam victo erubescendum est. Non est turpe non consequi, dummodo sequaris. Saepe necesse est, ante alia beneficia petamus, quam priora dividendus proponitur, non recipiat ictum, etc.

Nam tam diu illos habemus. Cum Lipsio illam vocem *odio* post *illos* insertam in edd. vulgg., sed in nullo codice mss. comparentem expunxi: nec cum Grutero *illos insuper habemus* admittendum putavi. Lipsius recte imposuit. — *Nam tam diu illos habemus.* Spectant haec ad severitatem patriae potestatis plerumque liberis graviter incumbentis. Parentes, ait Lipsius ad h. l., tamdiu in vita habemus, atque iis fruimur, quamdiu in adolescentia eos fere gravamur. Vbi firmior aetas firmius iudicium dedit, tunc abeunt et moriuntur. Itaque grati non sumus, quia, quum possumus, non intelligimus: quum hoc volumus, serum est, et iam fecerunt. Inde sequitur, nos ab eorum beneficiis vinci. Vitione temporum parentumque hoc tribuendum est, quod Seneca de suis temporibus narrat, an, quod interdum in eo observamus, nimis generale ab eo hoc dictum esse putemus?

Onere non beneficio. Educandi, monendi, dirigendi laborem habuere: fructum, nisi in tacita spe et gaudio, vix ullum.

Quibusdam. Sc. rebus. Moneo hoc, quia vidi, fuisse, qui post *quibusdam*, *hominibus* aut *parentibus* supplerent. Quod fieri non potest.

Animo ut et mox *fortuna* ad τὸ *quibusdam* referuntur.

Illi. Parentes nempe.

Non consequi, dummodo sequaris. Is consequitur, vel scopum suum attingit, qui beneficium refert; is sequitur qui referre tentat, et gratum

Digitized by Google

reddidimus. Nec ideo non petimus, aut turpiter petimus, quia non reddituri debebimus: quia non per nos erit mora, quo minus gratissimi simus. Sed interveniet aliquid extrinsecus, quod prohibeat; nos tamen nec vincemur animo, nec turpiter his rebus superabimur, quae non sunt in nostra potestate.

VI. Alexander Macedonum rex gloriari solebat, a nullo se beneficiis victum. Non est quod nimius animi Macedonas, et Graecos, et Caras, et Persas, et natio-

animum nisu etiam inani demonstrat.

VI. Ass. Alexandri animus qui se gloriabatur a nullo beneficiis victum; qui tamen quum hoc diceret, errabat. Archelao quid responderit Socrates et quam bene. Nolebat scilicet philosophus a rege beneficia accipere, paria non redditurus. At paria nonne reddidisset? Naturam rerum modo docuisset, iam par re exstitisset.

Alexander Macedonum rex, etc. Superbus Alexander gloriatus est, se multa beneficia contulisse in Macedonas, etc., nec ab iis victum esse beneficiis: sed non cogitavit, ab his ipsis populis sibi praestitum esse immensum suum regnum, ideoque se iam hac ratione ab iis victum esse beneficiis. Macedonas autem, Graecos, Caras (cf. notas infr.; tum Q. Curt. de Reb. Gest. Alex. lib. III et IV et Arriani Exped. Alex. I, 20, etc.) et Persas cum exercitu suo sibi subiecit, vel beneficiis maximis affecit, alios vero nationes *sine exercitu*, solo meta et gloria sua *distrinxit*, i. e. ligavit, subiugavit, sive separavit, divulsit ab imperio Persarum suoque adiunxit. Iam quum securos hos populos praesteret, et de salute eorum sollicitus esset, beneficiis eos se cumulasse ideoque vicisse putavit Alexander.

Nimius animi. Σύνταξις poetica: pro: vit animae plus insolescentis quam par est.

Graecos. Graeciae toti Alexander imperabat quam et antea Philippus ditioni suae armis subiecerat, et deinde ipse ineunte regno rebellantes devicerat.

Caras. Incolas Cariae, quae Asiae minoris provincia, sic dicta a prisco rege Care, limites habebat septemtrionem versus Meandrum, alibi Phrygiam Lyciamque et Icarium mare et Internum. Caeterum Cares, quamquam ea aetate satis potentes quae Troiam captam secuta est, victi fere semper a potentioribus et edomiti sunt. Quales fuerunt Minos Cretensium rex, Nileus, Croesus, Cyrus, Mausolus, et denuo Alexander. Vnde Caris nomen idem fere fuit ac *servus* et pro hoc in fabellis Comicorum saepe usurpatum invenitur.

Persas. Persarum nomine proprie designabantur incolae Persidos, quae provincia in spatium mediocre patens Media, Carmania, Babylonia, Susiana et sinu Persico continebatur. Hac egressi, regnante Cyro, Mediam, Babyloniam, Bactra subiugavere et omnes Asiae provincias ad Scythiam usque et Aegeum mare. Quae sedulo distinguenda Persis ab imperio Per-

nes districtas sine exercitu suspiciat! ne hoc sibi praestitisse regnum, a Thraciae angulo porrectum usque ad littus incogniti maris, iudicet! Eadem re gloriari Socrates potuit, eadem Diogenes, a quo utique victus est. Quidni victus sit illo die, quo homo supra mensuram humanae superbiae tumens, vidit aliquem, cui
2 nec dare quidquam posset, nec eripere? Archelaus rex Socratem rogavit, ut ad se veniret; dixisse Socrates traditur, Nolle se ad eum venire, a quo acciperet

sarum, quod immensae latitudinis fuisse nemo nescit et ab Indorum littore ad Graeciam proiectum, 2,800 millibus vix contentum fuit.

Et nationes districtas sine exercitu. Lipsius coni. *suo exercitu.* Gronovius autem ait: videtur legendum; *nationes descriptas in exercitus*, h. e. a nationibus, quas in exercitus descripserat, victum beneficiis eum non esse, etc. Sed nulla emendatione opus est, si interpreteris: nationes ligatas obnoxiasque fuisse etiam sine exercitu, solo metu et viri gloria attonitas.

Suspiciat, l. e. *miretur*, veneretur, tanquam de iis bene meritus.

Ne hoc. Gronov. proponit *ne hos* (Macedonas, etc.) quod nunc locum multo magis perspicuum efficit.

Littus incogniti maris. Mare Erythraeum significat quod vix antiquis notum fuit, et Indicum mare quod inter duas peninsulas situm quae Indiam hodie continent, nunc *golfe de Bengale*. Ideo vero Thraciae angulum nominat, quod Thraciae contermina Macedonia olim una cum Thracia fuit, sed invalescente Macedonum potentia nomen proprium sibi sumpsit: quod quidem diu ante Philippi et Alexandri tempora evenit.

Eadem re.... potuit, etc. l. e. se a nullo beneficiis esse victos.

Diogenes. Sinopensis et Cynicus de quo passim. Hic eodem die Corinthi mortuus est quo Alexander Babylone.

Quidni..... eripere? Spectant haec ad Diogenem quem Alexander Corinthi visum sciscitatus est an aliquid cuperet. Cynicus vero ait: Tu a meo sole amovearis, id unum cupio.

Archelaus. Macedonum rex, Perdiccae filius, sed spurius, qui postquam fratres omnes consumpsit caede, regnum vi invasit, ann. ant. Chr. nat. 413, et post tredecim annos a Cratero, amasio suo, eodem anno interfectus est, quo Socrates obiit, docente Diodor. Sic. XIV, 37 ibique *Wesseling*. Testator veritatem rei Aristot. Rhetor. II, 23, 8 ed. bip. To. IV, p. 276: attigit et Diogen. Laërt. II, 25 ubi Menagius nostri loci memor fuit. Archelaus autem quamquam scelera multa et summa rerum potiretur admisit, regem tamen se praestitit, litterarum inprimis et artium et philosophiae studiosissimus fuit, et Euripidem ad se vocatum beneficiis multis in aula detinuit.

Nolle se ad eum..... posset. Aristoteles l. l. haec sic extulit: ὕβριν γὰρ ἔφη, εἶναι τὸ μὴ δύνασθαι ἀμύνασθαι ὁμοίως εὖ παθόντα, ὥσπερ καὶ κακῶς. Exornarunt alii hanc Socratis responsionem, e. c. Epictet. To. III, p.

beneficia, quum reddere illi paria non posset. Primum, in ipsius potestate erat, non accipere: deinde ipse dare beneficium prior incipiebat. Veniebat enim rogatus, et id dabat, quod utique ille non erat Socrati redditurus. Etiamnunc Archelaus daturus erat aurum et argentum, recepturus contemptum auri et argenti. Non poterat ergo Archelao referre Socrates gratiam? et quid tantum erat accepturus quantum dabat, si ostendisset hominem vitae ac mortis peritum, utriusque fines tenentem? si regem, in luce media errantem, 3
ad rerum naturam admisisset, usque eo eius ignarum, ut quo die solis defectio fuit, regiam cluderet, et filium, quod in luctu ac rebus adversis moris est, tonderet? Quantum fuisset beneficium, si timentem e latebris suis extraxisset, et bonum animum habere iussisset, dicens: « Non est ista solis defectio, sed duorum siderum coitus, quum luna humiliore currens via,

212 ed. Schwgh., et auctor primae epistolarum, quae, docente Bentleio Opusc. phil. p. 47 sq. ed. lips., Socrati falso tribuuntur. Conf. Baylii Dict. hist. et crit. Archelaus I.

Etiamnunc Archelaus..... auri et argenti. Quidni? Nonne et Annaeo plus quam millies sestertia Nero praestiterat, qui tamen a magistro discere potuerat quam contemnenda auri et argenti vis?

Vitae et mortis peritum. H. e. qui et bene vivere et fortiter mori nosset.

Fines. Quatenus et quomodo vivere et mori oporteret.

Si regem, etc. Supplend. quae superioris sententiae initium sunt: *Et quid tantum erat accepturus, quantum dabat?*

In luce media errantem. Omnia μεταφορικῶς. De scientiarum luce agitur quae tunc illuminabat Graeciam; quod nos *lumières* dicimus.

Ad rerum naturam admisisset. H. e. naturae vires, vices, arcana et cetera id genus docuisset.

Moris, Sc. graeci, non romani. Cf. Aelian. V. H. VII, 8 ibiq. not. Suet. Calig. 5. Vnde haec de Archelao sumpserit, dicere non habeo. At quae Plato in Gorgia, Vol. IV, p. 53 sq. Opp. bip. de Gorgia narrat, firmare haec possunt.

Coitus. Quod Gallice Astronomicorum periti vocant *syzygie*, quae vox duo complectitur, nempe *conjonction* et *opposition*.

Luna humiliore currens via. Nam vix ducentis et sexaginta millibus distat a terra luna, his etiam temporibus quibus maxime distat; quum solis intervallum ad terras usque plus quam millies centena millia millium contineat (nostris mensuris plus quam $3_{9},000,000$ leucarum).

Digitized by Google

infra ipsum solem, orbem suum posuit, et illum obiec-
4 tu sui abscondit: quae modo partes eius exiguas, si in transcursu strinxit, obducit; modo plus tegit, si maiorem partem sui obiecit; modo excludit totius aspectum, si recto libramento inter solem terrasque media successit? Sed iam ista sidera huc et illo diducet velocitas sua; iam recipient diem terrae, et hic ibit ordo per secula: quae dispositos ac praedictos dies habent, quibus sol intercursu lunae vetetur om-
5 nes radios effundere. Paulum exspecta; iam emerget, iam istam velut nubem relinquet, iam exsolutus impedimentis, lucem suam libere mittet.» Socrates parem gratiam Archelao referre non posset, si illum docuisset regnare? parum scilicet magnum beneficium a Socrate accipiebat, si ullum dare potuisset Socrati. Quare ergo hoc Socrates dixit? Vir facetus, et cuius per figuras sermo procedere solitus erat, derisor omnium, maxime potentium, maluit illi nasute negare, quam contumaciter ac superbe. Dixit, se nolle bene-
6 ficia ab eo accipere, cui non posset paria reddere. Timuit fortasse, ne cogeretur accipere quae nollet: timuit, ne quid indignum Socrate acciperet. Dicet aliquis: Negasset, si nollet. Sed instigasset in se regem insolentem, et omnia sua magno aestimari volentem. Nihil ad rem pertinet, utrum dare aliquid regi nolis, an accipere a rege: in aequo utramque ponit repul-

Si recto libramento... successit. Recto libramento stat luna contra solem, quum in medio illius sideris stare videtur.

Parum scilicet..... potuisset Socrati. Nempe a Socrate edoctus Archelaus non credidisset se posse multa beneficia Socrati conferre. Tunc enim facile vidisset, gratiam, honores aut divitias, nec pluris aestimanda esse quam sapientiam, et parum haec Socratis grandem animum delectatura.

Per figuras. I. e. oblique, tecte et simulate dicendi genus in quo aliquid ἐμφάσεως et εἰρωνείας inesset. Cf. Ernesti Lexic. technol. Latin. rhet. h. v.

Derisor. Spectat ad notam Socratis ironiam.

Nasute. Sic omnes codd. *astute* vero sive *vafre* pro scholus habeas.

sam: et superbo fastidiri acerbius est, quam non timeri. Vis scire quid vere noluerit? Noluit ire ad voluntariam servitutem is, cuius libertatem civitas libera ferre non potuit.

VII. Satis, ut existimo, hanc partem tractavimus, an turpe esset beneficiis vinci: quod qui quaerit, scit non solere homines sibi ipsos beneficium dare; manifestum enim fuisset, non esse turpe a se ipso vinci. Atqui apud Stoicos quosdam et de hoc ambigitur, an possit aliquis sibi beneficium dare? an debeat referre sibi gratiam? Quod ut videretur quaerendum, illa 2
fecerunt: solemus dicere, Gratias mihi ago, et, de nullo queri possum alio, quam de me. Ego mihi irascor, et, Ego a me poenas exigam, et, Odi me; multa praeterea huiusmodi, per quae unusquisque de se, tanquam de altero loquitur. «Si nocere, inquit, mihi possum: quare non et beneficia mihi dare possum? Praeterea quae, si in alium contulissem, beneficia vocarentur: quare si in me contuli, non sint? Quod, si ab altero accepissem, deberem: quare si mihi ipse dedi, non debeam? Quare sim adversus me ingratus:

Et superbo fastidiri..... non timeri. Atqui tamen superbi animi est timeri se velle; et imperantium plurimos hoc morbo laborare, res omnino non neganda est. Notum est *Oderint, dum metuant*, quam sententiam Noster tam acerbe exagitat de Ira lib. I, cap. 16.

Noluit ire.... potuit. Respexit ad iambica Sophoclis, quibus et Pompeius usus esse narratur ap. Plut. Pompeii vit. c. 78, quum Aegyptum intraret.

VII. Anc. Neque beneficia quemquam sibi ipsi dare, neque gratiam referre posse: usque ad cap. XI. Hoc vero capite varias rationes tradit quae contrariam thesin videntur confirmare et quibus utuntur adversarii.

Atqui apud Stoicos quosdam. Quinam hi fuerint, ignoramus: nec in tanta Stoicorum librorum iactura quidquam habemus, unde haec aut alia multo graviora colligendo sciamus.

Illa fecerunt. H. e. ita egerunt, se gesserunt; haec verba fecerunt.

Solemus dicere., etc. Et recte sic dicere videmur, quippe nos nunc pro diversa quadam persona habentes, quam fuimus tum, quum illa vel bona, vel mala faciebamus.

quod non minus turpe est, quam in se sordidum esse, et in se durum ac saevum, et sui negligentem? Tam alieni corporis leno male audit, quam sui. Nempe reprehenditur assentator, et aliena subsequens verba, paratus ad falsa laudator: non minus placens sibi, et se suspiciens, et, ut ita dicam, assentator suus. Vitia non tantum quum foris peccant, invisa sunt, sed quum in se retorquentur. Quem magis admiraberis, quam qui imperat sibi, quam qui se habet in potestate? Gentes facilius est barbaras, impatientesque alieni arbitrii, regere, quam animum suum continere, et tradere sibi. Plato, inquit, agit Socrati gratias, quod ab illo didicit: quare Socrates sibi non agat, quod ipse se docuit? M. Cato ait: Quod tibi deest, a te ipso mutuare; quare donare mihi non possum, si commodare possum? Innumerabilia sunt, in quibus consuetudo nos dividit. Dicere solemus: Sine loquar mecum: et, Ego mihi aurem pervellam. Quae si vera sunt, quemadmodum aliquis sibi irasci debet, sic et gratias agere: quo modo obiurgare se, sic et laudare: quo modo damno sibi esse, sic et lucro potest. Iniuria et beneficium contraria sunt; si de aliquo dicimus, iniuriam sibi fecit: poterimus dicere, beneficium sibi dedit.»

Quam in se... negligentem. Exemplo sit ille Heautontimorumenos Terentii, qui ob duritiem, qua filium affecisse sibi videbatur, sordidus durusque in se fuit. Nec postea defuere, nec nunc desunt, qui in Dei honorem hoc vitio laborent.

Tam alieni corporis... sui. Hypallage pro: tam sui corporis leno male audit quam alieni.

Aliena subsequens verba. Qui id perpetuum dicit quae prior quispiam fecit. Martial. lib. XII, epigr. xx: *Mentiris, credo, recitas mala carmina, laudo; Cantas, canto; bibis, Pontiliane, bibo.* Item, Iuven. Sat. III: *Rides, maiore cachinno Concutitur; flet, si lacrymas conspexit amici.*

Gentes facilius est, etc. Sententia haec saepissime apud antiquos occurrit. Prima eius stamina orsus est Homer. Il. IX, 254 sq.: ubi sensus est: victoriam tibi (Achilli) Minerva et Iuno dabunt, si velint; tu vero animum magnum, i. e. bonum et mitem habere memento, nam placabilia

VIII. Natura sibi debet? Natura prius est, ut quis debeat, deinde ut gratiam referat; debitor non est sine creditore, non magis quam maritus sine uxore, aut sine filio pater. Aliquis dare debet, ut aliquis accipiat: non est dare, nec recipere, in dexteram manum de sinistra transferre. Quo modo nemo se portat, 2
quamvis corpus suum moveat et transferat: quo modo nemo, quamvis pro se dixerit, affuisse sibi dicitur, nec statuam sibi tanquam patrono ponit: quo modo, si aeger cum cura sua convaluit, mercedem a se non exigit: sic in omni negotio, etiam quum aliquid prodesse sibi fecerit, non tamen debebit referre gratiam sibi, quia non habebit, cui referat. Vt concedam ali- 3
quem dare sibi beneficium, dum dat, et recipit; ut

animus hic melior est illa victoria. Comparatio autem ibi est ita instituenda, ut κράτος et φιλοφροσύνη sibi opponantur. Cf. Horat. Serm. II, 7, 83 ibique Bentl. *M. Cato* maior, in cuius vita et Plutarchus huius praecepti meminit, quod nec in eius libro de Re rust. adhuc superstite deest.

VIII. Arg. Refutare incipit illam opinionem, posse nos nobis beneficium dare, gratias agere, etc.

Natura, etc. Lipsium, quem ipsum parum concise et concinne scripsisse constat, haec abrupte posita esse pronuntiare, mireris. Nec abrupte esse posita quivis intelliget, modo reputet, quae Stoicis propria fuerit ariditas in argumentando, eam interdum nostro haerere.

Natura (ablat. casu) *sibi debet*, etc. Sic omnes fere codd., nam in correctioribus codd. Pincianus ait, haec verba omnino desiderari. Muretus Agricolae coniecturam: *Nemo sibi debet* in textum recepit, reliquis editoribus sequacibus. Erasmus vulgatum tenuit. Caeterum Lipsius ad h. l. ait: *Caput hic novum faci, nam res tota alia et oritur iam refutare. Abrupte satis, fateor; si tamen haec plena.* Apud Erasmum initium huius capitis est a verbis: *Aliquis dare debet*, etc. Equidem puto, refutationem incipere a verbis: *Natura prius*, etc. et illa: *Natura sibi debet* ad praecedentia pertinere. Ad refutationem tamen quoque pertinere possunt, si post *debet* puncta interrog. ponas.

Affuisse sibi dicitur. H. e. auxilium sibi dedisse accusato; advocati partibus functum erga seipsum.

Patrono quod liberti aut clientes. Lipsio recte observante, ad quos spectat, sollemniter solent. Et hases cum eiusmodi titulis s. inscriptionibus multae extant. Martial. lib. IX, epigr. LXIX: *Caudicum medio quum faber aptat equo.*

Etiam quum aliquid prodesse sibi fecerit. Omnium codd. est lectio.

concedam aliquem a se accipere beneficium, dum accipit, reddit. Domi, quod aiunt, versura fit, et velut lusorium nomen statim transit. Neque enim alius dat
4 quam qui accipit, sed unus atque idem. Hoc verbum Debere, non habet nisi inter duos locum: quomodo ergo in uno consistit, qui se obligando liberat? Vt in orbe āc pila nihil est imum, nihil summum, nihil extremum, nihil primum, quia motu ordo mutatur, et quae sequebantur praecedunt, et quae occidebant oriuntur, omnia quomodocunque ierint, in idem revertuntur; ita in homine existima fieri: quum illum
5 in multa mutaveris, unus est. Caecidit se: iniuriarum cum quo agat non habet; alligavit et clausit, de vi non tenetur; beneficium sibi dedit: protinus danti reddidit. Rerum natura nihil dicitur perdere, quia

Erasmus tamen aliique: *etiam quum aliquis probe sibi fecerit*. Lipsius inde *facere* maluit: *aliquid probe sibi fecerit*. Sed codd. lectio bene habet, nec quidquam mutes. Caeterum sensus est obvius.

Domi, quod aiunt, versura fit. Versuram facere, versura solvere est aliquid ab altero mutuari, quod alteri des aut commodes, creditorem mutare et foenus foenore dissolvere.

Lusorium, i. e. in ludo usurpatum, quatenus qui dat in ludo e c. pulue, mox est acceptor; qui nunc victor, mox victus. Alius est inanis nec verus, ut arma lusoria, spectaculum lusorium apud Nostrum.

Debere. Quasi *de* (*alieno*) *habere*. Quidquid enim debes, non tantum non habes, sed etiam rei debitae pretium aut valor deest ut non habeas. *Debere* est quasi *de habere*, *de alieno habere*: necesse est igitur duo esse, ut debiti aliquid sit.

Quia motu, etc. Lipsiūs hic laudat Aristotelem de Coelo II, 2, monetque opinione nostra tale aliquid fieri posse.

Quum illum, etc. Quamvis multas in personas eum indueris, tamen ille unus, quem noveras, erit.

Iniuriarum. . . . agat tanquam accusator.

De vi non tenetur propter vim illatam non excusari potest: nam *teneri* sic usurpari notum est vel ex Ernesti Clav. Cic. h. v. Hunc sensum malim quam illum: non violenter alligatus est, et nexus sententiae illum postulat.

Rerum natura, etc. Egit noster de hac re Epist. 36, 10, ibiq. vid. not. Ovid. locus exstat celeberrimus de his mutationibus, Metamorph. lib. XV, vs. 239 sqq. *Quatuor aeternus genitalia corpora mundus Continet; ex illis duo sunt onerosa, suoque Pondere in inferius, tellus atque unda, feruntur; Et totidem gravitate carent, nulloque premente, Alta pe-*

Digitized by Google

quidquid illi avellitur, ad illam redit: nec perire quidquam potest, quod quo excidat non habet, sed eodem revolvitur unde discedit. Quid simile, inquit, habet hoc exemplum propositae quaestioni? Dicam. Puta te ingratum esse: non peribit beneficium: habet illud qui dedit; puta te recipere nolle: apud te est, antequam redditur. Non potes quidquam amittere; quia quod detrahitur, nihilominus tibi acquiritur. Intra te ipsum orbis agitur; accipiendo das; dando accipis. 6

IX. « Beneficium, inquit, sibi dare oportet: ergo et referre gratiam oportet. » Primum illud falsum est, ex quo pendent sequentia. Nemo enim sibi beneficium dat, sed naturae suae paret, a qua ad caritatem sui compositus est: unde illi summa cura est nocitura vitandi, profutura appetendi. Itaque nec liberalis est, qui sibi donat, nec clemens, qui sibi ignoscit, nec misericors, qui malis suis tangitur. Quod aliis praestare liberalitas est, clementia, misericordia: sibi prae- 2

tunt, aër atque aëre purior ignis. Quae quamquam spatio distant, tamen omnia fiunt Ex ipsis; et in ipsa cadunt, resolutaque tellus In liquidas rorescit aquas: tenuatus in auras Aëraque humor abit; dempto quoque pondere rursus. In superos aër tenuissimus emicat ignes; Inde retro redeunt, idemque retexitur ordo: Ignis enim densum spissatus in aëra transit, Hinc in aquas; tellus glomerata cogitur unda. Nec species sua cuique manet, rerumque novatrix Ex aliis alias reparat natura figuras. Nec perit in tanto quicquam, mihi credite, mundo; Sed variat faciemque novat; nascique vocatur Incipere esse aliud quam quod fuit ante, morique Desinere illud idem, quum sint huc forsitan illa, Haec translata illuc; summa tamen omnia constant.

Intra te ipsum orbis agitur. Gall. *le cercle roule au-dedans de toi-méme.*

IX. Ang. Nemo sibi beneficium dat, sed naturae suae paret, si sibi prodest, si se amat.

Sed nat. paret.....compos, etc.) *In primis naturae, quibus homo, secundum Stoicos, praeditus nascitur, sive quae natura homini nascenti ut maxime aestimabiles res conditionesque commendat, potissimum locum obtinent omnia, quae ad caritatem sui, φιλαυτίαν, pertinent, ut se, vitam corpusque tueatur, declinetque ea, quae nocitura*

stare, natura est. Beneficium res voluntaria est: at prodesse sibi, necessarium est. Quo quis plura beneficia dedit, beneficentior est. Quis unquam laudatus est, quod sibi ipse fuisset auxilio? quod se eripuisset latronibus? nemo sibi beneficum dat, non magis quam hospitium; nemo sibi donat, non magis quam credit.
3 Si dat sibi quisque beneficium, semper dat, sine intermissione dat: inire beneficiorum suorum non potest numerum. Quando ergo gratiam referet, quum per hoc ipsum quo gratiam refert, beneficium det? Quomodo enim discernere poterit, utrum det sibi beneficium, an reddat, quum intra eumdem hominem res geratur? Liberavi me periculo: beneficium mihi dedi; iterum me periculo libero: utrum do beneficium, an reddo? Deinde ut primum illud concedam,
4 dare nos beneficium nobis: quod sequitur, non concedam; nam etiamsi damus, non debemus; quare? quia statim recipimus. Accipere beneficium nos oportet, deinde debere, deinde referre. Debendi locus non est, quia sine ulla mora recipimus. Dat nemo,

videantur, omniaque, quae ad vivendum necessaria, anquirat et paret, etc. Cicer. de Off. I, 4.

Necessarium. Quia sine eo ne vivere quidem potest, et natura hominem eo compellit, velit nolitve.

Quo..... est. Addas: sed homo, qui sibi vel maxime profuit, nunquam dicitur sibi beneficentissimus fuisse.

Non magis quam hospitium. Atqui nullus sibi hospitium dat. Hospitalitas est advenam, externum, viatorem aedibus suis admittere. Hospes Graecis ξένος quod idem sonat ac Latinis *alienigena*. Tum hospitium necessitudinis quoddam genus erat ut amicitia et consanguinitas. Porro nullus dicitur proprie esse sui amicus; nam amicus est *alter ego*. Nullus dicitur sibi propinquus. Nullus ergo sibi hospes dici potest.

Quum per hoc ipsum... det. Nam quum sibi beneficium ille dat qui sibi olim dedit, gratiam ipse sibi refert, beneficiumque reddit: et similiter quum gratiam sibi refert, novum beneficium sibi dat. Ita ut omne beneficium simul et conferatur et referatur, simul grati animi causa et effectus sit. At vid. quae Noster ipse subiunxit.

Quum intra eumdem hominem res geratur. Vid. supra, cap. 8 fin.: *Intra te ipsum orbis agitur.*

Digitized by Google

nisi alteri : debet nemo, nisi alteri: reddit nemo, nisi alteri. Id intra unum non potest fieri, quod toties duos exigit.

X. Beneficium est, praestitisse aliquid utiliter: verbum autem praestitisse, ad alios spectat. Numquid non demens videbitur, qui aliquid vendidisse sibi se dicet? quia venditio alienatio est, et rei suae, utrisque in ea sui, in alium translatio. Atqui quemadmodum vendere, sic dare aliquid, a se dimittere est, et id quod tenueris, habendum alteri tradere. Quod si est, beneficium nemo sibi dedit: quia nemo dat sibi. Alioqui duo contraria in uno coeunt, ut idem 2
sit dare, et accipere. Etiamnunc multum interest inter dare et accipere: quidni? quum ex diverso ista verba posita sint. Atqui si quis sibi beneficium dat, nihil interest inter dare et accipere. Paulo ante dicebam, qnaedam ad alios pertinere, et sic esse formata, ut tota significatio illorum discedat a nobis. Frater sum, sed alterius; nemo est enim suus frater. Par sum, sed alicui; quis est enim par sibi? Quod 3
comparatur, sine altero non intelligitur: quod iungitur, sine altero non est: Sic et quod datur, sine altero non est: et beneficium sine altero non est. Id

X. Anc. Beneficia proprie non dantur nisi alieno: desiderant alteram personam. Hoc autem probat a vi propria et sensu, ut aiunt, grammaticali verborum *praestare*, *vendere*, *dare*; quae quidem omnia alienationem indicant, h. e. mancipii translationem ex alio in alium.

Praestitisse. Praestare est verbum iuris, et rerum quae publice fiunt, e. c. in sponsionibus, in fide faciendum sic vel sic eventuram, vel non eventuram, etc. et eatenus semper ad alios spectat. Cf. Ernesti Clav. Cic. h. v.

Translatio. Legitima definitio, ait Lipsius, et imperatoriae illi consonans: *alienatio est omnis actus, per quem dominium transfertur.*

Alioqui duo contraria in uno coëunt. Bene sic distinxit Gruterus, quum antea distingueretur: *quia nemo dat sibi alioqui. Duo... et in uno* restituit pro vulg. *in unum*, e codd.

Paulo ante Initio capitis: *praestitisse ad alios spectat.*

Quaedam. Supple *verba.*

Digitized by Google

ex ipso vocabulo apparet, in quo hoc continetur, benefecisse. Nemo autem sibi benefacit, non magis quam sibi favet, quam suarum partium est. Diutius hoc et pluribus exemplis licet prosequi; quidni? quum inter ea sit habendum beneficium, quae secundam personam desiderant. Quaedam quum sint honesta, pulcherrima, summae virtutis, nisi cum altero non habent locum. Laudatur, et inter maxima humani generis bona, fides colitur; num quis ergo dicitur sibi fidem praestitisse?

XI. Venio nunc ad ultimam partem. Qui gratiam refert, aliquid debet impendere, sicut qui solvit pecuniam: nihil autem impendit, qui gratiam sibi refert, non magis quam consequitur, qui beneficium a se accepit. Beneficium et gratiae relatio, ultro citroque ire debent: intra unum hominem non est vicissitudo. Qui ergo gratiam refert, invicem prodest ei, a quo consecutus est aliquid: qui sibi gratiam
2 refert, cui prodest? sibi. Et quis non alio loco relationem gratiae, alio beneficium cogitat? Qui gratiam sibi refert, sibi prodest; et quis unquam ingratus hoc noluit facere? immo quis non ingratus fuit, ut hoc faceret? «Si gratias, inquit, nobis agere debemus, et gratiam referre debemus. Dicimus autem:

XI. Aac. Denique notioni beneficii adversatur, si beneficia nobis ipsi dare dicimur. Nam beneficiorum conditio vicissitudo est. Quae vero vicissitudo esse possit in uno homine?

Vltimam partem. An alteram? Intelligit hoc quod obiectum erat initio cap. IX: *Beneficium sibi dare potest, ergo et referre gratiam.* Prius membrum de beneficio refutavit: nunc hoc alterum de gratia.

Et quis non.... cogitat. I. e. quis, dum de referente gratiam et de illo qui beneficium dedit, cogitat, non sentit duas esse personas prorsus diversas.

Et gratiam referre debemus. Substantivum *gratiam* hic omittere Noster potuisset: nam etsi, Lagomarsino ad Pogium Epist. Tom. III, p. 305 monente et Ruhnkenio in praef. ad Schelleri Lexicon latino-batav. comprobante, latini non dicant, *gratias*

Digitized by Google

Ago gratias mihi, quod illam uxorem nolui ducere, et cum illo non contraxi societatem. » Quum hoc di- 3
cimus, laudamus nos: et ut factum nostrum comprobemus, gratias agentium verbis abutimur. Beneficium est quod potest, et quum datum est, non reddi: qui sibi beneficium dat, non potest non recipere, quod dedit: ergo non est beneficium. Alio tempore beneficium accipitur, alio redditur. In beneficio hoc 4
est probabile et suspiciendum, quod alteri ut aliquis prodesset, utilitatis interim suae oblitus est; quod alteri dedit, ablaturus sibi; hoc non facit, qui beneficium sibi dat. Beneficium dare, socialis res est, aliquem conciliat, aliquem obligat: sibi dare, non 5
est socialis res, neminem conciliat, neminem obligat, neminem in spem inducit, ut dicat: Hic homo colendus est: illi beneficium dedit: dabit et mihi. Beneficium est, quod quis non sua causa dat, sed eius, cui dat. Is qui sibi beneficium dat, sua causa dat: non est ergo beneficium.

XII. Videor tibi iam illud, quod in principio dixeram, mentitus? Dicis me abesse ab eo qui operae pretium facit, immo totam operam bona fide perdere? Exspecta: etiam hoc verius dices, simul ac te ad has latebras perduxero; a quibus quum evase-

referre., at gratiam referre, gratiam habere; tamen gratias referre et habere, dicere solent, si quando cum *agere gratias* coniungantur.

Gratias agentium verbis abutimur. Vt Gallice quidem, quum dicimus: *Je me sais bon gré d'avoir résisté à la tentation.*

Probabile est suspiciendum. H. e. dignum quod comprobemus et demiremur.

Quod alteri ut.... oblitus est. Quod aliquis ut utilitatem alteri afferret suam utilitatem ipse neglexit aut non recordatus est; quod non modo alteri dedit, sed a se abstulit quod illi alteri daret.

XII. Aso. Excusat se, quod hanc quaestiunculam proposuerit, et hac occasione utitur ad quaestionem aliam eiusmodi: Nemone sit ingratus, in medium proferendam.

Dicis me... perdere? Spectant haec ad c. 1, a ubi haec ipsa verba posuerat.

Digitized by Google

ris, nihil amplius assecutus eris, quam ut eas difficultates effugeris, in quas licuit non descendere. Quid enim boni est, nodos operose solvere, quos ipse
2 ut solveres, feceris? Sed quemadmodum quaedam in oblectamentum ac iocum sic illigantur, ut eorum solutio imperito difficilis sit, quae ille qui implicuit, sine ullo negotio separat, quia commissuras eorum et moras novit; et nihilominus illa habent aliquam voluptatem, tentant enim acumen animorum et intentionem excitant: ita haec quae videntur callida et insidiosa, securitatem ac segnitiem ingenii auferunt:
3 quibus modo campus in quo vagentur, sternendus est, modo creperi aliquid et confragosi obiiciendum, per quod erepant, et sollicite vestigium faciant.

Dicitur nemo ingratus esse: id sic colligitur. Beneficium est quod prodest; prodesse autem nemo homini malo potest, ut dicitis Stoici: ergo beneficium

Quid enim.... feceris? Hunc tamen morem fuisse veterum Stoicorum, quorum disputationes ideo spinosae vocantur, constat. Cf. Brucker. Hist. Crit. Tom. I, p. 904 sq. Laudat Lipsius Aristippi in iis lepidum dictum (ap. Diog. Laërt. II, 70): proponente quodam captiunculam (αἴνιγμα) et ut solebat, urgente: O fatue, inquit, quid opus solvere, quod etiam ligatum exhibet negotium?

Moras. Vulgo *mores.* Illud aptius, ait Lipsius; et tamen aptius vellem. An fuit *ex more?* At Gronov. docuit, et hic et in diatribe ad Statium (cf. Drakenborch. ad Silium VIII, 33) de nexu nodoque bene dici *moram*, neque aptius quidquam posse dari. Quae antecedunt, *quae ille... separat*, mendosa esse videbantur, quia cod. Naz. cum aliis habebat: *quae illi qui explicuit.... spirat*, alius, *quae illi qui impl. s. u. n. patet:* sed haec scholii faciem praebent, illa e vulgata videntus esse corrupta.

Sed quemadmodum. .. excitant. Respicit aenigmata et griphos s. scirpos, quibus quaevis aetas, inprimis rudior gavisa est. Quae eorum ex antiquitate restant, ea Brunck. Analect. Tom. III, p. 318 et Lectt. p. 308 collegit 39 aenigmata graeca, Wernsdorf. in Poët. min. lat. VI, 2, p. 473 centum Caelii Symposii aenigmata latina. Locus classicus de his ludicris est Athenaei X, p. 448 sq.

Creperi. I. e. obscuri. Omnes libri habent *crebri*, unde Pinc. fecit *scabri* (minime sperneudum.) Nostram lectionem debemus ingenio Lipsii.

Beneficium est quod prodest. Nam est bonum, quod quidem ita definiverunt Stoici, ut dicerent, esse id quod prosit, ὠφέλημα. Cic. de Fin. III, 10.

Homini malo, φαύλῳ, qua tali: ad

Digitized by Google

non accipit malus: itaque nec ingratus est. Etiamnunc 4
beneficium honesta et probabilis res est. Apud malum nulli honestae rei aut probabili locus est; ergo nec beneficio: quod si accipere non potest, nec reddere quidem debet; et ideo non fit ingratus. Etiamnunc, ut dicitis: Bonus vir omnia recte facit; si omnia recte facit, ingratus esse non potest. Bonus beneficium reddit: malus non accipit; quod si est, nec bonus quisquam ingratus est, nec malus: ita ingratus in rerum natura est nemo. At hoc inane. Vnum 5
est apud nos bonum, honestum: id pervenire ad malum non potest; desinet enim malus esse, si ad illum virtus intraverit. Quamdiu autem malus est, nemo illi dare beneficium potest: quia bona malaque dissentiunt, nec in unum eunt. Ideo nemo illi prodest, quia quidquid ad illum pervenit, id pravo usu corrumpit. Quemadmodum stomachus morbo vitiatus, et colligens bilem, quoscumque ac- 6
cepit cibos, mutat, et omne alimentum in causam doloris trahit: ita animus caecus, quidquid illi commiseris, id onus suum, et perniciem et occasionem miseriae facit. Felicissimis itaque opulentissimisque plurimum aestus subest, minusque se inveniunt, quo

quem bonum pervenire non potest.

Etiamnunc. Praeterea est beneficium *honesta res* propter se expetenda et placens.

Ita ingratus in rerum natura est nemo, At hoc inane. Vna modo literula mutata scripturam codd. repraesento, qui omnes lectionem hanc habent. Hinc Erasmus fecit coniectando: *ita ingr. i. r. n. est nomen, et hoc inane*, quem Muretus, Lipsius, Gronovius aliique secuti sunt. At male interpretati sunt Senecam. *At hoc inane* est: at haec obiectio contra Stoicorum dogma nihil valet. Refutat illas adversariorum conclusiones: etsi mali, qua tales, uno apud nos bono, honesto carere debent, ideoque beneficia nec dare, nec accipere possunt, tamen ingrati esse possunt, etc. Mutavi itaque *et* in *at*: quo refutationis initium declaretur.— *At hoc inane.* Hic incipit refutatio posterioris syllogismi, minorem impugnando. Docet itaque hoc et sequenti capite; et malum reddere posse ea, quae beneficiis similia sint; quibus non redditis fore demum ingratum. Hoc postremum addere et

Digitized by Google

in maiorem materiam inciderunt, qua fluctuarentur.
7 Ergo nihil potest ad malos pervenire, quod prosit: immo nihil quod non noceat. Quaecumque enim illis contigerunt, in naturam suam vertunt, et extra speciosa, profuturaque si meliori darentur, illis pestifera sunt. Ideo nec beneficium dare possunt: quoniam nemo potest quod non habet, dare: hic benefaciendi voluntate caret.

XIII. Sed quamvis haec ita sint, accipere tamen malus potest, quae beneficiis similia sint: quibus non redditis, ingratus erit. Sunt animi bona, sunt corporis, sunt fortunae. Illa animi bona, a stulto ac malo submoventur: ad haec admittitur, quae et accipere potest, et debet reddere: et si non reddit,
2 ingratus est. Nec hoc ex nostra constitutione tantum. Peripatetici quoque, qui felicitatis humanae longe

defendere debebant Stoici, quia his non positis nulla ad virtutem via malis relicta erat.

Materiam. Divitias: sic VI, 29, 1: *Quo ditior quis sit, eo difficilius est virtuti ad eum intrare.* Res per se patet.

Ergo.... prosit. Nihil boni honestive, nulla virtus.

Extra. Exstrinsecus. Ne nimis durum hoc esse putes, ita cogites, quaeso, malis, ut fiant proficientes, quorum Seneca tres classes constituit Epist. LXXV, non totam lucem esse aperiendam, sed sensim ad virtutem eorum mentem esse deducendam.

XIII. Aug. Malus etiam ingratus esse potest. Nam, etsi de constitutione Stoicorum beneficia non accipit, dona accipit quae beneficiis simillima sunt. Subtilem distinctionem per exempla et comparationes illustrat.

Sunt animi bona... fortunae. Haec est ea fere divisio, quae apud Ioannem Stobensem p. 98, Tom. II, lib. 2, c. 7 ed. *Heeren.* etiam occurrit: alia bona esse animi, alia externa, alia neutra. Complectitur has divisiones Epictetus Manual. I, et Diss. I, 22 dicens: alia esse in nostra potestate, alia non esse. Nec mirum est, quod idem iam secutus sit Aristotel. Moral. Nicom. I, 8, quum tota divisio e schola socratica petita sit, uti notum est. *Animi bona* sunt virtutes, probi habitus et laudabiles functiones, officia. Haec sunt vera bona, illa non item. Cf. Lipsii Manuduct. ad Phil. Stoic. II, 22.

Submoventur. H. e. nos submovemus. Gallic. verte *s'écartent*, vel *se détournent.*

Ad haec. Duo posteriora, nempe corporis et fortunae.

Peripatetici, etc. Quum aurea mediocritate omnem philosophiam ethicam fundasset Aristoteles, non mirum

lateque terminos ponunt, aiunt, minuta beneficia perventura ad malos; haec qui non reddit, ingratus est. Nobis itaque beneficia esse non placet, quae non sunt animum factura meliorem: commoda tamen illa esse, et expetenda, non negamus. Haec et viro bono 3 dare malus potest, et accipere a bono: ut pecuniam, vestem, honores, et vitam; quae si non reddet, in ingrati nomen incidet. « At quomodo ingratum vocas, eo non reddito, quod negas esse beneficium? » Quaedam etiamsi vera non sint, propter similitudinem eodem vocabulo comprehensa sunt. Sic pixidem, et 4 argenteam et auream dicimus: sic illiteratum, non ex toto rudem, sed ad literas altiores non perductum: sic qui male vestitum et pannosum vidit, nudum se vidisse dicit. Beneficia ista non sunt: habent tamen beneficii speciem. « Quomodo ista sunt tanquam be- 5 neficia: sic et ille tanquam ingratus est, non ingratus. » Falsum est; quia illa beneficia, et qui dat, appellat, et qui accipit. Ita et qui veri beneficii specie

est, quod et corporis fortunaeque bona pluris faceret quam Stoici, quandoquidem quilibet istius decreto bene i. e. neque nimium neque parum utendo, ad summum bonum pervenire potest, ideoque bona appellat omnia quae ad beate vivendum, ad felicitatem pertinent. Cic. de Fin. III, 12.

Commoda. Εὔχρηστα, aestimabilia, neque per se bona neque mala Cf. ad Epist. LXXXVII, 24.

Quaedam etiamsi, etc. Similia sunt IV, 12, 2. Saepe hac, ut ita dicam, cavillatione usi sunt Stoici, ut in interpretatione opem quaererent vexati, quae a vulgari loquendi usu abiret. Sic res a natura hominibus commendatas vocarunt prima naturae propterea, ut videtur, ne cogerentur ea vocare bona, quibus non annumerari malebant.

Pyxidem. Proprie enim vasa e buxo tornata designant pyxides, πυξίδες a πύξος, et varios ad usus destinata erant. Martial. lib. IX, epigr. XXXVIII, ad Gallam: *Quum sis ipsa domi mediaque ornere Suburra, Fiant absentes et tibi, Galla, comae, Nec dentes aliter quam serica nocte reponas, Et centum iaceas condita pyxidibus....*, etc.

Illiteratum. Talis usus exempla apud auctores latinos nunc superstites desidero, nisi Plin. Epist. I, 10, 9 eo traxeris.

Nudum. Exempla quaedam dedit Cuperus Obss. I, 7, nostro tamen loco non usus, et Interpp. ad Sueton. Caes. c. 41.

Veri beneficii specie. Suppl. *oblata*

fefellit, tam ingratus est, quam veneficus, qui soporem, quum venenum crederet, miscuit.

XIV. Cleanthes vehementius agit: «Licet, inquit, beneficium non sit quod accipit, ipse tamen ingratus est: quia non fuit redditurus, etiam si accepisset. Sic latro est, etiam antequam manus inquinet: quia ad occidendum iam armatus est, et habet spo-
2 liandi atque interficiendi voluntatem. Exercetur et aperitur opere nequitia, non incipit. Ipsum quod accepit, beneficium non erat, sed vocabatur. Sacrilegi dant poenas, quamvis nemo usque ad deos manus porrigat.» — «Quomodo, inquit, adversus malum ingratus est quisquam, quum malo dari beneficium
3 non possit?» Ea scilicet ratione, quia accepit ab illo aliquid ex his, quae apud imperitos bona sunt: quorum si malis copia est, ipse quoque in simili materia gratus esse debebit, et illa qualiacumque sunt, quum

Sensus: Vbi beneficium verum et τοῦ, cuius meminit Diogenes Laërtius collatum et acceptum videtur.

Soporem. Medicamentum soporiferum, ὑπνωτικόν, ut ille Domitii medicus supra III, 23, dedit. Senec. Ep. LXXXIII, 25: *Licet colligas, nec veneno poto moriturum, nec sopore sumpto dormiturum.*

Quum venenum crederet. Suppl. *se miscere.*

XIV. Anc. Malus quamvis illud, quod beneficium Stoico sensu non sit, acceperit, tamen ingratus est.

Cleanthes. De hoc praestantissimo Zenonis discipulo ac successore et Chrysippi magistro conf. praeter Bruckerum Tiedemannumque, Fabricii Biblioth. Gr. III, p. 550 sq. E quo eius libro haec desumpta sint, certo dici non potest. Locum tamen habere optime potuerunt in libro περὶ Χάρι-

Manus inquinet. Nempe latrociniis, furcifer, et cruore humano, homicida.

Quamvis nemo.... porrigat. Cf Phaed. lib. IV, fab. 11, cui titulus: Fur aram compilans; tum ipse Noster, de Ben. lib. VII, cap. 7, et de constantia Sapientis, c. 4, 2. Voluntatem tamen habebant et furandi Deos ipsos, si attingere potuissent: et ideo iuste puniuntur.

Malo. Ablat. casu, non dativo.

Bona. In codd. mss. non comparet, sed emendatio est Pinc., quam Muretus in textum recepit: nec voce hac bene carere possumus.

Quorum si malis copia est. Plurimorum codd. lectio est: alii, *cui tametsi malus est.* Muretus Varr. Lectt. XI, 17, *Cui tamen etsi malus* emendat.

pro bonis acceperit, pro bonis reddere. Aes alienum habere dicitur, et qui aureos debet, et qui corium forma publica percussum, quale apud Lacedaemonios fuit, quod usum numeratae pecuniae praestat. Quo genere obligatus es, hoc fidem exsolve.

XV. Quid sint beneficia, an et in hanc sordidam humilemque materiam deduci magnitudo nominis clari debeat, ad vos non pertinet: in alios quaeritur verum. Vos ad speciem veri componite animum: et dum honestum dicitis, quidquid est id, quod nomine

Pro bonis acceperit. Accipiens credidit bona esse, licet revera non sint.

Aes alienum. Quia olim omnis pecunia apud Romanos in aere fuit. Nam non ante annum quadringentesimum octogesimum sextum V. C. (ante Chr. nat. 269, regnante Hierone Syracusis, Q. Ogulnio Figulo, C. Fabio Pictore coss.) argentea moneta Romae fuit. Vox igitur retenta est, etsi aurum et argentum successit. At in omnibus linguis aliquid idem occurrit, in nostra inprimis. Nam familiari sermone dicitur *de l'argent* pro aere, argento, auro; poëtico autem et alto *l'or*.

Aureos. Aureus nummus erat ex auro conflatus, qui ann. V. C. 547, ant. Chr. nat. 203, primum in usu esse coepit et scrupulum pondere aequans (scrupula vero in libra romana, quae apud nos 10 uncias fere valet, 288 numerantur) quinque denarios, vel victoriatos denos, vel H. S. XX repraesentabat, quod nostrae pecuniae efficit circiter 4 fr. 08 cent. At postea duplices, triplices, quadruplices, quintuplices aurei conflati sunt, et istorum usus frequentissimus fuit ita ut soli dicerentur *aureus*. Annaei temporibus ergo aureus aequavit centum sestertii, nostrarum pecuniarum 20 fr. 38 cent.

Et qui corium .... praestat. Singulare hoc est: ferream enim monetam Spartae fuisse, at auri argentique illationem Spartam esse interdictam lege, atque observatam hanc legem usque ad Lysandri tempora notum est. Monetae coriaceae apud Lacedaemonios Seneca meminit, et paulo ante eum Nicolaus Damascenus, ex cuius historia universali fragmenta quaedam asservata sunt. In uno autem Λακεδαιμονίοις inscripto, habetur: Νομίσματι δὲ χρῶνται σκυτίνῳ· ἐὰν δέ παρά τινι εὑρεθῇ χρυσὸς, ἢ ἄργυρος, θανάτῳ ζημιοῦται.

XV. Ang. Quaerit an omnes ingrati dicendi sint ex obiectione quadam adversantium: et id ait non negandum temere; hoc a poëta dictum non severo, non philosopho; haec tot scelera quae ubique grassantur, et saeculi pravitatem probare.

In alios quaeritur verum. Sic plerique codd.; alii, *ad alios spectat verum.... in alius quaeritur verum.* Lipsius illud primum praefert, nec inmerito, i. e. veritas aliis, non vobis vilibus stultisque. — *Quid sint... verum.* Sententia quidem est, vos viles et e turba, vos stulti frustra de vero beneficio quaeritis, eius non capaces: ad speciem et imaginem eius

Digitized by Google

honesti iactatur, id colite. « Quomodo, inquit, nemo per vos ingratus est, sic rursus omnes ingrati
2 sunt. Nam, ut dicitis, omnes stulti mali sunt: qui autem habet vitium unum, habet omnia: omnes autem stulti et mali sunt; omnes ergo ingrati sunt. » Quid ergo? non sunt? non undique humano generi convicium fit? non publica querela est, beneficia perisse, et paucissimos esse, qui de bene merentibus
3 non invicem pessime mereantur? Nec est quod hanc tantum nostram murmurationem putes, pro pessimo pravoque numerantium, quidquid citra recti formulam cecidit. Ecce nesció qui non ex philosophorum domo clamat: ex medio conventu populos gentesque damnatura vox mittitur,

> ..... Non hospes ab hospite tutus,
> Non socer a genero; fratrum quoque gratia rara est:
> Imminet exitio vir coniugis, illa mariti.

4 Hoc iam amplius est; beneficia in scelus versa sunt: et sanguini eorum non parcitur, pro quibus sanguis fundendus est. Gladio ac venenis beneficia sequimur: ipsi patriae manus afferre, et fascibus suis illam pre-

ite: veritas aliis quaeritur. Haec *sordida humilisque materia*, i. e. illa, quae speciem beneficiorum gerunt.

Nam, ut dictis.... sunt. Stoicum hoc esse dogma paria esse vitia, et omnia habere vitia, qui unum habeat, res notissima est, vel e Ciceronis Paradoxis: cf. supra IV, 26. Ipsum adeo Menandrum egregium poëtam Comicum, illa sententia Stoica usum esse in comoedia, quae Ὑποβολιμαῖος, sive Ἀγροικος vocabatur, testatur noster in Natur. Qu. IV praef. fin.

Quid ergo? non sunt? non undique, etc. Sic distinxit Gruterus: sequutus codicem Naz., probante Grouovio. Seneca respondet ad contradictionem praemissam per concessionem, etc.

Ecce nescio qui non ex philosophorum domo clamat: ex medio, etc. Sic codex Naz., a quo nec caeteri multum differunt, quem cum Grou. sequor. Antea: *Ecce nescio quae.... domo clam sed*, etc. — *Ecce nescio qui non.... domo clamat: ex medio*, etc. Non solum omnes philosophorum sectae, sed circuli omnes populi hoc clamant. *Domum* autem philosophorum perinde ut familiam pro secta in usu fuisse, patet e Ciceronis Academ. I, 4, Senec. Epist. XXIX, 9. Versus Ovidii sunt Metamorph. I, 144 sq. quos iam de Ira II, 8, 5 laudaverat simili occasione.

Manus afferre. H. e. in patriam pugnare, in patriae ruinam et occi-

Digitized by Google

mere, potentia ac dignitas est. Humili se ac depresso loco putat stare, quisquis non supra rempublicam stetit. Accepti ab illa exercitus in ipsam convertuntur, et imperatoria concio est: Pugnate contra coniuges, pugnate contra liberos: aras, focos, penates, armis incessite. Qui ne triumphaturi quidem intrare urbem iniussu senatus deberetis, quibusque exercitum victorem reducentibus curia extra muros praeberetur: nunc civibus caesis, perfusi cruore cognato, urbem subrectis intrate vexillis. Obmutescat inter militaria signa libertas: et ille victor pacatorque gentium populus, remotis procul bellis, omni terrore compresso, intra muros obsessus, aquilas suas horreat.

XVI. Ingratus est Coriolanus: sero et post sceleris poenitentiam pius; posuit arma, sed in medio parri-

sionem accingi. *Manus afferre*, vel *intentare*, vim semper denotat cupiditatis aut verberare, aut necare.

Fascibus suis illam premere. H. e. imperio suo hanc subiicere. Potentiam *fasces* denotant; *premere* tyrannidem.

Quisquis non supra rempublicam stetit. Qui non iure et legibus potentiorem se fecit.

Imperatoria concio est.... incessite. Nullam unquam talem concionem habitam fuisse satis patet; at contra, iustitiam violentiae praetendit vir superbus, et immensam imperii potiundi cupidinem dissimulans patriae moerentis non hostem se, at asserto rem fingit. Caesar, in Lucan. Phars. lib. I, quum trans Rubicouem signa infert, mox Vrbi illaturus: *Roma, fave coeptis! non te furialibus ausis Persequor: en adsum victor terraque marique Caesar, ubique tuus, liceat modo nunc quoque, miles. Ille erit, ille nocens, qui me tibi fecerit hostem.* Et mox ad Ariminenses: *Nec numina deerunt: Nam neque praeda meis neque regnum quaeritur armis: Detrahimus dominos Vrbi servire paratae.*

Qui ne triumphaturi..... deberetis. Nam lege Romana vetitum erat ne quis Vrbem armatus intraret, etiamsi triumphaturus triumphaturos milites secum duceret.

Nunc civibus caesis. Satis vivido colore dipingit horrorem belli intestini s. civilis, et ambitionem, causam eius praecipuam. Praemittit autem haec, ut deinceps exemplis magis illustrandi rem copia sit.

XVI. Arg. Ingratorum exempla adversus patriam. Coriolanus, Catilina, Marius, Sylla, Pompeius, ipse Caesar.

Coriolanus. Cf. Plutarch. in eius vita et Liv. II, 35.

cidio posuit. Ingratus Catilina: parum est illi capere patriam, nisi verterit, nisi Allobrogum in illam cohortes immiserit, et trans Alpes accitus hostis vetera et ingenita odia satiaverit, ac diu debitas inferias Gal-
2 licis bustis duces Romani persolverint. Ingratus C. Marius, ad consulatum a caliga perductus: qui nisi Cimbricis caedibus Romana funera aequaverit, nisi civilis exitii et trucidationis non tantum dederit signum, sed ipse signum fuerit, parum multatam ac repositam in priorem locum fortunam suam sentiet.
3 Ingratus L. Sulla; qui patriam durioribus remediis,

Catilina. L. Sergius Catilina, omnium qui unquam patriae ruinam conspiravere celeberrimus. De hoc omnia nota. Cf. Sallustii bell. Catilin., et Flori histor. lib. IV, cap. 1.

Verterit. Gruter. et Gron. in hoc quoque recte cod. Naz. sequuntur: alii *everterit*.

Allobrogum. Allobroges, Galliae populus circa Rhodanum a lacu Lemano ad Isaram usque inhabitans, seditiosus. Ab eorum legatis, quum iam eos Lentulus et Cethegus, quos principes coniuratorum in urbe Catilina reliquerat, in partes suas tractari essent, coniurationem esse proditam notum est.

Ac diu debitas,... persolverint, ut duces romani mactarentur, ad exemplum XII iuvenum ab Achille, ut inferiarum (ποινῆς) causa, in rogo Patrocli mactatorum apud Hom. II, XXI, 26 sq.: in honorem vindictamque Gallorum Brenno duce Romam expugnantium et mox magna ex parte a Camillo caesorum, quorum sepulcrum inde *busta gallica* nominatum (Liv. XXII, 14. Varro L. L. IV, 32), et in tertia quartave regione urbis situm. Caeterum per se patet, Livio duce in hac Romae a Gallis captae mentione usum esse Nostrum, non Polybio, qui tamen rem tractat I, 6, 2; II, 18, 2.

Marius... a caliga. Caliga gregarii militis fuit calceus, Suet. Calig. 9. Hic est prae infima conditio et locus. Et Marium revera constat ex infima conditione et loco, ad summam rerum evectum; nam tribunatum plebis, et deinde consulatum adeptum, summaque ambitione semper ductum esse constat. Caeterum de Caio Mario exstat vita Plutarchi, quae videatur. Cf. Epist. XCXIV, 66, etc.

Dederit signum, non resalutando amplectendoque salutantes, eos interficiendi. (Plutarch. II, 887 Reisk.).

Signum fuerit ipsius reditus cum Cinna.

Multatam. Sic omnes mss. Pinc. et Gfut. quod resposui pro vet. lect. *mutatam*. *Multare* et *mutare* saepe confunduntur in codd. Hoc loco autem *multatam* praefero, quoniam de vicissitudinibus, quibus vexabatur, sermo est, et fortunam ut fingi, ornari, adfligi in uso fuisse constat, et ita multari ac castigari.

L. Sulla Lucii Corneli Sullae vita a Plut. conscripta videatur. Crudeliorem certe Mario fuisse constat. Nihil

Digitized by Google

quam pericula erant, sanavit: qui quum a Praenestina arce, usque ad Collinam portam, per sanguinem humanum incessisset, alia edidit in urbe praelia, alias caedes: legiones duas, quod crudele est post victoriam, quod nefas post fidem, in angulo congestas contrucidavit, et proscriptionem commentus est: dii magni! ut qui civem Romanum occidisset, impunitatem, et pecuniam, tantum non civicam acciperet. Ingratus Cn. Pompeius: qui pro tribus consulatibus, pro triumphis tribus, pro tot honoribus, quos ex maxima parte immaturus invaserat, hanc grâtiam reipublicae reddidit, ut in possessionem eius alios quoque induceret, quasi potentiae suae detracturus invidiam, si quod nulli licere debebat, pluribus li-

illa (Marii) victoria fuisset crudelius, nisi mox Sullana esset secuta, ait Vell. II. Mario a. u. 688 mortuo, Sulla rediit in Italiam, nullo qui ipsi resisteret invento, nisi in Campania. Ibi praeliis quibusdam commissis oppugnavit Sulla Marium iuniorem *Praeneste* (nunc *Palestrine*) inclusum, et urbe ista Sullae legato Lucetio Ofellae tradita, Marioque sua ipsius manu trucidato, Sulla pulcherrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo homine fuit, inquinavit (Liv. Epitom. lib. LXXXVIII). Cf. Appiani B. C. I, c. 84-94. P. Orosii Hist. V, 20 et 21, fol. 221 edit Colon. 1561, 8.

Durioribus...sanavit. Lucan. Phars. lib. II, 140 sqq.: *Ille quod exiguum restabat sanguinis Urbi Hausit; dumque nimis iam putria membra recidit, Excessit medicina modum, nimiumque secuta est, Qua morbi duxere, manus.*

Quum a Praenestina arce. Vid. notam praecedentem de L. C. Sulla.

Legiones.... contrucidavit. Cf. de Clement. I, 12 not. Dio Cass. I, p. 55 Reim. Factum hoc est in Circo flaminio, qui extra urbem in Campo Martio ad radices Capitolini montis iuxta aedem Bellonae situs erat: cf. Donatus de urbe Rom. I, 11.

Pecuniam, duo talenta, h. e. fere 11,200 fr. pretium erat, Plutarcho narrante in Sulla c. 31.

Cneius Pompeius. Vitam eius Plutarchus conscripsit. Sulla eum amavit, viamque ad honores consequendos muniit.

Immaturus. Ipse Pompeius hoc dixerat in concione a. u. 700 habita. Plut. III, p. 819, c. 54 init. Reisk. Honores consequutus est ne senatoria quidem aetate, et bis triumphavit adhuc eques romanus. Annos 23 natus res gerere coepit, civili bello Sullae adiunctus, qui eum imperatorem salutavit et connubio cum cognata sua secum iunxit. Appian. B. C. I, 80.

Alios. M. Crassum et Cai. Iulium Caesarem a. u. 694: proprie auctor huius triumviratus fuit Iulius Caesar. Appian. II, 9.

Digitized by Google

5 cuisset : dum extraordinaria concupiscit imperia ; dum provincias, ut eligat, distribuit ; dum ita cum tertio rempublicam dividit, ut tamen in sua domo duae partes essent ; eo redegit populum Romanum, ut salvus esse non posset, nisi beneficio servitutis. 6 Ingratus ipse Pompeii hostis ac victor : a Gallia Germaniaque bellum in Vrbem circumegit, et ille plebicola, ille popularis, castra in circo Flaminio posuit, propius quam Porsennae fuerant. Temperavit quidem ius crudelitatemque victoriae : quod dicere solebat, praestitit : neminem occidit nisi armatum. Quid ergo est ? Caeteri arma cruentius exercuerunt, satiati tamen aliquando abiecerunt : hic gladium cito condidit, nunquam posuit. Ingratus Antonius in dictatorem

Extraordinaria, etc. E. c. bellum contra piratas, quibus mare diebus XL purgavit.

Eligat. Sic elegit sibi Hispanias et Africam, distribuit Caesari Gallias et Illyricum, Crasso Syriam.

Dum ita cum tertio rempublicam dividit. Hanc lectionem e codice Naz. libro omnium principe, qui habebat, *dum ita dum tertio remp. dividit*, restituit Grut., una modo literula mutata, cui assentitur Gron. qui tamen quam Erasmus aliique praestant scripturam, *dum ita triumviris rem. dividit* defendi posse contra Grutero non dubitat.

Vt tamen in sua... essent : Caesaris filia Iulia in matrimonium ducta a. V. 694 : qua mortua in puerperio a. V. 700, vinculum laxius factum, mox ruptum est. Plut. vit. Pompeii c. 47 fin. Vol. III, p. 805, 817 sq.

Hostis ac victor. C. Iulius Caesar a partibus Marii steterat, ideoque *plebicola* et *popularis :* summis largitionibus populum sibi conciliaverat : Plut. IV, p. 178 Reisk. : legem agrariam de agro Campano atque Stellate pertulit. Plut. III, 804-806, c. 47, Pompeii vit.

A Gallia. Vulgata lectio *qui a Gallia*. Non habent codd. Grut. qui delent pronomen, quod et abesse potest : itaque delevi.

Castra in circo Flaminio posuit. Vnum Senecam haec narrasse monuit Lipsius : ipse Caesar, Civil. Bell. I, c. 32, scribit sese, militibus in proxima municipia deductis, ad urbem profectum. Habuit autem senatum more imperatorum in templo Apollinis iuxta Circum Flaminium, et praesidii causa, nec tanquam hostis, milites quosdam in vicinia collocasse videtur.

Porsennae qui in Ianiculo castra habuit.

Neminem... armatum : consentit Vell. Patercul. et alii : et armatorum quae quantaque multitudo ab eo praeliis occisa est ! Si Plinium H. N. VII, 25, audias, 1,192,000 interfecta sunt.

Posuit, ius sibi gladium educendi semper servavit perpetua illa dictatura.

suum, quem iure caesum pronuntiavit, interfectores eius in provincias et imperia dimisit, patriam vero proscriptionibus, incursionibus, bellis laceratam, post tot mala destinavit ne Romanis quidem regibus, ut quae Achaeis, Rhodiis, et plerisque urbibus claris ius integrum, libertatemque cum immunitate reddiderat, ipsa tributum spadonibus penderet.

XVII. Deficiet dies enumerantem ingratos usque in ultima patriae exitia. Aeque immensum erit, si percurrere coepero, ipsa respublica quam ingrata in optimos ac devotissimos sibi fuerit, quamque non minus saepe peccaverit, quam in ipsam peccatum est. Camillum in exsilium misit, Scipionem dimisit; exsulavit post Catilinam Cicero, diruti eius penates, bona direpta, factum quidquid victor Catilina fecisset. Rutilius innocentiae pretium tulit, in Asia latere: Catoni populus Romanus praeturam negavit, consulatum 2

Antonius. De Antonio cf. Plutarchi ipsa haec exempla attulisse, quae omnia in notissimis sunt.

Iure caesum. Recte observat Lipsius, neminem hoc praeter nostrum memoriae prodidisse. Animo tamen Antonii maligno et eius consiliis non adversatur: et factis certe suis, quum interfectores non persequeretur, ingratum animum ostendit.

Rutilius. Cf. Consol. ad Marc. XXII, 2 not. de Provid. c. 3. Saepissime huius Rutilii, et praestantissimi et sanctissimi viri, qui a Sulla ex exsilio revocatus redire noluit, mentio iniicitur a nostro aliisque, e. c. Cicerone (cf. Ernesti Index histor. h. v.); Athenaeo IV pag. 168 c., ubi Schweigh. monet, praeter Athenaeum, neminem Apicii accusatoris nomen memoriae prodidisse. In exsilio, quod Smyrnae, ubi paene a Mithridate interfectus esset, egit, historiam populi rom. graece, sed vitam suam latine scripsit, Athenaeo l. l. et VI, 274, XII, 543, auctore. Cf. Io. Gerh. Voss. de Historic. lat. I, 9. De *Catone* Vticensi vid. Plut. To. IV Reisk. p. 434 sq. Vatinius ei praelatus praeturam ambienti: nec Consul creatus est.

Interfect. eius. Sic. cod. Naz. al., vulgata tenuit *interfectoresque eius*.

Ne Romanis quidem regibus, sed suae Cleopatrae.

Spadonibus. Respexisse videri potest noster ad Horatium Epod. I, 9, 7 sq. et Carm. I, 37, 5 sq. Propert. III, 11, 31 et 32: *Coniugii obsceni pretium Romana poposcit Moenia, et addictos in sua regna patres*.

XVII. Aug. Continuatio.

Camillum in exsilium, etc. Lipsius observavit recte Valer. Max. V, 3,

pernegavit. Ingrati publice sumus. Se quisque interroget: nemo non aliquem queritur ingratum. Atqui non potest fieri, ut omnes querantur, nisi querendum
3 est de omnibus: omnes ergo ingrati sunt. Tantum? et cupidi omnes, et maligni omnes, et timidi omnes, illi in primis qui videntur audaces. Adiice, et ambitiosi omnes sunt, et impii omnes. Sed non est quod irascaris. Ignosce illis: omnes insaniunt. Nolo te ad incerta revocare, ut dicam, vide quam ingrata sit iuventus. Quis non patri suo supremum diem, ut innocens sit, optat? ut moderatus, exspectat? ut pius, cogitat? Quotus quisque uxoris optimae mortem
4 timet, ut non et computet? Cui, rogo, cui litigatori defenso, tam magni beneficii ultra res proximas memoria duravit? Illud in confesso est; quis sine querela moritur? quis extremo die dicere audet:

Vixi, et quem dederat cursum fortuna, peregi?

quis non recusans, quis non gemens exit? Atqui hoc ingrati est, non esse contentum praeterito tempore.

Atqui non potest... omnibus. Sententiae acumen hoc est: Omnes querantur: singuli autem fere de singulis, certe diversis: ergo omnes ingrati, quod querela ea evincit.

Tantum? et... omnes. Haec et sequentia spectant ad Stoae paradoxon: omnia vitia in omnibus esse. Iam quum et stulti sint, omnes quoque insaniant necesse est. Locus celeberrimus est Horatii Serm. II, 3. Cf. Lipsii Manuduct. III, 20.

Nolo te ad incerta revocare... vide, quam. Sic ordinat voces has codex Naz. quum alias *vide* post *quam* ponatur.

Vt innocens sit, optat. Quis, quantumvis innocens videatur, non optat, etc. Eodem modo interpretanda sunt sequentia *ut moder., ut pius.*

Nolo te... computet? Respicit ad Ovid. Metam. I, 144 sq. non sine acerba ironia.

Cui, rogo, cui, etc. Vivide indignationem exprimit, et inde pronominis repetitio est. Illud *rogo* est oro te, quaeso, rogo te. Moneo, quoniam vidi nuper virum doctum a *rogus* deduxisse. Versus est Virgil. Aen. IV, 653.

Cui, rogo, cui litigatori defenso *Cui* repetitum debemus Codici Naz.

Praeterito optimi codd. praestant: alii *praestito*, errore ex compendiaria scribendi ratione orto. Gronov. emendat *praedicto*, Erasmus habet *praefato*. Sed codicibus libenter obtemperamus.

Digitized by Google

Semper pauci dies erunt, si illos numeraveris. Cogita, 5
non esse summum bonum in tempore: quantumcumque est, boni consule. Vt prorogetur tibi dies mortis, nihil proficit ad felicitatem: quoniam mora non fit beatior vita, sed longior. Quanto satius est, gratum adversus perceptas voluptates, non aliorum annos computare, sed suos benigne aestimare, et in lucro ponere? Hoc me dignum iudicavit Deus! hoc satis 6
est. Potuit plus! sed hoc quoque beneficium est. Grati simus adversus deos, grati adversus homines, grati adversus eos, qui nobis aliquid praestiterunt; grati etiam adversus eos, qui nostris praestiterunt.

XVIII. « In infinitum, heus, inquit, me obligas, quum dicis, et *nostris;* itaque pone aliquem finem. Qui filio beneficium dat, ut dicis, et patri eius dat. Primum unde, quo, quaero. Deinde illud utique mihi determinari volo, si et patri beneficium datur, numquid et fratri? numquid et patruo? numquid avo? numquid uxori, et socero? Dic mihi, ubi de- 2
beam desinere, quousque personarum seriem sequar. » — Si agrum tuum coluero, tibi beneficium

Semper pauci dies erunt, etc. Non interesse, quam diu, sed quam bene vixeris, saepe a Nostro etiam monitum est, e. c. Epist. LXXVII; de Brevit. Vit. c. 1; Ep. LXX, XCIII, CI. Cf. Ovid. Metam. X, 32 et egregia illa Virgil. Aen. X, 407 sq.: *Stat sua cuique dies: breve et irreparabile tempus Omnibus est vitae: sed famam extendere factis, Hoc virtutis opus;* et Horatii Carm. I, 9, 14: *Quem Fors dierum cumque dabit, Lucro appone.*

XVIII. Arg. Quousque grati esse debeamus, interrogatur.

In infinitum. Sc. tempus. Ex illis: *et nostris* concludere licet, nunquam grati animi fore finem: hinc quaeritur, quando eius finis fuerit. *Vnde* initium capit, et *quo*, usque ad quod tempus durat, pertinet.

In infinitum, heus, inquit, etc. Naz. codex et alii dabant: *In infinitum eius inquit:* unde Gronov. egregie coniecit *heus*, quod recepi. Est, ait, imitatio sermonis vulgaris.

Dic mihi, ubi debeam desinere. Pers. Sat. VI fin.: *Depunge ubi sistam, Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi.* Et ipse noster infra hoc ratiocinio adversariorum dicit Soriten incipi inexplicabilem. Vid. c. 19 fin.

dedero: si domum tuam ardentem restinxero, aut ne concidat excepero, tibi beneficium non dabo? Si servum tuum servavero, tibi imputabo: si filium tuum servavero, non habebis beneficium meum?

XIX. — « Dissimilia ponis exempla: quia qui agrum meum colit, agro beneficium non dat, sed mihi: et qui domum meam, quo minus ruat, fulcit, praestat mihi: ipsa enim domus sine sensu est. Debitorem me habet, quia nullum habet. Et qui agrum meum colit, non illum, sed me demereri vult. Idem de servo dicam; mei mancipii res est, mihi servatur: ideo ego
2 pro illo debeo. Filius ipse beneficii capax est: Itaque ille accipit; ego beneficio laetor; contingor, non obligor. » — Velim tamen, tu qui debere non putas, respondeas mihi: Filii bona valetudo, felicitas, patrimonium, pertinet ad patrem? felicior futurus est, si salvum habuerit filium; infelicior, si amiserit? Quid ergo? qui et felicior fit a me, et infelicitatis maximae periculo liberatur, non accipit beneficium?
3 — « Non, inquit; quaedam enim in alios conferuntur, sed ad nos usque permanant; ab eo autem exigi quidque debet, in quem confertur: sicut pecunia ab eo petitur, cui credita est, quamvis ad me illa aliquo

Aut ne concidat e Gruter. emend. est, auctore cod. Naz., qui habebat *aut ne non cidat*. Vulg. *aut ne cadat*.

Excepero fulcris: explicat ipse sequenti capite: Et qui domum meam quo minus ruat, fulcit.

XIX. Anc. Fines, ad quos extendatur, et ubi desinat gratus animus, vix definiri possunt.

Praestat, dat beneficium.

Debitorem me habet ille qui hoc facit.

Mei mancipii, i. e. dominii. Cf. Ernesti cl. Cic. h. v. Res mancipii mei est, quam mancipare, manu capere possum, et quae mihi est mancipata, tradita. *Servum* autem rem, non personam, esse Romae, constat.

Filius etsi legibus romanis sub potestate patria est, tamen est persona, est liber homo, est ingenuus, nec, ut servus, res: ideo accipere et obligari potest, servus non item.

Pertinet. Nonne eorum vis est ad patrem?

Non, inquit, non, respondes.

modo venerit. Nullum beneficium est, cuius commodum non et proximos tangat, nonnunquam etiam longius positos. Non quaeritur, quo beneficium ab 4
eo cui datum est, transferatur, sed ubi primo collocetur; a reo tibi ipso et a capite repetitio est. » — Quid ergo? oro te, non dicis, Filium mihi donasti, et si hic perisset, victurus non fui? pro eius vita beneficium non debes, cuius vitam tuae praefers? Etiamnunc quum filium tuum servavi, ad genua procumbis, diis vota solvis, tanquam ipse servatus. Illae vo 5
ces exeunt tibi: Nihil interest, mea an me servaveris, duos servasti: immo me magis. Quare ista dicis, si non accipis beneficium? — « Quia et si filius meus pecuniam mutuam sumpserit, creditori numerabo, non tamen ideo ego debuero: quia et si filius meus in adulterio deprehensus erit, erubescam, non ideo ego ero adulter. Dico me tibi obligatum pro filio, non 6
quia sum, sed quia volo me offerre tibi debitorem voluntarium. At pervenit ad me summa ex incolumitate eius voluptas, summa utilitas, et orbitatis gravissimum vulnus effugi. Non quaeritur nunc, an profueris mihi, sed an beneficium dederis; prodest enim et animal, et lapis, et herba: nec tamen beneficium dant, quod nunquam datur, nisi a volente. Tu autem 7
non vis patri, sed filio dare: et interim ne nosti quidem patrem. Itaque quum dixeris, Patri ergo beneficium non dedi, filium eius servando? contra oppone, Patri ergo beneficium dedi, quem non novi, quem non cogitavi? Et quid quod aliquando evenit, ut pa-

Nullum beneficium... positos: melior fit beneficio (supra XIII, 2), ut hoc utar, ille qui beneficia acceperit, ideoque *commodum*, utilitas eius, εὔχρηστον, ad *longius* tempore *positos* posteros pertinet.

A reo, ab illo qui beneficium acceperit, ideoque reus nunc fit, quatenus est unde petitur.

trem oderis, filium serves: beneficium ei videberis dedisse, cui tunc inimicissimus eras, quum dares? »
8 — Sed ut, dialogorum altercatione seposita, tanquam iurisconsultus respondeam, mens spectanda est dantis. Beneficium ei dedit, cui datum voluit. Sicut si in patris honorem fecit, pater accepit beneficium: sed pater beneficio in filium collato non obligatur, etiam si fruitur. Si tamen occasionem habuerit, volet et ipse praestare aliquid; non tanquam solvendi necessitatem habeat, sed tanquam incipiendi causam. Repeti a patre beneficium non debet; si quid pro hoc benigne facit, iustus, non gratus est. Nam illud finiri non potest: si patri do beneficium, et matri, et avo, et avunculo, et liberis, et affinibus, et amicis, et servis, et patriae. Vbi ergo beneficium incipit stare? Sorites enim ille inexplicabilis subit: cui difficile est modum imponere, quia paulatim surrepit, et non
10 desinit serpere. Illud solet quaeri: Fratres duo dissident; si alterum servo, an dem beneficium ei, qui fratrem invisum non periisse moleste laturus est? Non est dubium, quin beneficium sit etiam invito prodesse; sicut non dedit beneficium, qui invitus profuit.

Dialogorum altercatione seposita. Hac iude a Socratis tempore usi sunt philosophi, magistrum illum suum celeberrimum sequuti: nam omnis fere philosophorum domus a Socrate originem suam ducit: quippe quem scimus dialogis interrogationibusque docere solitum fuisse. Hinc adeo interrogationem pro conclusione in usu fuisse supra plurimis in locis vidimus.

Respondeam: fuisse hanc iurisconsultorum vocem propriam, de iure, s. ius respondere constat. Cf. Ernesti Cl. Cic. h. v. Vtitur autem hac imagine, quoniam qui responderunt iurisconsulti, formulas legesque laudarent (unde cantores formularum appellati sunt), atque ideo, nemine contradicente, consilia sua, tanquam e tripode, darent. Colorem orationis proinde iurisprudentium breviter et concise respondentium h. l. statim imitatur.

Incipiendi officium, amicitiam.

Soritis, σωρίτης, conclusio quasi acervalis. Cf. Cic. Acad. IV, 16, 29. Conclusio alia ex alia manat et acervus quasi fit conclusionum, donec eo

XX. « Beneficium, inquit, vocas, quo ille offenditur, quo torquetur? » Multa beneficia tristem frontem et asperam habent, quemadmodum secare et urere ut sanes, et vinculis coërcere. Non est spectandum, an doleat quis beneficio accepto, sed an gaudere debeat. Non est malus denarius, quem barbarus et ignarus formae publicae reiecit. Beneficium et odit, et accepit, 2
si modo id prodest, si is qui dabat, ut prodesset dedit; nihil refert an bonam rem malo animo quis accipiat. Agedum, hoc in contrarium verte. Odit fratrem suum, quem illi expedit habere: hunc ego occidi; non est beneficium, quamvis ille dicat esse, et gaudeat. Insidiosissime nocet, cui gratiae aguntur pro iniuria. Video. Prodest aliqua res, et ideo beneficium est: 3
nocet, et ideo non est beneficium. Ecce, quod nec prosit, nec noceat, dabo: et tamen beneficium est. Patrem alicuius in solitudine exanimem inveni, corpus eius sepelivi: nec ipsi profui; quid enim illius pervenias; quo velis. Celebris est erudita tractatio hac de re inter Facciolati Acroases. Caeterum vid. supr. cap. 18, pag. 535, not. *Dic mihi ubi*, etc.

Sorites enim ille inexplicabilis. Reduxit Gronov., Grutero suadente, e codd. et olim cusis: vulg. *inexplebilis.*

XX. Arg. An triste beneficium invito etiam dari possit?

Multa beneficia... coërcere: utrumque medicus suadere potest, qui insanum et vinculis coërceri iubere solet, donec sanetur. Nos quidem mala, quae a Deo nobis immissa credimus, pro beneficiis habere docemur, et illis ita uti, ut in beneficia mutentur.

Denarius. Nummus argenteus fuit qui ad annum Vrbis condit. 536 denos asses aequavit; at postea sexdecim continuit. Quatuor igitur sestertii in hoc erant. Nostrarum pecuniarum esset fere o fr. 81 c.

Nec ipsi profui: nam noster saepius iam declaravit, se repudiare omnes illas fabulas atque superstitionum commenta de manibus eorumque errore circa Stygem, donec sepelirentur. Quas tamen nullus non poëta decantat. Homer. inprimis, Iliad. ψ: Θάπτε με ὅττι τάχιστα πύλας Ἀΐδαο περήσω Τήλέ με εἴργουσιν ψυχαὶ εἴδωλα καμόντων, Οὐδέ μέ πω μίσγέσθαι ὑπὲρ ποταμοῖο ἐῶσιν· Αλλ' αὕτως ἀλάλημαι ἀν' εὐρυπυλὲς Ἄϊδος δῶ. Catull. simil. in Ariad. *Pro quo dilaceranda feris dabor alitibusque Praeda, nec iniecta tumulabor mortua terra.* Virg. quoque Aeneid. lib. VI, et Horat. Carm. lib. I, od. XXVIII, de Archyta: *At tu, nauta, vagae ne parce malignae*

Digitized by Google

intererat quo genere dilaberetur? nec filio; quid enim
4 per hoc commodi accessit illi? Dicam quid consecutus sit: officio solemni et necessario per me functus est. Praestiti patri eius, quod ipse praestare voluisset, nec non et debuisset. Hoc tamen ita beneficium est, si non misericordiae et humanitati dedi, ut quodlibet cadaver absconderem, sed si corpus agnovi, si filio tunc hoc praestare me cogitavi. At si terram ignoto mortuo inieci, nullum habeo huius officii debitorem, in publi-
5 cum humanus. Dicet aliquis, Quid tantopere quaeris, cui dederis beneficium, tanquam repetiturus aliquando? Sunt qui nunquam iudicant esse repetendum, et has causas afferunt. Indignus etiam repetenti non reddet: dignus ipse per se referet. Praeterea si bono viro dedisti, exspecta; ne iniuriam illi facias appellando, tanquam non fuisset sua sponte redditu-
6 rus; si malo viro dedisti, plectere. Beneficium verbo

arenae, Ossibus et capiti inhumato Particulam dare. Sed iuter Romanos iam Cicero in Orat. pro Roscio Amerino 24, publice haec ridere non dubitavit.

Quo genere dilab. I. e. qua ratione *dilaberetur* in pulverem. — *Dilaberetur* vero est solveretur, in cineres et fragmina recederet. Gallic. *se dissoudre.* Namque mori, vel perire nihil aliud est quam partium segregatio et disiunctio quae, ut ante exitium et post exitium exstant, manent, ὄντως εἶναι, et non, ut prius, copulatae coaptataeque. Trabes non periere, periit tamen compages. Virgil. optime explicat his versib. Aeneid. lib. VI: *Penitusque necesse est Multa diu concreta modis inolescere miris.*

Officio. Officium enim hoc erat consuetum, et humanitate cuilibet impositum.

At si terram... inieci. Quintil. Declamat. 5: *Ignotis cadaveribus humum congerimus et insepultum corpus nulla festinatio tam rapida transcurrit, ut non quantulocumque veneretur aggestu.* Res notissima est vel ex Horat. Carm. lib. I, od. 28, 35, et Dorvill. ad Charitou. IV, 1, p. 422 ed. Lips.

In publicum humanus. Naturae et humanitati hoc tribuens.

Si malo viro dedisti, plectere. Erasmus divinaverat sic scribendum esse, quum omnes codd. mss. darent, *flectere.* — *Plectere*, i. e. lue poenas imprudentiae. Assensi sunt optimi critici, Gruterus, Lipsius et Gronovius, qui ad haec docet, haec verba *plector* et *flector* interdum in codd. commutari, e. c. ap. Plaut. Trucul. II, scen. 3.

Digitized by Google

ne corruperis, creditum faciendo. Praeterea, lex quod non iussit repeti, vetuit. Vera sunt ista; quamdiu me nihil urget, quamdiu fortuna nihil cogit, petam potius beneficium quam repetam: sed si de salute liberorum agitur, si in periculum uxor deducitur, si patriae salus ac libertas mittit me etiam quo ire nollem, imperabo pudori meo, et testabor omnia me fecisse, ne opus esset mihi auxilio hominis ingrati; novissime recipiendi beneficii necessitas repetendi verecundiam vincet. Deinde, quum bono viro beneficium do, sic do, tanquam nunquam repetiturus, nisi necesse fuerit. 7

XXI. « Sed lex, inquit, non permittendo exigere, vetuit. » Multa legem non habent, nec actionem, ad quae consuetudo vitae humanae, lege omni valentior, dat aditum. Nulla lex iubet amicorum secreta non eloqui; nulla lex fidem etiam inimico praestare. Quae lex ad id praestandum nos quod alicui promisimus, alligat? Querar tamen cum eo qui arcanum sermonem 2 non continuerit; et fidem datam, nec servatam, indignabor. « Sed ex beneficio, inquit, creditum facis. » Minime: non enim exigo, sed repeto; et ne repeto quidem, sed admoneo. Ne ultima quidem necessitas

Praeterea... vetuit. Sc. repeti. Tractat haec sequenti capite.

XXI. Arg. An repetere beneficium liceat? usque ad finem libri.

Sed lex, inquit, non permittendo, etc. De his rebus nulla legislatio quidquam constituit, sed ad ἐννοίας κοινὰς, ad communes omnibus sententias, quae domestica disciplina, educatione, vitae humanae consuetudine, denique ratione, legislatore nostro optimo, docentur, referenda haec esse censuere legum latores. Rem enim, quae inter animos geritur, lex nulla curat. Hinc poëtis didacticis reservabantur talia apud veteres, hinc mysteria praecepta haec salubria inculcabant. Exemplo est Horat. Carmin. lib. III, Od. II, 25: *Est et fideli tuta silentio Merces:* quae sententia, monente Wittenbachio in Bibl. crit. III, 1, p. 40, ex illo Simonideo, Αλλ' ἐστὶ καὶ σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας, expressa est. Pindarus quoque aliquid non absimile habet: Οὔ τοι ἅπασα κερδέων, φαίνοιτο πρόσωπον ἀληθεία ἀτρεκής· καὶ σιγᾶν πολλάκις ἐστὶ σοφώτερον νοῆσαι.

Ne ultima quidem necessitas. Sic

in hoc aget, ut ad eum veniam, cum quo diu mihi luctandum sit. Qui tam ingratus est, ut illi non sit satis admoneri, eum transibo, nec dignum iudicabo, qui gratus esse cogatur. Quomodo foenerator quosdam debitores non appellat, quos sit decoxisse, et in quorum pudorem nihil superest quod pereat: sic ego quosdam ingratos palam ac pertinaciter praeteribo, nec ab ullo beneficium repetam, nisi a quo non ablaturus ero, sed recepturus.

XXII. Multi sunt, qui nec negare sciunt quod acceperunt, nec referre: qui nec tam boni sunt quam grati, nec tam mali quam ingrati, segnes et tardi, lenta nomina, non mala. Hos ego non appellabo, sed commonefaciam, et ad officium aliud agentes educam, qui statim mihi sic respondebunt: Ignosce, non mehercule scivi hoc te desiderare, alioquin ultro obtulissem. Rogo ne me ingratum existimes: memini quid mihi praestiteris. Hos ego quare dubitem et sibi meliores et mihi facere? Quemcumque potuero, peccare prohibebo, multo magis amicum, et ne peccet, et ne in me potissimum peccet. Alterum illi beneficium do, si illum ingratum esse non patior: nec dure

est in mss. Grut. et Pinc, Erasmus aliique: *Nam ultima quoque necessitas.* Saepe in codd. *nam*, *non*, *ne*, *num*, permutantur. H. l. negativa desideratur.

Luctandum sit. Altercatione exprimendum beneficium.

XXII. Aac. Quomodo agendum erga illos sit, qui nec immemoris animi taxandi, nec gratiam tamen referentes celeriter, in ambiguo stare videntur. Hi saepius commonendi, impellendi; negligendi interdum, ita tamen ut gratos tandem se ostendant manifesto.

Qui nec negare sciunt. Noli emendare *sciant.* Senecae aevo et indicativus, et subiunctivus promiscue hoc casu ponitur instar poëtarum. Cf. lib. VII, cap. 5, 2. Sic cap. 20, 5 occurrit: *Sunt, qui iudicant et afferunt.* Alibi subiunctivus ponitur a Nostro.

Lenta nomina. Lenti debitores: qui tardi sunt in solvendo aere alieno. Notum est Alphii foeneratoris ex Horatii Epod. II, famosi dictum, quod laudat Columella I, 7, 2: *optima mala nomina non appellando fieri.* Cf. Bentl. ad Horat. Epod. II, etc. *Appellare* vero est *in ius vocare*, citare. Cicer de Offic. lib. I, cap. 33: *Cavendum est ne iisdem de causis*

Digitized by Google

illi exprobrabo quae praestiti, sed quam potero mollissime, ut potestatem referendae gratiae faciam, renovabo memoriam eius, et petam beneficium: ipse me repetere intelliget. Aliquando utar verbis durio- 3
ribus, si emendari illum speravero posse; nam deploratum propter hoc quoque non exagitabo, ne ex ingrato inimicum faciam. Quod si admonitionis quoque suggillationem ingratis remittimus, segniores ad red-
denda beneficia faciemus. Quosdam vero sanabiles et 4
qui fieri boni possunt, si quid illos momorderit, perire patiemur admonitione sublata, qua et pater filium aliquando correxit, et uxor maritum aberrantem ad se reduxit, et amicus languentem amici fidem erexit.

XXIII. Quidam ut expergiscantur, non feriendi, sed commovendi sunt; eodem modo quorumdam ad referendam gratiam fides non cessat, sed languet; hanc pervellamus. Noli munus tuum in iniuriam ver-

alii plectantur, alii ne appellentur quidem.

Exprobrabo, Ita edit. Erasmi et recte. Gruterianitamen *illi eaprobabo*, quae itidem placere possunt, quamquam pro felici calami aberratione habeam.

Suggillationem. A corpore est sumptum; ὑπωπιασμὸς est nota et livor e verbere; interpretare: castigationem. Conf. Noster, Epist. XIII, 2.

Momorderit e codd. Piuc. et Grut. repositum pro vulg. *si quod illos remorderet.*

XXIII. Arg. Continuatio eiusdem materiae. Quosdam aliquo modo verberandos ut expergiscantur et memores se praestent, quosdam tantum pervellendos. Cavendum enim inprimis, ne et beneficium simul, et amicum perdas.

Ut expergiscantur. Simplex et obvia μεταφορά: nam qui lenti et inertia quasi consepulti, nec immemores beneficii sunt, nec memorem animum ostendunt, dormientium dormitantiumve simillimi videntur.

Commovendi sunt. Italice, *scuoterli.*

Fides non cessat. H. e. non quiescit omnino ab omni labore, non otiatur, feriatur, desidiosus sedet. Cicer. de Nat. Deor. lib. III, c. 34: *Cur tam multos Deos cessare et nihil agere patitur.* Horat. Carmin. lib. III, Od. XIX: *Cur Berecynthiae Cessant flamina tibiae? Cur pendet tacita fistula cum lyra.* Id. lib. III, Od. XXVIII: *Pareis deripere horreo Cessantem Bibuli consulis amphoram.* Eodem tamen sensu *cessare* et *desinere* interdum occurrunt; Graec. παύεσθαι. Catull. Carm. XCIX, vss. 11, 12: *Praeterea infesto miserum me tradere amori Non cessasti, omnique exeruciare modo.*

tere. Iniuria est enim, si in hoc non repetis, ut ingratus sim. Quid si ignoro, quid desideres? quid si occupationibus districtus, et in alia vocatus, occasionem non observavi? ostende mihi quid possim, quid
2 velis. Quare desperas, antequam tentas? Quare properas et beneficium, et amicum perdere? unde scis, nolim, an ignorem; animus, an facultas desit mihi? experire. Admonebo ergo, non amare, non palam, sine convicio: sic, ut se redisse in memoriam, non reduci putet.

XXIV. Causam dicebat apud divum Iulium ex ve-

Iniuria est enim.... sim. Iniuriam mihi affers non repetendo: nam ita ingratus sim necesse est, nescius qua in re tibi gratum animum praestare possim. Itaque non repetis eo consilio, ut ingratus sim.

In alia. Munera et officia.

Et beneficium et amicum perdere: beneficium, dum rem datam non recuperaturus es, quam violenter et iofenso vultu repetis; amicum, quem a necessitate gratiae habendae liberas, inimicum te praestans, et verbis hostilibus usus.

Vnde scis, nolim, an ignorem. Quod tu cupis, ego tibi non dono; at quid in causa est? quod nolim dare? quod cupidinem ego tuam ignorem? Si prius verum, culpae ego sum proximus, neque diffiteor; at si posterius, innoxius iam ero. Quamobrem refert non parum ignarusne sim, an gnarus. Tu vero qui me obiurgas, huius differentiae rationem nullus habes, nec prius percontaris de causa, quam in me inveharis.

Se redisse in memoriam, non reduci putet. H. e. se sponte credat meminisse, non quia aliquis impulerit commonefeceritque.

XXIV. Arg. Exemplum veterani, qui quum apud Iul. Caesarem causam dicens iamiam damnandus esset, eum acute et mansuete beneficiorum suorum et navatae egregie haud semel operae admonuit, absolutusque est, et agello quem petebat, donatus.

Causam dicebat apud divum, etc. Notum est Iulium Caesarem veteranis pepercisse, quia etiam eorum auxilio magnus factus erat. Multos iam a. V. 707 agris donaverat, qui tamen postea sub eo stipendia meruerunt. Dio Cass. XLIII, 52 sq. Hic fuisse videtur eorum numero: reduci ex praelio ad Mundam ista evenerunt. Hos veteranos, ut fit, feroces factos et terminos suos assidue promovisse constat. Conf. *Couture, Dissertation historique sur les Vétérans*, in *Memoir. de l' Acad. des Inscript.* tom. IV, p. 28 sq. Bis autem Iulius Caesar, bellum gessit in Hispania: primum a. V. 705 contra duces Pompeii Afranium Petreiumque ad Ilerdam et Sicerim, ac his subiugatis contra Varronem duxit (Caesar B. Civ. I, 34 sq. II, 17 sq. Dio Cass. XLI, c. 20 sq.); deinde a. V. 708 contra Pompeii liberos, quos ad Mundam de-

teranis quidam paulo violentior adversus vicinos suos, et causa premebatur. Meministi, inquit, Imperator, in Hispania talum te torsisse circa Sucronem? Quum Caesar meminisse se dixisset: Meministi quidem, inquit, sub quadam arbore minimum umbrae spargente, quum velles residere ferventissimo sole, et esset asperrimus locus, in quo ex rupibus acutis unica illa arbor eruperat, quemdam ex commilitonibus paenulam suam substravisse. Quum dixisset Caesar: Quidni meminerim? et quidem siti confectus, quia impeditus ire ad fontem proximum non poteram, repere manibus volebam, nisi commilito, homo fortis ac strenuus, aquam mihi in galea sua attulisset. Potes ergo, inquit, Imperator, agnoscere illum hominem, aut illam galeam? Caesar ait, se non posse galeam agnoscere,

vicit. Vid. Dio Cass. XLIII, 32 sq. Quum *Sucro* (de quo nos infr. hac ead. pag.) fluvius Hispaniae tarraconensis sit, in qua primum bellum gestum est non sine periculo Caesaris, secundum bellum in provincia baetica: sequitur, utrique bello hunc veteranum affuisse. Caeterum unus Seneca hanc rem narravit.

Paulo violentior. Omnium codd. et edd. quidem haec lectio est, sed Pincian. scribendum putavit: *quidam Publius Militio.* Criticus ille egregius haud dubie ad hunc ingenii lusum ideo deferebatur, quod voces *paulo violentior* cum sequentibus *et causa premebatur* non satis cohaerere ei viderentur, et quod § 2 pro illis *nisi commilito* in uno cod. mss. reperisset *nisi. pro militio.* Hinc et cap. extr. legit, *Militioni suo donavit.* Sed emendatione supersedeamus.

Et causa premebatur. H. e. inferior iamiam futurus esse videbatur et vincendus, convincendus ab adversario cui minus violentiae et irarum in vultu, minor vocis exaltatio, minor in gestu atrocitas.

Talum te torsisse) *Que tu t'es donné une entorse.*

Circa Sucronem? Sucro, amnis mediocris in Hispania Tarraconensi, in meridiem versus primo, mox in orientem flectitur, et Mediterraneum mare ingreditur, non procul oppidulo quod ipsi cognomen vocatur Sucro, hodiern. diebus *Collera*, vel *Cullera.* Ipse amnis hodie *Xucar.*

Meministi quidem. Sic. cod. Naz. aliique et vulgg., quam scripturam cur reiiciamus, equidem non video. Signum interrog. sustuli. Sens. est: Profecto meministi. Alii, *meministi quoque.* Gruterus emend. *Meministin' idem*, quod Comico quam Senecae familiarius est. Lipsius tamen et Gronovius receperunt.

Impeditus propter talum tortum.

Se... hominem pulchre posse. Namque revera memoria ineral Caesari et celerrima simul, et tenacissima, ita ut omnium qui sub illo militaverant

hominem pulchre posse; et adiecit, puto ob hoc iratus, quod se a cognitione media ad veterem fabulam adduceret: Tu utique ille non es. Merito, inquit, Caesar me non agnoscis; nam quum hoc factum est, integer eram; postea ad Mundam in acie oculus mihi effossus est, et in capite lecta ossa. Nec galeam illam si videres, agnosceres; machaera enim Hispana divisa est. Vetuit illi exhiberi negotium Caesar, et agellos, in quibus vicinalis via causa rixae ac litium fuerat, militi suo donavit.

XXV. Quid ergo? non repeteret beneficium ab Imperatore, cuius memoriam multitudo rerum confude-

nomina probe nosset, possetque sive visum militem agnoscere et compellare, sive totius exercitus nomina recitare. Annibal quoque hac dote praepolleus fuit, et ap. Tit. Liv. aperte de hoc gloriatur. Vid. Liv. lib. XXI, cap. 43.

Cognitione. Cognoscere causam, vel simpliciter et μετ' ἐλλείψεως, cognoscere, est de re aliqua inquirere quae in iudicium venit, aut mox ventura est.

Fabulam, historiam.

Integer eram. H. e. non saucius, non unoculus. Vid. infr.

Mundam. Munda, hodie vix mutato nomine *Monda*, urbs Hispaniae, in Baetica, apud Bastulos Paenos, octo millibus distat a mari. Famosa in Romana historia est quod in vicinis campis decertatum est certamen inter Caesarem et Cn. Pompeium Cn. fil.: quod anceps diu Pompeianorum fuga, strage, internecione finitum est, ann. V. C. 709, ant. C. N. 45. Sedulo illa urbs ab amne cognomine distinguenda qui Lusitaniam perfluit, et in Oceanum effunditur, Durium inter et Tagum. Nominatur hodie o *Mondego*.

Et in capite lecta ossa. Allusum, vel lusum in lectione ossium funebri. De Provid. c. 3: remedii causa quibusdam et radi ossa, et legi. Addas Consol. ad Marc. c. 22. *L.* — *Gesner* ad Quintil. VII, 5, 21, p. 395 ait: caput erit quasi bustum, in quo leguntur ossa. —Telo autem fuisse veterani caput fractum per se clarum est, nec lecta ossa in vulneribus eiusmodi extraordinaria.

Machaera... Hispana, i. e. gladio ad pungendum aeque idoneo ac ad caedendum: virtus autem gladii talis eximia erat, docente Diodor. Sic. V, 33; cf. Polyb. II, 33, 5, sq. etc.

Vicinalis via, qua quidem uti vetabatur a vicino, cuius tamen usus militi haud dubie utilis aut necessarius fuerit, ut ad agros prataque sua veniret commodius. Vlpiani explicatio, vicinalem viam esse, quae vel ex vico, vel in vicum ducat, huc non spectat.

XXV. Anc. Veteranum excusat et laudat quod ita se gesserit. Tiberii Caesaris atrox responsum. Conclusio omnium quae praecedunt. Repetenda beneficia; id saepe minus turpiter quam petenda. Et ipsis enim diis

rat? quem fortuna ingens, exercitus disponentem, non patiebatur singulis militibus occurrere? Non est hoc repetere beneficium, sed resumere bono loco positum, et paratum: ad quod tamen ut sumatur, manus porrigenda est. Repetam itaque, quia hoc aut necessitate facturus ero, aut illius causa, a quo repetam. Tiberius Caesar inter initia dicenti cuidam, 2
Meministi, antequam plures notas familiaritatis veteris proferret: Non memini, inquit, quid fuerim. Ab hoc quidni non esset repetendum beneficium? optanda erat oblivio. Aversabatur omnium amicorum et aequalium notitiam, et illam solam praesentem fortunam suam adspici, illam solam cogitari ac narrari volebat: inquisitorem habebat veterem amicum. Magis tempe- 3
stive repetendum est beneficium, quam petendum. Adhibenda verborum moderatio, ut nec ingratus possit dissimulare. Taeendum et exspectandum, si inter sapientes viveremus: et tamen sapientibus quoque in- 4
dicare melius fuisset, quid rerum nostrarum status posceret. Deos quorum notitiam nulla res effugit, rogamus: et illos vota non exorant, sed admonent. Diis

imputari a sacerdotibus sacra. At servanda modestia est, et monitus comiter dandi, ne superbe, invidiose, imperiose facere videamur, quum memoriae lapsui succurrimus.

Exercitus disponentem, ordinantem et regentem.

Occurrere. Nempe memoria, cuius maxime compos fuit, ut notum est, et iam monuimus supra pag. 545 fin.

Tiberius Caesar. Haec unus Seneca retulit.

Inter initia. Lipsius refert ad initia principatus eius: nescio quam bene. Nam initio eius principatus modestia et adulationum aversione insignis fuit. Sueton. Tiber. c. 27 sq. Referam itaque potius ad orationis exordium.

Ab hoc quidni non esset repetendum beneficium? optanda erat oblivio. Restituit Gronovius hanc lectionem ex optimis codd. Naz. aliisque: quum esset: *Ab hoc nedum esset*, etc. aut *Ab hoc diu quam non*, etc.

Vt nec ingratus possit dissimulare. Id est, simulare se non beneficio donatum esse. Hoc sensu Martial. lib. V, epigr. XXXVII: *Laudatus quidam nostro, Faustine, libello, Dissimulat; quasi nil debeat, imposuit.*

quoque, inquam, Homericus ille sacerdos allegat officia, et aras religiose cultas. Moneri velle ac posse, secunda virtus est, et quo obsequentes facias, parere. Huc illuc fraenis leviter motis flectendus est paucis animus, sui rector optimus. Proximi sunt qui admoniti in viam redeunt. His non est dux detrahendus. Opertis oculis inest acies, sed sine usu, quam lumen a diis immissum ad ministeria sua evocat. Instrumenta cessant, nisi illa in opus suum artifex moverit. Inest interim animis voluntas bona: sed torpet, modo deliciis ac situ, modo officii inscitia. Hanc utilem facere debemus, nec irati relinquere in vitio, sed ut magistri puerorum discentium, patienter ferre offensatio-

Homericus.... sacerdos. Chryses, qui initio poëmatis Apollinem his invocat, Iliad. A. vss. 37 sqq. «Κλῦθί μευ, Αργυρότοξ', ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας, Κίλλαν τε Ζαθέην, Τενέδοιο τε ἶφι ἀνάσσεις, Σμινθεῦ· εἴ ποτέ τοι... κατὰ πίονα μηρί' ἔκηα Ταύρων ἠδ' αἰγῶν, κ. τ. λ.

Secunda virtus est. H. e., recte Gronovio explicante, inferioris gradus et dignitatis. Prima autem est, meminisse ipsum et recte facere gratumque esse sine monitore. Notum est illud quum alias usurpatum, tum Minutio equitum magistro apud Livium XXII: *Saepe ego audivi, eum primum esse virum, qui ipse consulat quid in rem sit: secundum eum, qui bene monenti obediat.* (Est Hesiodi sententia, quam etiam divus Basilius adhibuit in opusculo *De legendis Ethnicorum libris.* Typ.)

Diis quoque, inquam..... et aras religiose cultas. Moneri velle ac posse.... est, quo.... parere. Sequor in edendo hoc loco, quem Gruterus se vespillonum siebat curae dudum commisisse, Gronovium, qui e codice Naz. locum restituit. Antea post *cultas* sequebantur voces: *quo obsequentes.... parent*, quas Gron. codd. auctoritate transposuit post *virtus est.*

Proxime sunt, etc. Plane haec ipsa illa virtus secunda; moneri velle ac posse: ideo enim volunt, ut in viam redeant. Eorum, addit Gron., qui reddendi beneficii prudentem et modestum monitorem non adspernantur, consequens et pars secundae virtutis est, consilium pati ut consulant aliis, et parendo ac morem gerendo monitoribus eosdem obsequentes, deditos devotosque sibi facere.

Lumen a Diis immissum vulgata bene habet. — *A diis immisum.* Sidera enim Stoicis et Senecae dii sunt. Cf. de Benef. IV, 23, 4. VI, 22, fin.

Inest...bona. Nam animus quisque natura ita comparatus est, ut bonum velit. Arrian. Diss. III, 8.

Modo deliciis ac situ. I. e. modo commoditatum et voluptatum studio indulgendo, modo desidia correpti.

Digitized by Google

nes memoriae labentis. Quae, quemadmodum saepe subiecto uno aut altero verbo, ad contextum reddendae orationis adducta est, sic ad referendam gratiam admonitione revocanda est.

Digitized by Google

DE
BENEFICIIS

LIBER SEXTVS.

Digitized by Google

ARGVMENTVM

LIBRI SEXTI

Iterum Quaestiunculae, Chrysippeo quodam more. Prima, An beneficium eripi possit? varie disserit, claudit tamen usum eius eripi posse, non ipsum. Secunda, An debeamus ei, qui vel invitus profuit, vel ignarus? negat. Tertia, An ei, qui sua causa nobis profuit? si tantum sua, abnuit: si et mea, admittit. Exempla et argutias miscet. Quarta, An fas incommodi aliquid alteri optare, ut gratiam possis referre? non est, et damnat. Aliam viam aperit referendae gratiae etiam felicibus, etiam Regibus, per consilia, monita, doctrinam. LIPSIVS.

Digitized by Google

L. ANNAEI SENECAE

AD

AEBVTIVM LIBERALEM

DE BENEFICIIS

LIBER SEXTVS.

I. Quaedam, Liberalis, virorum optime, exercendi tantum ingenii causa quaeruntur, et semper extra vitam iacent: quaedam et dum quaeruntur, oblectamento sunt, et quaesita usui. Omnium tibi copiam faciam; tu illa, utcumque tibi visum erit, aut peragi iubeto, aut ad explicandum ludorum ordinem induci. His quoque, si abire protinus iusseris, nonnihil

I. Arg. Nova excusatio quaestiunculorum.

Quaedam, etc. Similia habet lib. V, c. 12.

Extra vitam. Omnes sic codd. At Muretus voluit *extra viam*. Nec dubium, has voces commutari a librariis: sed vult Seneca, nullum haec et huius generis quaesita praebere hominibus usum in vita.

Tu illa.... induci. I. e. tu illa aut pertractanda mihi iniungas, aut tibi tantum ostendi iubeto, ut complexum et argumentum huius materiae cognoscas. Imagine autem scenica ad hanc sententiam illustrandam utitur In ludis enim circensibus solemne Romae fuit, ut ante ludorum initium Deorum simulacra in thensis vehe-rentur, aut ferculis portarentur per theatra aut amphitheatra, sequentibus pugnatoribus, musicis, etc., prout *ordo ludorum*, qui hac pompa explicabatur, postularet. Haec fuit pompa circensis satis celebris, quam ex Ptolemaei pompa (cf. Callinum Athenaei V, 196 sq.) expressam putat Casaubonus. Describit eam Dionys. lib. VII, p. 474 Lips. anni 1691 fol. Cf. Sueton. Iul. Caes. 76 interpr. et

Digitized by Google

actum erit: non etiam quod discere supervacuum est, prodest cognoscere. Ex vultu igitur tuo pendebo, prout ille suaserit mihi: alia detinebo diutius, alia expellam, et capite agam.

II. An beneficium eripi possit, quaesitum est. Quidam negant posse; non enim res est, sed actio: quo modo aliud est munus, aliud ipsa donatio; aliud qui navigat, aliud navigatio: et quamvis aeger non sit sine morbo, non tamen idem est aeger et morbus. Ita aliud est beneficium ipsum, aliud quod ad unumquemque nostrum beneficio pervenit. Illud incorporale est, irritum non fit: materia vero eius huc et illuc iactatur, et dominum mutat. Itaque quum eri-

Lipsii Saturn. II, 18. Nec minus in ludis quoque scenicis per prologos populo *ordinem* ludi esse explicatum aut expositum constat, ad exemplum Euripidis, qui primus moris huius auctor fuisse videtur: in mimis vero argumentum et ordinem agendorum tabula in pariete appensa praescriptum actoribus fuisse verisimile est, ex tempore deinceps ludicra oculo aurique auditorum subiicientibus. Inprimis tamen huc spectat mos ille, quo aedili aliive magistratui munus in gratiam populi edituro exploranda prius erat fabula spectaculive forma et argumentum, quam destinaret.

Ex vultu tuo pend. Nota haec, quo facilius VII cap. init. intelligas.

Et capite agam. Sic Erasmus, codd. Naz. aliique. Alii, *et ea perire agam*, alii, *et ea perite agam*. Sed illud bene habet: quaedam horum, inquit Seneca, inter prete Lipsio, ipsosque homines, pellam et capite prehensos trudam.

II. Arg. Beneficium eripi non potest; hoc sensu quod beneficium sit non in re, at in animo: res quidem ut dari, conferri, ita auferri potest; animi voluntas bona non potest. Donationis et doni distinctio; illud eripitur, haec manet. Comparationes e praeteriti natura quod neque mutari, neque diffingi aliquo modo potest.

An beneficium.... est. Haud dubie a Stoicis, quos tamen ignoramus. Eamdem beneficii distinctionem iam supra attulit noster, I, 6.

Illud incorporale.... sit. Voluntate autem nititur, et virtus est. Alias Stoae fidelior mansit. Nam epist. CVI, 10 sic argutabatur: *Bonum corporis corporale est: bonum hominis et corporis bonum est, itaque corporale est.* Epist. CXVII, 2 sq. Sed sciendum est, corpus et corporale Stoicis esse, insolita significatione, omne id quod quid efficiat sua sponte, et nostrum h. l. nonnisi significationem vulgarem sequutum esse.

Eius. Sic Pinc. et Grut. codd. Antea *illius*. — *Materia vero eius* i. e. beneficii, id ipsum quod datur.

Digitized by Google

pis, ipsa rerum natura revocare quod dedit non potest. Beneficia sua interrumpit, non rescindit. Qui moritur, tamen vixit: qui amisit oculos, tamen vidit. Quae ad nos pervenerunt, ne sint, effici potest: ne fuerint, non potest; pars autem beneficii et quidem certissima est, quae fuit. Nonnunquam usu beneficii longiore prohibemur, beneficium quidem ipsum non eraditur. Licet omnes in hoc vires suas natura advocet, retro illi agere se non licet. Potest eripi domus, et pecunia, et mancipium, et quidquid est, in quo haesit beneficii nomen: ipsum vero stabile et immotum est. Nulla vis efficiet, ne hic dederit, ne ille acceperit.

III. Egregie mihi videtur M. Antonius apud Rabi-

Quae ad nos... non potest. Quatenus actio manet, quae non magis deleri funditus potest quàm vita praeterita. Porro liquet minime impium esse dicere quaedam esse vel Deo impossibilia, illa nempe quae sibi invicem repugnant, et ut apud Scholasticos dicitur, contradictionem implicant. Istiusmodi res vero omnes revolvuntur ad coëxistentiam τοῦ esse et τοῦ non esse in uno subiecto; ut v. g. vivere et mori in eodem temporis articulo, tacere et loqui, moveri et stare, etc. In hac rerum κατηγορίᾳ praeteriti annihilatio esset, si esset; at esse non potest: quod fuit, non est quidem, sed fuit: in futura imperium fors, natura, Deus fortasse habet; at in praeteritum, nil valet. Idem iam Agathon poëta trag. apud Aristot. Ethic. VI, 2, dixit: Μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς στερίσκεται, Ἀγένητα ποιεῖν, ἅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα. Horat. Carm. III, 29, 45: *non tamen irritum, Quodcumque retro est, efficiet (deus), neque Diffinget infectumque reddet, Quod fugiens semel hora vexit.* Cf. Seneca de Brev. Vit. 10, 3.

Ben.... rescindit. H. e. destruit, annihilat, irrita et infecta efficit.

Non eraditur. *Eradere* est quasi radicitus exstirpare; et a radendo derivatur, unde postea vox *radix*. Potest et a radendo recte deduci; nam radere est ne vestigium quidem illius pili qui tondetur, in genis linquere. Hac voce usus Horatius, Carm. lib. III, od. XXIV: *Eradenda cupidinis Pravae sunt elementa.*

Ne hic dederit, ne ille acceperit. H. e. ut hic non dederit beneficium, ut ille non acceperit datum.

III. Aug. In perpetua rerum humanarum inconstantia, posse tamen quaedam in tuto esse; illa nempe quae aliis dantur. Sic igitur opibus suis consulendum; conferenda beneficia; adiuvandos solatiis, nummis, discrimina adeundo, eos qui egent, aut dolent, aut periclitantur.

M. Antonius, ille amicus Iulii Caesaris eiusque cum Octaviano successor, qui ad Actium victus in Aegypto manum sibi ipse intulit. Eius vita Plut. Tom. V Reisk. exstat.

Rabirium. Nomen poëtae huius re-

rium poëtam, quum fortunam suam transeuntem alio videat, et sibi nihil relictum, praeter ius mortis, id quoque si cito occupaverit, exclamare: *Hoc habeo, quodcumque dedi!* O quantum habere potuit, si voluisset! Hae sunt divitiae certae, in quacumque sortis humanae levitate uno loco permansurae: quae quo maiores fuerint, hoc minorem habebunt invi-
2 diam. Quid tanquam tuo parcis? Procurator es. Omnia ista quae vos tumidos, et supra humana elatos oblivisci cogunt vestrae fragilitatis, quae ferreis claustris custoditis armati, quae ex alieno sanguine rapta vestro defenditis; propter quae classes cruentaturas maria deducitis, propter quae quassatis urbes, ignari

duxit Pinc., nam in mss. *Rapirium*, sive *Dapirium*. Erasmus inde cum *Rabirius* tenet. — *Rabirium*. Poëta epicus fuit cui proximum a Virgilio locum dedit Vellei. Paterc. II, 35: modice eum laudat Quintil. X, 1, 90, cf. Ovid. Pont. IV, 16, 5. Quid tamen scripserit et quod argumentum fuerit carminum eius, nullo veterum testimonio compertum est. Nam quod Lipsius ait, bella civica eum scripsisse videri, et Voss. de Histor. lat. I, 21 extr. ex Ovidii verbis: *magnique Rabirius oris*, et ex hoc nostro loco colligit, Rabirium descripsisse bellum Actiacum inter Octavianum Aug. et M. Antonium Triumvirum, mera est coniectura. Cf. Wernsdorf. Poët. Lat. Min. Tom. III, p. xix sq.

Transeuntem alio, sc. ad Augustum.

Videat est omnium fere codd. et edd. lectio. Vnus *viderat*.

Si cito occupaverit, si cito eo usus fuerit.

Hoc habeo... dedi. I. e. haec beneficia habeo, quae dedi et deposui apud alios. Sic Alexander rogatus, ubi haberet thesauros? apud amicos, respondit. Ammian. Marcellin. XXV, p. 294 Vales. Cf. Martial. Epigr. v, 44: *Extra fortunam est, quidquid donatur amicis. Quas dederis, solas semper habebis opes.*

Minorem habebunt invidiam. H. e. minori odio obnoxia erunt: minus odii adversus te concitatura sunt.

Omnia ista, etc. Proprie ad M. Antonium haec spectant, quippe quem crudelem fuisse alieni raptorem, urbiumque vastatorem constat. Din etiam Antonius et Octavius fuere amici, collegae in Triumviratu et Consulatu, quin adeo affines, quum Antonius Octaviani sororem Octaviam uxorem haberet, etc.

Ferreis claustris. Nempe moenibus portisque ferreis.

Ex alieno sanguine rapta. Rapta e necatorum morientium corporibus cruentatis, et quasi de vulneribus mediis et sanguine.

Cruentaturas maria. Horat. Carm lib. II, Od. I, 35: *Quod mare Dauniae Non decoloravere caedes?* Id. Carm·

Digitized by Google

quantum telorum in adversos fortuna comparet; propter quae, ruptis toties affinitatis, amicitiae, collegii foederibus, inter contendentes duos terrarum orbis elisus est; non sunt vestra: in depositi causa sunt, iam iamque ad alium dominum spectantia; aut hostis ista, aut hostilis animi successor invadet. Quaeris quomodo illa tua facias? dono dando. Consule ergo rebus tuis, et certam tibi earum atque inexpugnabilem possessionem para, honestiores illas non solum, sed tutiores facturus; illud quod suspicis, quo te divitem ac potentem putas, quamdiu possides, sub nomine sordido iacet: domus est, servus est, nummi sunt: quum donasti, beneficium est. 3 4

IV. «Fateris, inquit, nos aliquando beneficium non debere ei, a quo accepimus: ergo ereptum est.» Multa sunt, propter quae beneficium debere desinimus: non quia ablatum, sed quia corruptum est. Aliquis reum me defendit: sed uxorem meam per

lib. III', Od. XI, vss. 2 et 3: *Siculum mare Poeno purpureum sanguine.*

Collegii. Collegium vulgo est coetus opificum, servorum, sacerdotum inprimis; et hinc vox collega. Vnde collegium quoque pro communitate dignitatum usurpavere, interdum et pro *sodalitio.* Cicer. pro Sext. c. 32: *Nulla societas vectigalium, nullum collegium, nullum consortium, nullum commune consilium.*

Non sunt vestra.... invadet. Horatii nota carmina, lib. II, Od. XIV: *Linquenda tellus et domus et placens Vxor; neque harum quas colis arborum Te praeter invisas cupressos Vlla brevem dominum sequetur. Absumet haeres Caecuba dignior Servata centum clavibus, et mero Tinget pavimentum superbum Pontificum potiore coenis.* Martial. lib. VII, Epigr. XLIV: *Rape, congere, aufer, posside: relinquendum est! Superba densis arca palleat nummis; Centum explicentur paginae Kalendarum: Iurabit haeres te nihil reliquisse, Supraque pluteum te iacente, vel saxum, Flentes superbus basiabit eunuchos, Tuoque tristis filius, velis nolis, cum concubino nocte dormiet prima.*

Dono dando. Sic Erasm. aliique. Alii *dona dando* s. *donando.*

Honestiores. H. e. honoratiores. Hoc infra explicat dicens: *Quamdiu possides, sub nomine sordido iacet. Domus est, servus est, nummi sunt; quum dedisti, beneficium est.*

IV. Arc. Quando et quomodo beneficium corrumpatur, sive extinguatur.

Digitized by Google

vim stupro violavit. Non abstulit beneficium, sed opponendo illi parem iniuriam, solvit me debito: et si plus laesit, quam ante profuerat, non tantum gratia exstinguitur, sed ulciscendi querendique libertas fit, ubi in comparatione beneficii praeponderavit iniuria: ita non aufertur beneficium, sed vincitur. 2 Quid? non tam duri quidam, et tam scelerati patres sunt, ut illos aversari et eiurare ius fasque sit? Numquid ergo illi abstulerunt, quae dederant? minime: sed impietas sequentium temporum, commendationem omnis prioris officii sustulit. Non beneficium tollitur, sed beneficii gratia: et efficitur, non ne habeam, sed ne debeam; tanquam pecuniam aliquis mihi credidit, sed domum meam incendit: pensatum est creditum 3 damno: nec reddidi illi, nec tamen debeo. Eodem modo et hic, qui aliquid benigne adversus me fecit, aliquid liberaliter, sed postea multa superbe, contumeliose, crudeliter: eo loco me posuit, ut perinde liber adversus eum essem, quasi non accepissem; vim beneficiis suis attulit. Colonum suum non tenet, quamvis tabellis manentibus, qui segetem eius proculcavit, qui succidit arbusta: non quia recepit quod pepigerat, sed quia ne reciperet, effecit. Sic debitori suo creditor saepe damnatur, ubi plus ex alia causa

Eiurare. Eiqrat, qui iurat aliquid sibi non esse. Ita bonam copiam eiurare, se eam non habere: bonam spem ejurare, in Seneca de Vita Beat. c. 26, nec eam sibi esse. Ergo hic eiurare parentes, non agnoscere, nec pro talibus habere.

Quae dederant, vitam educationem aliaque beneficia, quae Xenophon Memorab. Socrat. II, 2, 3 sq. egregie exposuit.

Impietas parentum in liberos.

Vt perinde. Membranae Grut. quatuor, *ut proinde.* Nec tamen quidquam mutandum: saepe hae voces confunduntur: sed *perinde* hac significatione τοῦ pariter, aeque praeferri, h. l. debere constat.

Eum essem dedi auctore cod. Naz. et suadente Grut., quum alias sit *eum sim.*

Tenet, obligatum obstrictumque habet.

Quamvis tabellis fundi elocati: contractus, dicamus, manente vi.

Arbusta, ut ulmum fraxinumque,

Digitized by Google

abstulit, quam ex crediti petit. Non tantum inter creditorem et debitorem iudex sedet qui dicat: Pecuniam credidisti; quid ergo? pecus abegisti, servum eius occidisti, agellum, quem non emeras, possides: aestimatione facta, debitor discede, qui creditor veneras. Inter beneficia quoque et iniurias ratio confertur. Saepe, inquam, beneficium manet, nec debetur, si secuta est dantem poenitentia, si miserum se dixit, quod dedisset, si quum daret, suspiravit, vultum adduxit, perdere se credidit, non donare: si sua causa, aut certe non mea dedit: si non desiit insultare, gloriari, et ubique iactare, et acerbum munus suum facere. Manet itaque beneficium, quamvis non debeatur: sicuti quaedam pecuniae, de quibus ius creditori non dicitur, debentur, sed non exiguntur.

V. Dedisti beneficium: iniuriam postea fecisti: et beneficio gratia debetur, et iniuriae ultio. Nec ego illi gratiam debeo, nec ille mihi poenam: alter ab

cui vites alligabantur: hinc arbustivae vites. Columell. de Arborib. c. 16, 2. His succidendis itaque multum damnum colono afferebatur, ne vites colere posset.

Quam ex crediti, intellecta *causa*. Sic. Cod. Nas. aliique. Antea: *quam ex credito p.* Pinc. volebat: *quam ex crediti causa p.*

Inter benef. quoque et iniurias ratio confertur. Omnes codd. edd. sic praestant: sed Pinc., quem Muretus secutus est, hic alieno loco posita opinatus, collocanda putavit initio capitis quinti ante verba: *Dedisti beneficium.* Sed hic ipsis esse vere debitam sedem nemo dubitaverit, qui sine cupiditate rem consideraverit. — *Inter beneficia.... confertur.* Quod fit, quum utrinque accepta et expensa examinantur et dispunguntur.

Vultum adduxit. Sic codd. Naz. aliique. Nonnulli variant, sed eodem ducunt, *abduxit.* Vultus autem adductus est tristitiae aut severitatis nota, ut in Sueton. Tit. 68, etc. Praetulit quoque Bentleius ad Horat. II, Serm. 3, 72.

Perdere. Similiter Martial. Epigr. VI, 30: *Sex sestertia si statim dedisses, Quum dixti mihi, sume, tolle, dono: Deberem tibi, Paete, pro ducentis. At nunc quum dederis diu moratus, Sex sestertia, Paete, perdidisti.* Cf. Senec. Ben. VII, infra, 32 extr. Alia laudat Bentlei. ad Horat. Serm. II, 3, 172, p. 512 lips.

V. Aug. Nonne, obiicitur, actiones iniuriarum et gratitudinis separandae sunt?

Dedisti... absolvitur. Continet obiectionem, gratiam beneficio non de-

Digitized by Google

altero absolvitur. Quum dicimus, Beneficium illi reddidi, non hoc dicimus, illud nos quod acceperamus reddidisse: sed aliud pro illo. Reddere enim est, rem
2 pro re dare. Quidni? quum omnis solutio non idem reddat, sed tantumdem. Nam et pecuniam dicimur reddidisse, quamvis numeravimus pro argenteis aureos, quamvis non intervenerint nummi, sed delegatione et verbis perfecta solutio sit. Videris mihi di-
3 cere: Perdis operam. Quorsum enim pertinet scire me, an maneat quod non debetur? Iurisconsultorum istae acutae ineptiae sunt, qui hereditatem negant usucapi posse, sed ea quae in hereditate sunt: tanquam quidquam aliud sit hereditas, quam ea quae in hereditate sunt. Illud mihi potius distingue, quod potest ad rem pertinere, quum idem homo beneficium mihi dedit, et postea fecit iniuriam, utrum et beneficium illi reddere debeam, et me ab illo nihilo-

heri, accedente iniuria. Verba, quae in Mureti aliisque inde expressis edd. antecedunt: *Inter beneficia quoque et iniurias ratio confertur*, a Pinciano e cap. praecedentis § 4 huc transposita sunt. Cf. Var. lect. ad istum locum.

Reddere, etc. Noli putare, Senecam hic etymologum agere. Nam etsi stoicis etymologiae studium haud alienum esset (cf. Menag. ad Diog. Laërt. VII, 147. Cic. de Off. I, 7, 6), h. l. tamen definitionem dat, non etymologiam. Quare Menagius in Amoenitat. iuris cap. 39 ubi de Iuriscons. ut Stoicos sequentium etymologiis agit p. 338 sq. ed. frcf. anni 1738, sub v. *reddere* huius loci non meminit.

Delegatione quum non ipsi de arca solvimus, sed per attributionem, assignationem, ad alium remittimus creditorem, a quo pecuniam accipiat, sive sit argentarius, sive alius. Cf. Ernesti Clav. Cic. *Attributio* et *Delegare*.

Quorsum.... debetur. Cf. supra cap. 6 fin.

Iurisconsultorum, etc. Distinguunt itaque, ut Seneca beneficium distinxerat, inter actionem et rem. Tamen hereditas saepe quoque de iis quae in hereditate sunt, pro rebus usurpatur, quae *usucapi* i. e. utendo possideri possunt.

Tanquam quidquam.... hereditate sunt. Falli Nostrum ego non reor dum ineptire Iurisconsultos ait qui circa tricas et nugas gravissime λεπτολογοῦσιν; at sui obliviscitur et suorum. Nam et haud parum λεπτολογοι stoici, et ipse supra distinxit a dono donationem, a re acta actionem. Quod eiusdem generis est.

Digitized by Google

minus vindicare, ac veluti duobus nominibus separatim respondere, an alterum alteri contribuere et nihil negotii habere, ut beneficium iniuria tollatur, beneficio iniuria. Illud enim video in hoc foro fieri; 4
quid in vestra schola iuris sit, vos sciatis. Separantur actiones, et de eo quod agimus, de eodem nobiscum agitur. Non confunditur formula, si qui apud me pecuniam deposuerit, idem mihi postea furtum fecerit, et ego cum illo furti agam, et ille mecum depositi.

VI. Quae proposuisti, mi Liberalis, exempla, certis legibus continentur, quas necesse est sequi: lex legi non miscetur. Vtraque sua via it: depositum habet actionem propriam, tam mehercule quam furtum. Beneficium nulli legi subiectum est: me arbitro utitur; licet me comparare inter se quantum profuerit mihi quisque, aut quantum nocuerit: tum pronuntiare, utrum plus debeatur mihi, an debeam. In illis nihil est nostrae potestatis: eundum est, qua ducimur. In 2
beneficio tota potestas mea est: ego itaque iudico illa; 3
non separo, nec diduco, sed iniurias ac beneficia ad

Contribuere, compensare, iungere, unire.

Habere cum illo.

Illud enim video in hoc foro fieri. Illud *hoc* cod. Naz. aliique cum edd. dederunt. Alii omiserant, e. c. Muretus. Hoc forum opponitur scholae.

Separantur in nostro foro, at apud vos hoc fit.

Formula, actio. Formulae sunt verborum certae conceptiones et formae, vel quas praetor dat iudicibus, ut secundum eas inquirant, et iudicent, vel quibus iurisconsulti in aliquem agunt, vel quibus testamenta aliique actus iuris fiunt. Cf. Ernesti Clav. Cic. h. v.

Non confunditur formula, si qui, etc. Verissime ita Pet. Faber, negatione addita, quae in vulgg. et codd. deerat. Alioqui Seneca sibi non constaret. Cum Lipsio itaque eum sequuti sumus.

VI. Arg. Negat haec separari posse, et nullam actionem ingrati esse decet.

Beneficium nulli.... est. Cf. lib. III, 6 sq.

Me arbitro utitur, ego solus sum iudex et una mihi lex.

In illis quae tu adduxisti exemplis: lege *ducamur*, tenemur. Sunt beneficia τὰ ἐφ' ἡμῖν

eumdem iudicem mitto. Alioquin iubes me eodem tempore amare et odisse, queri et gratias agere: quod
3 natura non recipit. Potius comparatione facta inter se beneficii et iniuriae, videbo an etiam ultro mihi debeatur. Quo modo si quis scriptis nostris, alios superne imprimit versus, priores litteras non tollit, sed abscondit: sic beneficium superveniens iniuria apparere non patitur.

VII. Vultus tuus, cui regendum me tradidi, colligit rugas, et trahit frontem, quasi longius exeam. Videris mihi dicere:

> Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige cursum.
> Littus ama.

Non possum magis. Itaque si huic satisfactum existimas, illo transeamus, an ei debeatur aliquid, qui nobis invitus profuit. Hoc apertius potui dicere, nisi propositio deberet esse confusior, ut distinctio statim subsequuta ostenderet utrumque quaeri, an ei deberemus, qui nobis, dum non vult, profuit; et an ei,
2 qui dum nescit. Nam si quis coactus aliquid boni fecit, quin nos non obliget manifestius est, quam ut ulla in hoc verba impendenda sint. Et haec quaestio facile

Mitto, tanquam praetor.

Imprimit, non *imprimat*, habent codd. mss.

Aliis superne imprimit versus, in ceratis tabellis, *versus*, στίχους, series literarum, Gallice *lignes*.

Superveniens iniuria, non *iniuriam*, codd. mss. Grut. et Pinc. Assensus est Lipsius. Seneca vult, ob iniuria superveniente abscondi beneficium antea collatum.

VII. Arg. Alia quaestiuncula proponitur: an ei debeatur aliquid, qui nobis invitus profuerit. Negatur.

Et traluit frontem. Sic cod. Naz. Declamationum sub nomine Quintiliani 12 ita: *ad mentionem ciborum plenum fastidio vultum trahit*. Gron. Addi potest Ovidii Amor. II, 2, 33. Antea: *et attrahit frontem*. Tamen IV, 31, 3, *attractior frons* occurrit.

Littus ama. Versus sunt Virgilii Aen. V, 162.

Non possum magis. Respondet Seneca: quam maxime lego littus, altum disputationum vito. Et vides, quam breviter dixerim. Obscuritas propositionis latet in adiectivo *invitus*, quod quum nolentem, tum iguarum complectitur.

expedietur, et si qua similis huic moveri potest, si toties illo cogitationem nostram converterimus: beneficium nullum est, nisi quod ad nos primum aliqua cogitatio defert, deinde amica et benigna. Itaque nec 3
fluminibus gratias agimus, quamvis aut magna navigia patiantur, et ad subvehendas copias largo ac perenni alveo currant, aut piscosa et amoena pinguibus arvis interfluant: nec quisquam Nilo beneficium debere se iudicat, non magis quam odium, si immodicus superfluxit, tardeque recessit: nec ventus beneficium dat, licet lenis et secundus aspiret; nec utilis et salubris cibus. Nam qui beneficium mihi daturus est, debet non tantum prodesse, sed velle. Ideo nec mutis animalibus quidquam debetur: et quam multos e periculo velocitas equi rapuit? Nec arboribus: et quam multos aestu laborantes ramorum opacitas texit? Quid 4
autem interest, utrum mihi qui nescit, profuerit, an qui scire non potuit? quum utrique velle defuerit. Quid autem interest, utrum me iubeas navi, aut vehiculo, aut lanceae debere beneficium: an ei qui aeque quam ista propositum benefaciendi nullum habuit, sed profuit casu?

Cogitatio, ut consultum spontaneumque, non fortuitum sit.

Nilo. Notius flumen quam de quo fuse agamus. Vid. Herod. lib. II, cap. 10, lib. IV, cap. 50; Lucret. lib. VI, vs. 712; Mela, lib. I, cap. 9; lib. III, cap. 3: Claudian. epigramm. de Nilo. Tum cf. Senecae Nat. Qu. IV init. Diversum esse Nili auctum in Aegypto superiori, media et inferiori per se patet. Crescens autem inde a Maio usque ad Septembrem ad 27' 4" mensurae gallicae, sive ad 16 cubitos (*coudées*) in Aegypto superiori optimas spes excitat: minor hoc auctu non omnia rigat, eumque superans nimis sero defluit. Cf. Plin. H. N. V, 9, qui locus est classicus, Iubae, regis Mauritaniae, auctoritate nixus. Caeterum Nilo inter Deos relato et quem unum ac eumdem cum Osiri fuisse probabile maxime est, divinos honores tribuisse Aegyptios, ideoque Nilea (τὰ Νιλῶια) celebrasse, notum est. Cf. *Iablonsky* Panth. Aegypt. P. II, lib. IV, cap. 1, ubi doctiss. vir egregie de Nilo egit.

Ramorum opacitas. H. e. opaci rami; abstractivum, ut aiunt, voca-

VIII. Beneficium aliquis nesciens accipit, nemo a nesciente. Quo modo multos fortuita sanant, nec ideo remedia sunt, et in flumen alicui cecidisse frigore magno causa sanitatis fuit: quo modo quorumdam flagellis quartana discussa est, et metus repentinus animum in aliam curam avertendo suspectas horas fefellit: nec ideo quidquam horum, etiamsi saluti fuit, salutare
2 est; sic quidam nobis prosunt, dum nolunt, immo quia nolunt; non tamen ideo illis beneficium debemus, quod perniciosa illorum consilia fortuna deflexit in melius. An existimas me debere ei quidquam, cuius manus, quum me peteret, percussit hostem meum; qui nocuisset, nisi errasset? Saepe hostis dum aperte peierat, etiam veris testibus abrogavit fidem, et reum velut factione circumventum miserabilem reddidit.
4 Quosdam ipsa quae premebat, potentia eripuit: et iudices quem damnaturi erant causa, damnare gratia

bulum pro physico. Vt Horat. Carmin. lib. II, Od. III: *Interiore nota Falerni.*

VIII. Anc. Continuatio. A nemine nisi sciente venit beneficium. Non ei gratiam haberi qui dum pugione nos petit, inimicum nostrum percutit de improviso. Non iudicibus qui reum innoxium ob hanc causam liberaverunt quod innoxius esset.

Quo modo... sanant. Cf. supra II, 19, 1, not.

Et in flumen... fuit. Huc trahi potest ratio medendi, qua Augustus Antonii Musae opera ex aucipiti morbo convalnerat, frigidis curari coactus. Confer. Suet. Aug. 81. coll. 59; et Dio Cass. LIII, 30, qui ψυχρολουσίαις et ψυχροποσίαις eius sanitatem restituisse narrat, quae tamen remedia Marcelli vitae finem fecerunt.

Quo modo quorumdam, etc. Recentiorib. quoque medicis haec saepe observata esse constat, dolore quippe maiore minorem reprimente atque sedante, etc.

Suspectas horas quae cum timore exspectabantur, ne febris accessum referrent.

Saepe hostis, etc. Sic omnes codd. Mss. At Rud. Agricola, monente id Erasmo, emend. e coni. *saepe testis*. —*Saepe hostis..... reddidit.* Saepe accusator ipse aperte peierans testibus suis quos adduxerat, veris fidem abrogavit, fide eos indignos fecit, ideoque misericordiam in reum, quasi in eum coniuratio facta sit, excitavit.

Et iudices quem damnaturi erant causa, damnare gratia noluerunt. Haec est vulgata lectio, confirmata codd. Mss.: plerique, an etiam

noluerunt. Non tamen hi reo beneficium dederunt, quamvis profuerint: quia telum quo missum sit, non quo pervenerit, quaeritur, et beneficium ab iniuria distinguit non eventus, sed animus. Adversarius meus dum contraria dicit, et iudicem superbia offendit, et in unum testem de me rem demittit, causam meam erexit. Non quaero an pro me erraverit, contra me voluit.

IX. Nempe ut gratus sim, velle debeo idem facere, quod ille, ut beneficium daret, debuit. Num quid est iniquius homine, qui eum odit, a quo in turba calcatus, aut respersus, aut quo nollet, impulsus est? Atqui quid est aliud, quod illum querelae eximat, quum in re sit iniuria, quam nescisse, quid faceret?

codex Naz. nescimus, dant *causae* et deinceps *gratiae*, quam scripturam et Grut. et Lipsius praeferunt. Gronovius tamen recte vulgatam defendit; nam *causa vincere*, *superiorem esse*, *vinci*, *damnari*, ut *gratia damnari*, *laborare*, casu sexto saepissime occurrunt. Alterum, pergit Gron., in quod agmine concedunt viri doctissimi, qui dixerit, adhuc quaero. Certe tolerari non potest, nisi per intellectum τῶν *causa*, aut *gratia*, vel *nomine crimineque*, ut damnari capitis, furti et similia, etc. — *Quosdam.... noluarunt*: qui merito damnandus erat, propterea absolutus est a iudicibus suis, ne hi gratiae et potentiae hoc dedisse viderentur. Exemplum habes in Valer. Max. VIII, I, II, ubi C. Cotta a P. Scipione Aemiliano ad praetorem accusatus, ideo absolutus est, ne praecipuae accusatoris amplitudini damnatio eius donata existimaretur.

De me rem. Sic scripsisse nostrum puto ex illa quam dat cod. Naz. scriptura: *et in unum testem demere demittit*, in qua *rem* feci e *re*: i. e. totam rem collocat in uno teste contra me. Scripti reliqui omnes: *in unum testem temere d.* Nonnulli codd. et edd., omisso τῷ *in*, dant *unum testem temere dimittit. Testis de me*, id est, contra me, quod attinet ad me: *rem*, accusationem suam, actionem.

Et in unum testem de me rem demittit. Sententia: causa temere ab eo credita et collocata in unum testem, quum plures habere perfacile potuisset: sed per superbiam illo noluit, et sibi atque uni illi putavit a iudicibus credendum.

Erraverit, contra. Delevi *quia* post *erraverit*, auctoritate cod. Naz. commendanteque Grutero. Sic solet Seneca.

IX. Ars. In beneficio dando etiam voluntas requiritur non magis quam in gratitudine.

Atqui quid est aliud. Piuciani est emendatio, quum omnes codd. darent: *At quidquid est.*

Quam nescisse, quid faceret. Lau-

2 Eadem res efficit, ne hic beneficium dederit, ne ille iniuriam fecerit; et amicum et inimicum voluntas facit. Quam multos militiae morbus eripuit? quosdam, ne ad ruinam domus suae occurrerent, inimicus vadimonio tenuit: ne in piratarum manus pervenirent, quidam naufragio consecuti sunt. Nec his tamen beneficium debemus: quoniam extra sensum officii casus est: nec inimico, cuius nos lis servavit, dum vexat ac
3 detinet. Non est beneficium, nisi quod a bona voluntate proficiscitur, nisi illud agnoscit, qui dedit. Profuit aliquis mihi, dum nescit; nihil illi debeo: profuit quum vellet nocere; imitabor ipsum.

X. Ad primum illum revertamur. Vt gratiam referam, aliquid facere me vis; ipse ut beneficium mihi daret, nihil fecit. Vt ad alterum transeamus, vis me huic gratiam referre, ut quod a nolente accepi, volens reddam. Nam quid de tertio loquar, qui ab iniuria in beneficium delapsus est? Vt beneficium tibi debeam, parum est voluisse te dare: ut non debeam, satis est
2 noluisse. Beneficium enim voluntas nuda non efficit; sed quod beneficium non esset, si optimae ac plenis-

dat hic similia Lipsius e Pseudo-Phocylide, vers. 45 sq. et e Livio: *mentem peccare, non corpus, et unde consilium abfuerit, culpam abesse.*

Morbus. Morbus sonticus, qui excusat ne ad nomen citati respondeant.

Quosdam.... tenuit, quidam propter praesentiam suam coram iudice domi esse non poterant, quum corrueret casu, aut incendio.

X. Arg. Tria hominum genera sunt, quibus non obligamur, etsi benefecerint. Primi qui nihil a se contulerunt: alteri qui nolentes iuverunt: tertii, illorum maxime similes, ab iniuria in beneficia inscii delapsi sunt.

Ad primum illum revertamur. Muretus ex uno cod. Pinciani hanc scripturam commendantis sumpsit: vulgg. et omnes caeteri codd. Mss. habent *Ad primum illud.* Tria enim hominum genera repetuntur, quibus nihil debetur, etsi beneficium conferant.

Voluisse. Res enim sequi debent: at contra est in altero membro: etiamsi res adest, quum voluntas abest, nihil debeo.

Non esset recte habet; nec nuda voluntas sine fortuna, nec nuda fortuna sine voluntate beneficium fa-

simae voluntati fortuna deesset, id aeque beneficium non est, nisi fortunam voluntas antecessit. Non enim profuisse te mihi oportet, ut ob hoc tibi obliger, sed ex destinato profuisse.

XI. Cleanthes exemplo eiusmodi utitur: « Ad quaerendum, inquit, et arcessendum ex academia Platonem, duos pueros misi; alter totam porticum perscrutatus est, alia quoque loca in quibus illum inveniri posse sperabat, percucurrit, et domum non minus lassus quam irritus rediit: alter apud proximum circulatorem resedit, et dum vagus atque erro vernaculis congregatur et ludit, transeuntem Platonem, quem non quaesierat, invenit. Illum, inquit, laudabimus puerum, qui, quantum in se erat, quod iussus est fecit: hunc feliciter inertem castigabimus. » Voluntas est, quae apud nos ponit officium: cuius vide quae conditio sit, ut me debito obstringat. Parum est illi velle, nisi profuit: parum est profuisse, nisi voluit. Puta enim aliquem donare voluisse, nec donasse; animum quidem eius habeo, sed beneficium non habeo:

ciunt. Erasmus tamen negativam particulam tollere maluit.

XI. Arg. Illustratur ista propositio et demonstratur.

Cleanthes haud dubie in libro, cuius Diogenes Laërt. VII, 175 meminit, περὶ χάριτος inscripto, haec protulerat.

Porticum, Στοάν, Academiae in Ceramico. Haec Academia, locus amoenus extra Athenas, ab Academo antiquissimo heroe attico vocata est: in vicinia praediolum possedit Plato, hinc sic appellatum. Cf. *Barthélemy*, *Voyage d'Anacharsis*, II, 7, sive Meursii Ceramicum. Usum autem magnum et multiplicem porticuum attigit Dorvill. ad Chariton. VII, 6, p. 587 ed. lips. Inserviebant inprimis deambulationibus et conversationi, uti vel e Theophrasti Characteribus videre est.

Irritus. Nempe laboris sui: nihil effecit quaerendo.

Circulatorem, i. e. urbes circumeuntem, ut diversis artibus praestigiisque ostendendis circulos hominum oblectaret, sibique panem lucraretur. Sunt nostri *joueurs de gobelets*: cauculatores medii aevi, Salmas. ad Scriptt. Hist. Aug. Tom. I, p. 667.

Erro vernaculis. Sic dicebantur servi in ipsa domo nostra, in urbe, nati: plerumque lepidi atque dicaces.

Digitized by Google

quod consummat et res et animus. Quemadmodum ei qui voluit mihi quidem pecuniam credere, sed non dedit, nihil debeo : ita ei qui voluit mihi beneficium dare, sed non potuit, amicus quidem ero, sed non obligatus. Et volam illi aliquid praestare : nam et ille voluit mihi : caeterum si benigniore fortuna usus praestitero, beneficium dedero, non gratiam retulero. Ille mihi gratiam debebit referre : hinc initium fiet : a me numeratur.

XII. Intelligo iam quid velis quaerere ; non opus est te dicere : vultus tuus loquitur. Si quis sua causa nobis profuit, eine, inquis, debetur aliquid ? hoc enim saepe te conquerentem audio, quod quaedam homines sibi praestant, aliis imputant. Dicam, mi Liberalis : sed prius hanc quaestiunculam dividam, et rem

Quod (beneficium) *consummat et res et animus.* Cuius summam totam et rei et animi iunctio effecit.

Hinc initium fiet : a me numeratur. Haec est lectio cod. Naz. aliorumque, quam cum Gron., qui tamen *numerabitur* emendat, praefero. *Numerare* enim interdum de creditore usurpatur, opponiturque τῷ *solvere*. Muretus arripuerat Erasmi coniecturam *numerandi*. Vnus Pal. et antiquitus cusi libri habent : *Huic... fiet gratia.... Hinc initium fiet : a me numeratur. Numerare*, observante Gronov. ad h. l., et de creditore, et de debitore dici constat. Sic in corpore Iuris Iustin. est exceptio non numeratae pecuniae de creditore. Hinc Martial. lib. II, ep. 63, dicit « numerare solet. » de muliere quadam quae ipsa dare et emere noctes solebat, non vendere. H. l. igitur *a me numeratur* est : dabo, non reddam ; tribuam beneficium, non referam. Vt ille, a quo fit numeratio, qui pecuniam fert expensam, incipit contractum mutui, initium facit crediti, non dissolvit aut finit : sic ego, gavisus alicuius dudum bona, sed otiosa, voluntate ; si beneficium illi dedero, non refero gratiam, sed ineo ; facio nomen, non expungo ; obligo alium, non autem me libero.

XII. Ang. Si quis sua causa nobis profuit, eiue debetur aliquid ? Negat, si solus sibi quis profuturus etiam alii beneficus fuerit.

Quod quaedam homines sibi praestant, aliis imputant. Omnes sic habent scripti et edd. praeter alias editiones, quas post *quaedam* invasit *quae* : quamquam Stephanus lib. II, c. 4, prood. notaverat, Senecam peculiariter suo sibi uti sermone : nam alioqui consuetudinem postulasse, ut diceretur : *quaedam, quae hom.*, vel *quaedam hom.... quae aliis*, etc. — *Aliis imputant* ; sua causa suique commodi gratia faciunt,

Digitized by Google

aequam ab iniqua separabo. Multum enim interest, utrum aliquis beneficium nobis det sua causa, an nostra, an sua et nostra. Ille qui totus ad se spectat, et nobis prodest, quia aliter sibi prodesse non potest, eo loco mihi esto, quo qui pecori suo hibernum et aestivum pabulum prospicit; eo loco, quo qui captivos suos, ut commodius vaeneant, pascit, et opimos boves saginat ac defricat; quo lanista, qui familiam suam summa cura exercet atque ornat. Multum, ut ait Cleanthes, a beneficio distat negotiatio.

et alteri quasi beneficium inscribunt. Sibi datum in alterius rationibus ponunt.

Opimos boves saginat. Sive macellariis venditurus, sive Divis oblaturus. Horat. Carm. lib. III, od. XXIII: *Nam quae nivali pascitur Algido Devota quercus inter et ilices, Aut crescit Albanis in herbis Victima, Pontificum secures Cervice tinget.* Idem, lib. IV, od. II, stroph. penult.: *Me tener solvet vitulus, relicta Matre, qui largis iuvenescit herbis In mea vota.*

Defricat. Defricare est sordes omnes strigili abstergere post balnea, et de hominibus proprie dicitur. Cic. explicat non male his verbis, Rhetor. ad Herenn. lib. IV, cap. 15: *Nam ut forte hic in balneas venit, coepit, postquam perfusus est, defricari.* Quum vero istiusmodi opera perpolirentur simul corpora et stringerentur, instrumento quo utebantur, strigilis nomen impositum fuit. Ad equos et boves perpoliendos strigilis quoque adhibebatur, sed haec dentata et ferrea, quum eburnea vulgo foret. Gallic. strigilem appellamus *une étrille*, et defricare est *étriller*.

Lanista, et qui alit quaestus causa gladiatores suos, et qui ipse in domini sui gratiam docet et *ornat*, i. e. praeparat gladiorum gregem, familiam. H. l. priori sensu capiendus est lanista. Lipsius laudat Saturnal. I, 15, et Fabri II Semestr. c 10. *Lanista* vero a *laniando*, quum et lanius dicatur qui pecudes ferit, laniat venditque. Sic et lanista vere eos ferit, laniat, vendit, quos muneratiis dat pro pecunia et mittit in arenam pugnaturos. Vnde non paucis vocata amphitheatra macella. Et ad id facit locus Arnobii, lib. II: *Idcirco animas misit, ut, quae dudum fuerant mites, et feritatis affectibus nesciae commoveri, macella sibi et amphitheatra constituerent, loca sanguinis et publicae impietatis.* Eadem veteres glossae corporicidas et μακελλίτας dixere.

Familiam. Numerum servorum sic appellitavere, sive quod domus aliquo modo pars sint, sive quod *puer* Latine, Graece παῖς servum significet. Ipse Cicero vocem definivit, pro Caecil. cap. 55: *Familiae quae constant ex servis pluribus.*

Multum.... negotiatio. Cf. II, 31, 2. Negotiatio h. l. est commercium, mercatura. Gall. verteremus optime: « *Il y a loin d'un bienfait a une spéculation.* »

XIII. Rursus non sum tam iniquus, ut nihil ei debeam, qui quum mihi utilis esset, fuit et sibi. Non enim exigo, ut sine respectu sui mihi consulat: immo etiam opto, ut beneficium mihi datum, vel magis danti profuerit: dummodo id qui dabat, duos intuens de-
2 derit, et inter me seque diviserit. Licet id ipse ex maiore parte possideat, si modo me in consortium admisit, si duos cogitavit, ingratus sum, non solum iniustus, nisi gaudeo hoc illi profuisse, quod proderat mihi. Summae malignitatis est, non vocare beneficium,
3 nisi quod dantem aliquo incommodo affecit. Aliter illi, qui beneficium dat sua causa, respondebo. Vsus me, quare potius te mihi profuisse dices, quam me tibi? Puta, inquit, aliter fieri non posse me magistratum, quam si decem captos cives ex magno captivorum numero redemero: nihil debebis mihi, quum te servitute ac vinculis liberavero? atqui mea id causa faciam. Adversus hoc respondeo. Aliquid istic tua causa facis,
4 aliquid mea. Tua, quod redimis; tibi enim ad utilitatem tuam satis est quoslibet redemisse; itaque debeo, non quod redimis me, sed quod eligis: poteras enim et alterius redemptione idem consequi, quod mea. Vti-

XIII. Ang. Affirmat, si quis et sua et alterius causa prodesse voluerit.

Rursus, altera ex parte, *en revanche*.

Qui quum mihi... sibi, qui e. c. famis tempore panem emit sibi mihique, eumque inter utrumque partitus est.

Licet id ipse ex maiore parte, etc. Pessimi hominis esset, postulare, ut, qui beneficia dederit, semper suo ipsius damno faciat.

Si duos cogitavit. Si de duorum utilitate cogitavit, nec quid ipsi soli commodum foret, sed quid et mihi meditatus, et sui et mei gratia id fecit quod fecit.

Vsus..... tibi, tu qui me usus es, quidni me tibi, quam te mihi utilem fuisse magis dices?

Puta. Ponit casum, qui rarissimus esse videtur; similem tamen fingimus, quatenus aliquis, ut popularis fieret, in republica civibus sumptu suo incommodoque utilis eorum gratiam conciliaverit: qualia Cimonem et multos alios fecisse constat.

Tua, quod redimis. Sic optimus cod. Naz., qui omittit post *redimis* cum aliis codd. has voces: *mea, quod eligis*, quae in uno exemplari Pinc. et uno palatino comparent, Gruteroque impense placebant. Cum Grono-

litatem rei partiris mecum, et me in beneficium recipis, duobus profuturum. Praefers me aliis, hoc totum mea causa facis. Itaque si praetorem te factura esset decem captivorum redemptio, decem autem soli captivi essemus, nemo quidquam tibi deberet ex nobis: quia nihil haberes, quod cuiquam imputares, a tua utilitate seductum. Non sum invidus beneficii interpres, nec desidero illud mihi tantum dari, sed et tibi.

XIV. Quid ergo, inquit, si in sortem nomina vestra coniici iussissem, et tuum nomen inter redimendos exisset, nihil deberes mihi? immo deberem, sed exiguum. Quid sit hoc, dicam. Aliquid istic mea causa facis, quod me ad fortunam redemptionis admittis; quod nomen meum exiit, sorti debeo: quod exire potuit, tibi. Aditum mihi ad beneficium tuum dedisti, cuius maiorem partem fortunae debeo: sed hoc ipsum tibi, quod fortunae debere potui. Illos ex toto praeteribo, quorum mercenarium beneficium est: quod qui dat, non computat cui, sed quanti daturus sit, quod undique in se conversum est. Vendit mihi aliquis frumentum: vivere non possum, nisi emero; sed non debeo vitam, quia emi. Nec quam necessarium fuerit, aestimo, sine quo victurus non fui: sed quam

vio autem haec tria posteriora verba sciolo aliqui librario adscribo, expunxique: quippe bene abesse possunt.

Non sum invidus benef. Sic emendavit locum Gruterus, quum in cod. Naz. invenisset: *non sum uidus*, et in aliis: *non sum vides b.*; in alio: *non sum iudex b.* Ante *iniquus benef.* — *Invidus.* H. e. malignus, parvi aestimans. Eodem modo Graeci solent usurpare voces φθόνος, φθονεῖν. Φθονεῖν τῶν αἰνήσεων, quod verbo est *invidere laudum*; idem est cum τῷ parce, et quasi invitus laudare.

XIV. Arg. At beneficium mercenarium gratiam non meretur.

Inquit. Nempe qui me redemerit.

Quod nomen... exiit ex urna, in quam hae sortes captivorum coniectae erant, ita ut decem extraherentur, reliquae remanerent. Res iam apud Homerum occurrit, nec nobis insolita est.

Mercenarium, quaestum spectans.

Conversum: solummodo se spectat, ad alios non tendit, ut iis utilitatem comparet.

Sed quam ingratum, quod. Rubenio assentior, qui in codd. a se in-

ingratum, quod non habuissem, nisi emissem; in quo invehendo mercator non cogitavit quantum auxilii allaturus esset mihi, sed quantum lucri sibi. Quod emi, non debeo.

XV. Isto modo, inquit, ne medico quidquam debere te, nisi mercedulam, dices; nec praeceptori, quia aliquid numeraveris: atqui omnium horum apud nos magna caritas, magna reverentia est. Adversus hoc respondetur, quaedam pluris esse, quam emuntur. Emis a medico rem inaestimabilem, vitam ac valetudinem bonam: a bonarum artium praeceptore
2 studia liberalia, et animi cultum. Itaque his non rei pretium, sed operae solvitur, quod deserviunt, quod a rebus suis avocati nobis vacant, mercedem non meriti, sed occupationis suae ferunt. Aliud tamen dici potest verius, quod statim ponam, si prius quomodo istud refelli possit, ostendero. Quaedam, inquit, pluris sunt quam vaenierunt, et ob hoc aliquid
3 mihi extra pro illis, quamvis empta sint, debes. Primum, quid interest quanti sint, quum de pretio inter ementem et vendentem convenerit? Deinde non emi

spectis hanc eandem lectionem, etiam a Gronovio in duobus codd. repertam, praetulit. Ingratum autem est, pro quo non debemus gratias; 1, 7, 2. Pincianus coniecit *quam gratuitum*. Olim publicati et Mss. fere omnes: *sed quod ingratum, quod*. Hinc Gronov. facere voluit: *sed quam non gratuitum*, ex *gratuitum* opinans factum esse *gratum* et e *n.* i. e. *non*, ortum esse *ingratum*. Fieri sic potuisse, concedo, factum esse quis praestet?

XV. Arg. Medico tamen et praeceptori gratiam debemus, inprimis si amici nos demereri student.

Praeceptori. Cf. III, 3, 3 not. magna in caritate et reverentia apud nos parentes sunt liberorum nostrorum praeceptores, quippe qui animum liberorum curant. Itaque sibi ipse non adversatur.

Aliquid numeraveris. Vid. ad cap. 11, pag. 568, not. *Hinc initium*.

Quaedam pluris esse, etc. H. e. quaedam pretio multo maiore revera esse quam vendantur, aut emuntur.

Aliud tamen. Distinguit, priusquam ad responsionem obiectionis accedat, ut doceat parvo interdum magna constare, prout res tempusque poscant, nec pluris esse quam emantur.

illud suo pretio, sed tuo. Pluris est, inquit, quam vaeniit. Sed pluris vaenire non potuit: pretium autem cuiusque rei pro tempore est. Quum bene ista laudaveris, tanti sunt, quanto pluris vaenire non possunt; praeterea nihil venditori debet, qui bene emit. De- 4
inde etiam si pluris ista sunt, non tamen ullum istic tuum munus est, ut non ex usu effectuve, sed ex consuetudine et annona aestimetur. Quod tu pretium ponis traiicienti maria, et per medios fluctus, quum e terrae conspectu recessit, certam secanti viam, et prospicienti futuras tempestates, et, securis omnibus, iubenti subito vela stringi, armamenta demitti, paratos ad incursum procellae et repentinum impetum stare? huic tamen tantae rei praemium vectura persolvit. Quanti aestimas in solitudine hospitium, in 5
imbre tectum, in frigore balneum, aut ignem? Scio

Tuo. Quanti tu aestimasti.

Pretium autem cuiusque..... est. Itaque non semper labor in rem mercemve impensus pretium constituit, sed saepe circumstantiae, ut cum Quintiliano hac voce utar, sive tempora, indicia aut cupiditas hominum, copia aut inopia mercium.

Quum... laudaveris: quamvis ista laudaveris, quasi pluris sint, quam vaenierint, tamen, etc.

Usu effectuve, etc. Non quantus sit usus, qui tibi inde manat, sed e pretio aestimari debet.

Quum e terrae conspectu recessit. Omnium est codd. et edd. lectio et quidem bona. Ingeniose tamen emendat Pinianus: *quum aether e conspectu recessit*, quam lect., nisi codex Naz. vulgatae favens obstaret, ego pro vera haberem scriptura.

Stringi, contrahi, συστέλλεσθαι ιστίχ.

Armamenta, τὰ ἄρμενα καὶ τὰ σκεύη apud Polyb. XXII, 26, 13; quae Liv. XXXVIII, 38, armamenta vertit, i. e. mali, remi, antennae.

Demitti, ὑφίεσθαι, non in mare, sed in navem, malum e. c. in ὑποδοχὴν, receptaculum.

Vectura. Pecuniolam intelligit quam dari convenit ut transvehare. Gallic. *le prix du passage.* Vector apud nos est *passager.*

Quanti aestimas, etc. H. e. quam tibi pretiosa res videtur in solitudine hospitalitas, etc. Inaestimabilia haec nempe; et quis in Marmaricae aridis campis, *Sub curru nimium propinqui Solis, in terra domibus negata* (ita fere Horat. Carm. lib. I, Od. XXII) aquae plenum onychem aureis multis dubitaverit mutare? At interdum in patria terra, nec minus potione egemus, nec minus excupimus; quis vero haec tali pretio aut vendiderit, aut emerit?

tamen quanti ista consecuturus diversorium subeam. Quantum nobis praestat, qui labentem domum suscipit? et agentem ex imo rimas insulam incredibili arte suspendit? certo tamen et levi pretio fultura
6 conducitur. Murus nos ab hostibus tutos, et a subitis latronum incursionibus praestat: notum est tamen, illas turres, pro securitate publica propugnacula habituras, excitaturus faber quid in diem mereat.

XVI. Infinitum erit, si latius exempla conquiram, quibus appareat, parvo magna constare. Quid ergo? quare et medico et praeceptori plus quiddam debeo, nec adversus illos mercede defungor? Quia ex medico ac praeceptore in amicum transeunt, et nos non arte quam vendunt, obligant, sed benigna et familiari
2 voluntate. Itaque medico, si nihil amplius quam manum tangit, et me inter eos, quos perambulat, ponit, sine ullo affectu facienda vitandave praecipiens, nihil amplius debeo: quia me non tanquam amicum vidit,

Quanti. Pro *quantuli*. Contrarius sensus τῷ *quanti*, quod supra. Hanc pretiorum notitiam et Horat. optabilem canit, l. III, Od. XIX, vs. 6: *Quis aquam temperet ignibus, Quo praebente domum, et quota, Pelignis caream frigoribus, taces!*

Quantum...labentem domum suscipit; tigois et fulturis.

Insula συνοικία, latum aedificium plures habitationes tenuiorum et inquilinorum complectens, et ab omni parte liberum. Talium aedium Romae vis multa fuit. Martial. lib. IV, epig. XXXVII, vs. 4, 5, etc. *Ex insulis, fundisque tricies soldum, Ex pecore rediount ter ducena Parmensi.* Hoc est, e domibus quas in urbe locavi, item e villis, praediis, agris XXX H.S. centena millia (h. e. 3,000,000 sestertium) quotannis mihi redeunt, e pecoribus vero quos apud Parmam pasco, sexies sestertium. Cicer. ad Attic. lib. X, ep. VIII: *At hunc ipsis ludorum diebus videbam in insula clarissimi adolescentis Luculli.* Idem, pro Cael. cap. 17: *Nunc demum intelligo Claudii insulam esse vaenalem.* Vbi conf. Ernesti Cl. Cic. Ad. quoque, si libeat, Tacit. annal. lib. XV, cap. 43.

Et agentem... suspendit; suspendi vult superiora domus, donec ima restaurata et firmata.

XVI. ARG. Continuatio usque ad cap. 21. Hoc vero peculiariter tractat de medico et scientiarum liberalimuque artium praeceptore, quorum operam neque aestimare satis digne, neque multa pecunia adaequare aliquis poterit, si animo affuerint discipulis suis aut clientibus, si non temere, remisse, frigido

Digitized by Google

sed tanquam imperatorem. Ne praeceptorem quidem habeo cur venerer, si me in grege discipulorum habuit, si non putavit dignum propria et peculiari cura, si nunquam in me direxit animum: et quum in medium effunderet quae sciebat, non didici, sed excepi. Quid ergo est, quare istis debeamus multum? non 3
quia pluris est quod vendiderunt quam emimus, sed quia nobis ipsis aliquid praestiterunt. Ille magis pependit quam medico necesse est: pro me, non pro fama artis, extimuit: non fuit contentus remedia monstrare, sed admovit. Inter sollicitos assedit, ad suspecta tempora occurrit: nullum ministerium oneri illi, nullum fastidio fuit. Gemitus meos non securus 4

ac negligenter sese gesserunt, si benevolentiam tibi ostenderunt, quam non cuilibet e populo statim exhibent.

Sed tamquam imperatorem. Omnium et eorum optimorum codd. Mss. et edd. lectio est, quae non mutari debet. Multas tamen multorum vir. doctt. emendationes, quas apud Gruterum ad h. l. et Dan. *Vinck* in Amoenit. phil. medic. p. 442, collectas videre licet, quibusque addas duas coniecturas Trilleri in Eiusd. Obss. crit. I, 4 p. 7 sq. prolatas, annotare supersedeo, unice contentus Lipsii interpretationem subiungere, qua locus indiget, at nullam emendationem. Ea vero sic se habet. Nempe aegri dicebantur imperare medicis (qui tunc non dignissimae sortis) quos advocabant scilicet, et, puto, annua mercede obstrictos habebant. Alfenus lege 26 de libertate ait: *medicus quod putaret multo plures imperantes sibi habiturum*. Varro lib. I de Re R. habet similia. Salmasius ad Scriptt. H. A. Tom. I, p. 30 hac Lipsii explicatione reiecta et nulla dissensus causa allata, exponit: medicum a nostro comparari illi salutatori, qui matutino officio fungatur in imperatorem et alios principes, quibus clieus sit. Sed Lipsio quominus assentiamus, nihil impedit. Sensus est: Si me tamquam amicum suum viderit, ipsi amplius debeo quam mercedulam, σῶστρον, quam a me accipiet; at nihil amplius, si me nonnisi tanquam dominum suum consideret.

Sed quia nobis ipsis aliquid praestiterunt: praeter illud, quod omnibus commune factum est, nos peculiari cura sua dignos habuerunt, et nobis dedere praeter id, quod ab ipsis poscebatur.

Ille magis pependit. Sic omnes codd., non *ille plus impendit*. Recepit Gronovius.—*Ille magis pependit* animi, incertus deliberavit, animum sollicitum et anxium in curando diutius ostendit.

Sed admovit. Lipsius in libro *sed admonuit*; quod ipse procul reiicit. Sensus patet: remedia admovit manu sua, non solum praecepit.

Suspecta tempora, quum crisis, accessio esset. Cf. supra ad cap. 8, 1.

audivit: in turba multorum invocantium ego illi potissima curatio fui; tantum aliis vacavit, quantum mea valetudo permiserat. Huic ego non tanquam medico, sed tanquam amico, obligatus sum. Alter rursus docendo et laborem et taedium tulit; praeter illa quae a praecipientibus in commune dicuntur, aliqua instillavit ac tradidit; hortandô bonam indolem erexit; et modo laudibus fecit animum, modo admonitionibus discussit desidiam. Tum ingenium latens et pigrum, iniecta, ut ita dicam, manu, extraxit: nec quae sciebat, maligne dispensavit, quo diutius esset necessarius, sed cupiit, si posset, universa transfundere. Ingratus sum, nisi illum inter gratissimas necessitudines diligo.

XVII. Sordidissimorum quoque artificiorum insti-

Curatio. Sic omnes Mss. et edd. et recte quidem. Burmannus tamen ad Propert. I, 3, 46 p. 44, *cura* praetulit, quia cura proprium medicis est. Itaque *curatio* putat a glossa venisse. Perperam. Nam *curationem adhibere morbis* non raro occurrit. E. c. Cic. de Off. I, 24. Sed sensus τοῦ *pot. curatio fui*: potissimum eius cura, curatione dignus habitus sum. Abstractis autem saepe pro concretis usos esse Veteres notum est. Sic gratia, etc., cf. Valcken. ad Eurip. Hippol. 786.

Alter rursus docendo et laborem, etc. Gronov. sequitur codicem Naz. et Rottendorf. qui τὸ *in* ante *docendo* expellunt.

Iniecta... manu, i. e. omni opera et vi adhibita.

Maligne. Hoc est, parce.

Necessitudines. Amicos.

XVII. Arg. Ingratissimi animi hunc esse qui avare et maligne nihil non aestimat, neque plus dandum arbitratur quam pepigit. Dari aliquid supra constitutum pretium sordidissimis opificibus et servulis in diem se ac operam suam locantibus. Quidni amicis? quidni ingenuis? quidni bonas artes et liberales exercentibus?

Institoribus, qui merces vendunt emuntque: tabernis praepositi ἐργαστηριάρχαι. *Institor appellatus est* (*ut scribit Vlpian. lib. XXXIX, ad edictum*), *ex eo quod negotio gerendo instet. Nec multum facit, tabernae sit praepositus, an cuilibet alii negotio* Vnde saepe pro mercatoribus sumpti occurrunt institores. Martial. lib. VII, epigr. IX: *Abstulerat totam temerarius institor urbem*; *Inque suo nullum limine limen erat.* Ditissimi vero existimabantur; et ad illud respiciens Horat. Carm. lib. III, od. VI: *Sed iussa coram non sine conscio Surgit marito, seu vocat institor, Seu navis Hispanae magister Dedecorum pretiosus emptor.* Noster hoc ipso lib. c. 38, institores delicatarum mercium.

Digitized by Google

toribus supra constitutum aliquid adiecimus, si nobis opera illorum enixior visa est: et gubernatori, et opifici vilissimae mercis, et in diem se locanti corollarium adspersimus. In optimis vero artibus quae vitam aut conservant, aut excolunt, qui nihil se plus existimat debere quam pepigit, ingratus est. Adiice, quod talium studiorum traditio miscet amicos; hoc quum factum est, tam medico quam praeceptori pretium operae solvitur, animi debetur.

XVIII. Plato, quum flumen nave transisset, nec ab illo quidquam portitor exegisset, honori hoc suo datum credens, dixit positum illi esse apud Platonem officium. Deinde paulo post, quum alium atque alium gratis eadem transveheret sedulitate, negavit illi iam apud Platonem positum officium. Nam ut tibi debeam 2
aliquid, pro eo quod praestas, debes non tantum mihi praestare, sed tanquam mihi; non potes ob id

Cf. Ep. 52, 14. *Sordida artificia* vocat quae servorum, libertinorum, etc. esse solebant: pertinent huc omnes mercenarii, opifices, caupones, unguentarii, sellularii, *βάναυσοι*, quique ad regulas constitutas, nulla aut exigua animi et ingenii libertate atque inventione utentes opificia perficerent. Cf. Cic. de Off. I, 42, qui est locus class. hac de re.

Adiecimus. Scilicet nos domini s. magistri, qui tabernae praeposuimus: dedimus aliquid supra mercedem, quam pacti eramus. Namque ad emptores neque commode hoc referas, nec satis ex more. Vid. inf.

Et in diem se locanti. Immo et in horam; quales fuerunt lecticarii, ploratores, etc.

Corollarium, auctarium, *ἐπίμετρον* et a mensura frumentaria derivata est vox; Explicat Varro de L. L. IV, 36; coll. Phaedr. V, 7, 34.

Miscet. Inter se iungit, amicitiam conciliat.

XVIII. Anc. Platonis vox id beneficium negantis, quod promiscue et cuilibet impertitur.

Plato, etc. Ille enim non, ut magister eius Socrates, maximam vitae partem Athenis vixit, sed itinera v. c. in Siciliam (ann. ant. Chr. nat. 389, 364 et 360) et Magnam Graeciam fecit. Vid. Plutarch. in Plat. et Nostratis *Barthélemy* laudatum opus *Voyage d' Anacharsis* cap. 38, tum notam primam quae ad istius capitis calcem relecta est. Unde noster haec hauserit dicere, non habeo. Fortasse e Stoicis, quos sequitur, v. c. e libro Cleanthis, quem supra c. 11, etiam Platonem exempli causa laudasse vidimus, mutuatum esse credere licet.

quemquam appellare quod spargis in populum. Quid ergo? nihil tibi debebitur pro hoc? tanquam ab uno, nihil; cum omnibus solvam, quod tibi cum omnibus debeo.

XIX. « Negas, inquit, ullum dare beneficium eum, qui me gratuita nave per flumen Padum tulit? » Nego. Aliquid boni facit, beneficium non dat; facit enim sua causa, aut utique non mea. Ad summam, ne ipse quidem se mihi beneficium iudicat dare: sed aut reipublicae, aut viciniae, aut ambitioni suae praestat, et pro hoc aliud quoddam commodum exspectat, quam quod a singulis recepturus est. « Quid ergo, inquit, si Princeps civitatem dederit omnibus Gallis, si immunitatem Hispanis, nihil hoc nomine singuli debebunt? » Quidni debeant? debebunt autem non tanquam proprium beneficium, sed tanquam publici partem. « Nullam, inquit, habuit cogitationem mei. Illo tempore, quo universis proderat, noluit mihi proprie civitatem dare, nec in me direxit animum. Ita quare ei debeam qui me sibi non substituit, quum facturus esset quod fecit? » Primum, quum cogitavit Gallis omnibus prodesse, et mihi cogitavit prodesse; eram enim Gallus: et me, etiam si non mea, publica tamen nota comprehendit. Deinde ego quoque illi

Appellare; tanquem debitorem.

Quod spargis in populum, ut in ludis fieri solebat.

XIX. Anc. Disquisitio an illi gratia habenda et redhibenda qui beneficium communiter praestitit, ut si quis urbi immunitatem tribuat, populo toti civitatem. Affirmativa probatur, approbatur.

Omnibus Gallis. Alludit ad ipsum eius aevi factum. Nam Claudius Galliae Comatae plenam civitatem, id est cum iure suffragii dedit. Tacit. Ann. XI, 23.

Immunitatem nempe a tributis.

Ita..... substituit. Me non habuit animi consiliique sui scopum. Non proposuit, aut supposuit in mente talem.

Nota, gentis nomine.

Deinde. Proinde.

Deinde ego quoque illi non tanquam proprium debebo, sed commune: unus e populo, non tanquam pro me sol-

non tanquam proprium debebo, sed commune: unus e populo, non tanquam pro me solvam, sed tanquam pro patria conferam.

XX. Si quis patriae meae pecuniam credat, non dicam me illius debitorem, nec hoc aes alienum profitebor aut candidatus, aut reus: ad exsolvendum tamen hoc portionem meam dabo. Sic istius muneris quod universis datur, debitorem me nego: quia mihi dedit quidem, sed non propter me: et mihi quidem, sed nesciens an mihi daret: nihilominus aliquid mihi dependendum sciam, quia ad me quoque circuitu longo pervenit. Propter me factum debet esse, quod 2
me obliget. « Isto, inquit, modo, nec Lunae nec Soli quidquam debes: non enim propter te moventur. »

vam, sed tanquam pro patria conferam. Haec est vulgata. Sed codd. Nat. praestat: *Sed tanquam commune munus e populo.* Vulgata tamen bene habet. — *Conferam* gratiae meae partem.

XX. Ang. Istius beneficii quod communiter collatum est, non omnino debitores nos esse, aliquatenus tamen obligatos. Obiectionem refellit a sole et luna ductam: quibus nos nihil debere ait cavillans adversarius.

Si quis patriae... credat. Nam et hisce iam temporibus, ut hodie, pecuniam sumebant civitates a privatis mutuam. Nec satis scio annon, qui modo de Gallis loquebatur, Annaeus non de se, et divitiis suis, et generositate cogitaverit. Nam eum constat, his circiter temporibus quibus de Beneficiis scribebat, commodavisse Galliarum incolis municipiisque vim auri et argenti immensam.

Nec hoc aes alienum... reus, Colligere ex h. l. licet, *candidatos* honorum, aes suum et alienum professos esse, ut liqueret, censum senatorium eos habere, qui ad magistratus et publicum illum splendorem quaerebatur: *reos* autem criminum, in quibus pecuniaria res agebatur, idem fecisse apparet, ut aere alieno deducto, litis aestimatio solvi posset. Unicus hic est locus et singularis, quem, quantum memini, nullus auctorum classicorum tetigit.

Debitorem me nego. Intellig. debitorem de toto. Nempe non ego beneficium (i. e. totum beneficium) debeo, quum non totum acceperim: partem debeo, qui partem accepi. Aliquatenus ergo me obligatum non diffiteor; obligatum absolute, nego.

Nihilominus aliquid mihi dependendum sciam. Cf. not. sup. et quae supra prolata forte non attendisti: *Ad exsolvendum tamen hoc portionem meam dabo.*

Propter me..... quod me obliget. Necesse est id mei gratia feceris quod beneficii loco imputas et cuius gratiam exigis.

Digitized by Google

Sed quum in hoc moveantur, ut universa conservent, et pro me moventur: universorum enim pars sum. Adiice nunc, quod nostra et horum conditio dissimi-
3 lis est. Nam qui mihi prodest, ut per me prosit et sibi, non dedit beneficium: quia me instrumentum utilitatis suae fecit. Sol autem et Luna etiam si nobis prosunt sua causa, non in hoc tamen prosunt, ut per nos prosint sibi; quid enim nos illis conferre possumus?

XXI. « Sciam, inquit, Solem ac Lunam nobis velle prodesse, si nolle potuerint: illis autem non licet non moveri; ad summam, consistant, et opus suum intermittant! » Hoc vide quot modis refellatur. Non ideo minus vult, qui non potest nolle: immo maximum argumentum est firmae voluntatis, ne mutari quidem
2 posse. Vir bonus non potest non facere, quod facit: non enim erit bonus, nisi fecerit; ergo nec bonus vir beneficium dat, quia facit quod debet: non potest autem non facere, quod debet. Praeterea multum interest, utrum dicas, Non potest hoc non facere, quia cogitur: an, Non potest nolle. Nam si necesse est illi facere, non debeo ipsi beneficium, sed cogenti.

Universorum enim pars sum: quatenus humani animi decerpti sunt ex mente divina. Arrian. Diss. I, 14. Cf. Lipsii Physiol. Stoic. III, 8.

XXI. Anc. Quaestionem fusius persequitur et contra adversarios hoc πρόβλημα iacit. Solne et Luna, etc., gratiam merent? Affirmatur.

Sciam... intermittant. Quum Sol et Luna, pro Diis a Stoicis habiti, non libera voluntate utantur in conando prodesse nobis, sed non possint non facere quod faciunt: sequitur nos iis nihil debere: ad summum ac verbo, in argumentum, eos liberos esse, consistant, etc. Hanc obiectionem refellit. Optimum semper volunt, nec aliter tanquam Dii possunt. Quum enim Dii, aiunt Stoici, fatum necessitatemque, s. seriem causarum creaverint, nihil mutare possunt, optime quippe omnibus constitutis et dispensatis. Alioquin non Dii essent. Cf. Lipsii Physiol. Stoic. I. 12.

Vir bonus. Scilicet sapiens. Exemplum hoc magnam argumenti vim habet. Si enim desinat velle bonum, desinet quoque vir bonus esse: quod etiam in Deos ipsos cadat necesse

Si necesse est illi velle ob hoc, quia nihil habet me- 2
lius quod velit, ipse se cogit. Ita quod tanquam coacto non deberem, tanquam cogenti debeo. « Desinant, inquit, velle! » Hoc loco tibi illud occurrat. Quis tam demens est, ut eam neget voluntatem esse, cui non est periculum desinendi vertendique se in contrarium: quum ex diverso nemo aeque videri debeat velle, quam cuius voluntas usque eo certa est, ut aeterna sit? An si is quoque vult, qui potest statim nolle, is non videbitur velle, in cuius naturam non cadit nolle?

XXII. « Agedum, inquit, si possunt, resistant! » Hoc dicis: Omnia ista ingentibus intervallis diducta, et in custodiam universi disposita, stationes suas deserant, subita confusione rerum sidera sideribus incurrant, et rupta rerum concordia in ruinam divina labantur, contextusque velocitatis citatissimae, in tot saecula promissas vices, in medio itinere destituat, et quae nunc eunt alternis redeuntque opportunis libramentis, mundum ex aequo temperantia, repentino concrementur incendio, et ex tanta varietate

est: itaque neque mutari, neque consistere et opus suum intermittere possunt, optimum quippe semper sequentes.

Hoc loco tibi illud occurrat. Sic cod. Naz., quum alias τὸ *illud* omissum sit.

XXII. Arn. Quaenam arrogantia et dementia est, poscere, ut omnia corruant et incendio pereant ob hoc unum, ut obiectio tua refutetur? Sidera ingentibus spatiis et distantiis a se invicem esse remota, universum continere, totiusque ordinem conservare, etc., dogma stoicum fuit.

In tot saecula promissas vices: nec enim immortalitatem mundo tribuisse Stoicos constat.

Libramentis; aequali pondere atque motu.

Repentino.... incendio. Est haec Stoicorum ἐκπύρωσις. Quum enim principium, s. natura creans et regens omnia esset iis ignis, sive natura ignea, ea omnia, deos quoque et animos, concidere aliquando opinati sunt, neque quemquam Deorum restare, nisi illam naturam creatricem, Iovem: quamquam quae Cic. N. D. I, 14 sq. attulit, docent, nobis non liquido de hac re iudicare licere. Hinc Plutarchi illud, in libro Adversus Stoicos, Vol. XIV, p. 48 ed. Hutt.: *Chrysippus et Cleanthes* cae-

solvantur, atque eant in unum omnia. Ignis cuncta possideat, quem deinde pigra nox occupet, et profunda vorago tot deos sorbeat! Est tanti, ut tu coarguaris, ista concidere? Prosunt tibi etiam invito, euntque ista tua causa: etiamsi maior illis alia, ac prior causa est.

XXIII. Adiice nunc, quod non externa cogunt deos, sed sua illis in legem aeterna voluntas est: statuerunt, quae non mutarent. Itaque non possunt videri facturi aliquid, quamvis nolint: quia quidquid desinere non possunt, perseverare voluerunt: nec unquam primi consilii deos poenitet. Sine dubio stare illis et desci-

lum, terram, aërem; mare diis impleverunt, et neminem tamen ex tam multis immortalem reliquerunt, excepto uno Iove. Immo caeteros omnes natos esse et interituros ex ignis vi. Cf. Lipsii Physiol. Stoic. II, 22. Hoc Stoae dogma et Lucanus praeclare canit Phars. lib. I: *Sic quum compage soluta, saecula tot mundi suprema coëgerit hora, Antiquum repetens iterum chaos, omnia mixtis Sidera sideribus concurrent, ignea pontum Astra petent, tellus extendere littora nolet Excutietque fretum: fratri contraria Phoebe Ibit, et obliquum bigas agitare per orbem Indignata, diem poscet sibi; totaque discors Machina divulsi turbabit foedera mundi.*

Tot deos. Astra enim apud Stoicos Dii habebantur. Et apud Poëtas Deorum antiquissimus Caelum. Post hunc Helios, Hyperiou, Titan, Phoebus, qui unus et idem cum Sole, Phoebe quae Luna est, et Divus Μήν, et Lunus. Tum Phosphorus, Vrsa, Cancer et qui mortales Diis adscripti caelum occupavere, siderum formas mutant. Apud astronomicos vero planetis quoque Deorum nomina indita: Mercurius, Mars, Venus, Iupiter, Saturnus; quod ad literam sumi voluit Stoa.

Est tanti, ut tu coarguaris, ista concidere? Prosunt tibi etiam invito est e Gruteri emendatione, codicum, inprimis cod. Naz. ope adiuta, et Lipsii Gronoviique nsensu firmata Erasmus: *Sit tanti.... Ista tibi concedere possunt etiam invito euntque*, etc.

XXIII. Arg. Ex destinato nobis Deos prodesse, ergo et beneficos existimandos. Atqui solem et lunam e Deorum numero. Excursus in Deorum beneficentiam et praestantiam hominis, quem dum creant, volunt omnibus bonis animi, ingenii, corporis affluere.

Sed sua illis in legem aeterna voluntas est. Nunquam iis voluntas est, a lege discedendi.

Stare illis et decrescere. Codd. et ant. edd. inserunt recte *stare... et.* Reposuit Grut. cum Lipsio. Sensus quoque postulat. Sidera quiescere non possunt, etsi tu voles: neque item in contrarium, aut diversum exorbitare.

scere in contrarium non licet: sed non ob aliud, quam quia vis sua illos in proposito tenet; nec imbecillitate permanent, sed quia non libet ab optimis aberrare, et sic ire decretum est. In prima autem illa constitu- 2
tione, quum universa disponerent, etiam nostra viderunt, rationemque hominis habuerunt. Itaque non possunt videri sua tantum causa decurrere, et explicare opus suum, quia pars operis sumus et nos. Debemus ergo et Soli, et Lunae, et caeteris caelestibus beneficium, quia etiamsi potiora illis sunt, in quae oriuntur, nos tamen in maiora ituri iuvant. Adiice, 3
quod ex destinato iuvant; ideoque obligati sumus, qui non in beneficium ignorantium incidimus, sed haec quae accipimus, accepturos scierunt: et quamquam maius illis propositum sit, maiorque actus sui fructus, quam servare mortalia; tamen in nostras quoque utilitates a principio rerum praemissa mens est, et is ordo mundo datus, ut appareat curam nostri non inter ultima habitam. Debemus parentibus 4
nostris pietatem; et multi non ut gignerent, coierunt. Dii non possunt videri nescisse quid effecturi essent,

Vis sua; constantia et firmitas illis propria. Cf. Nat. Quaest. I princ.

Nec imbecillitate: Sic cod. Naz. et unus palat.: alii, *in* s. *ex imbecill.*

In prima autem illa constitutione, aeterna, quae Iove auctore fiebat. Dicunt enim a Iove omnia initium cepisse. Ζεὺς ἀρχή, Ζεὺς μέσα, Διὸς δ' ἐκ πάντα τέτυκται. Plutarch. Vol. XIV, p. 46 Hutt.

Potiora munera. Cf. de Ira II, 27. Est dogma stoicum, mundum esse factum Deorum hominumque causa.

Adiice, quod ex destinato, etc. Haec et sequentia tam praeclara sunt, ut non mirandum sit, Christianis antiquioribus fere omnibus, et multis recentiorum Senecam pro amicis Christianismi habitum esse. Sed falsam fuisse hanc sententiam cuique historiae philos. quam manifestum est. Facile autem in his praeclaris effatis fontem, unde Seneca haec hauserit, agnoscas, si modo quae Xenophon, et Plato, Antisthenesque e Socratis ore hac de re exposuerint, in memoriam revocaveris. At quam multi Stoicorum fuerint, qui de Fato, de Deo, etc., scripserint, Plutarchus aliique, et instar omnium Fabricius in Bibl. Graec. Tom. III Harles. in Catalogo Stoicor. docuerunt.

quum omnibus alimenta protinus, et auxília providerunt: nec eos per negligentiam genuere, quibus tam multa generabant. Cogitavit enim nos ante natura, quam fecit: nec tam leve opus sumus, ut illi potuerimus excidere. Vide quantum nobis permiserit, quam
5 non intra homines humani imperii conditio sit! vide in quantum corporibus vagari liceat, quae non coërcuit fine terrarum, sed omnem in partem sui misit! vide animi quantum audeant, quemadmodum soli aut noverint deos, aut quaerant, et mente in altum data divina comitentur! Scias, non esse hominem tumultuarium et incogitatum opus. Inter maxima rerum suarum, natura nihil habet quo magis glorietur,
6 aut certe cui glorietur. Quantus iste furor est, controversiam diis muneris sui facere? Quomodo adversus eos hic erit gratus, quibus gratia referri sine impendio non potest, qui negat ab his accepisse se, a

Et auxilia est cod. Naz. et Colon. ap. Grut., quum alii codd. et edd. haberent, *et alia utilia* s. *et alia prov.* s. *ex alia prov.*: facile autem intelligere est, *utilia* esse scholii loco positum et mox in textum invectum.

Cogitavit..... excidere. Sc. mente, animo. Cura nostri eos nunquam latuit: *Carior illis (Diis) est homo quam sibi.* (Iuv. sat. X, vs. 347.) Non sumus tam levis res, ut extra curam cogitationemque posuerint. Cf. de Benef. IV, 3 et 8, 11, 29. Ex his ipsis Stoae rivulis hortos suos irrigasse videtur Cicero de Legg. I sq. aliisque locis.

Fine terrarum est terrarum tenus, Bentl. ad Horat. Carm. lib. II, Od. XVIII, 30.

Vide in quantam.... misit. Sive, interpretatur Lipsius, quia maria sulcamus, in aërem vehiculis aut fu-
nibus tollimur; sive, quia oculos etiam mittimus in ipsum caelum; sive denique, quia nulli glebae affixis quaquaversus licet ire.

Et mente in altum data. I. ad coelum directa: sic Plin. H. N. XI, sect. 29, apes in altum datae, ait.

Divina, siderum cursum. Cf. II, 29, 3, 20.

Scias.... opus, quae erat Epicuri sententia, a fortuito atomorum concursu nos esse formatos.

Aut certe cui glorietur. In cuius honorem gl.

Quantus iste furor.... facere? In dubium vocare Dei beneficia, et sintne vere talia atque a voluntate, inquirere. Fuisse in Stoicis, qui hanc controversiam fecerint, manifestum est: sed nobis nonnisi ex hoc libro innotuit.

Sine impendio. Nempe quomodo

quibus quum maxime accipit; qui et semper daturi sunt, et nunquam recepturi? Quanta autem perversitas, ob hoc alicui non debere, quia etiam infitianti benignus est, et continuationem ipsam, seriemque beneficiorum, argumentum vocare necessario dantis? Nolo! sibi habeat! quis illum rogat? et omnes alias 7
impudentis animi voces his adstrue: non ideo de te minus meretur is, cuius liberalitas ad te, etiam dum negas, pervenit; cuiusque beneficiorum vel hoc maximum, quod etiam querenti daturus est.

XXIV. Non vides, quemadmodum teneram liberorum infantiam parentes ad salubrium rerum patientiam cogant? Flentium corpora, ac repugnantium, diligenti cura fovent: et ne membra libertas immatura detorqueat, in rectum exitura constringunt: et mox liberalia studia inculcant, adhibito timore nolentibus. Ad ultimum, audacem iuventam frugalitati, pudori, 2
moribus bonis, si parum sequitur, coactam applicant. Adolescentibus quoque, ac iam potentibus sui, si remedia metu aut intemperantia reiiciunt, vis adhibetur ac servitus. Itaque beneficiorum maxima sunt, quae a parentibus accipimus, dum aut nescimus, aut nolumus.

XXV. His ingratis, et repudiantibus beneficia, non

adversus homines, quibus reddi gratia sine re non potest, gratus erit qui negat, etc.?

Qui negat ab his accepisse se, a quibus quum maxime accipit. Lipsium, qui aiebat: possit et legi, *quum maxima accepit, et semper*, recte Gron. repulit. Possit, ait, si postulemus, Senecam σολοικίζειν.

XXIV. Arg. Dii nobis beneficia dant instar parentum nostrorum.

In rectum exitura constringunt fasciis et cunis, ut in rectum exeant, crescant.

Liberalia studia, grammaticam, musicen, graphicen, etc.: opponuntur ea sordidis artificiis.

Iuventam, aetatem quae infantiam sequitur. Hic usus interdum ap. auctores occurrit, nam alias inventas plerumque adolescentiam sequi solet.

Potentibus sui. De togae virilis datione cogitat Lipsius.

XXV. Arg. His ingratis similes esse dicit eos qui mala amicis optant, at

quia nolunt, sed ne debeant, similes sunt ex diverso nimis grati; qui aliquid incommodi precari solent his quibus obligati sunt? aliquid adversi, in quo affectum memorem accepti beneficii approbent. An hoc recte faciant, et pia voluntate, quaeritur, quorum animus simillimus est pravo amore flagrantibus, qui amicae suae optant exsilium, ut desertam fugientemque comitentur: optant inopiam, ut magis desideranti donent: optant morbum, ut assideant: et quidquid
2 inimicus optaret, amantes vovent. Fere idem itaque exitus est odii, et amoris insani. Tale quiddam et his accidit, qui amicis incommoda optant, quae detrahant, et ad beneficium iniuria veniunt: quum satius sit vel cessare, quam per scelus officio locum quaerere. Quid si gubernator a diis tempestates infestissimas, et pro-
3 cellas petat, ut gratior ars sua periculo fiat? quid si imperator deos oret, ut magna vis hostium circumfusa castris, fossas subito impetu compleat, et vallum trepidante exercitu convellat, et in ipsis portis infesta signa constituat, quo maiore cum gloria rebus lapsis
4 profligatisque succurrat? Omnes isti beneficia sua detestabili via dicunt, qui deos contra eum advocant,

inde sibi opportunitates nascantur gratum animum ostendendi.

Quaeritur: haud dubie ab auctoribus Stoae, quos sequitur.

Pravo amore flagrantibus, qui, etc. Sc. si ea frui non possint ut nobiliore, etc.

Cessare. Otiari, feriari, παύεσθαι τοῦ πόνου.

Gubernator. Ratis nempe.

Convellat. Nam stipitibus interpositis fiebat: unde haec phrasis. Cf. Lipsius de Mil. rom. V dial.

Portis. Sc. castrorum, quae vulgo quatuor erant, quod quadrata forma castra fere semper essent. Harum vero portarum illa quae ad hostes spectabat praetoria nuncupabatur, seu extraordinaria. Huic vicinum ducis tentorium, cui nomen modo praetorium, modo augurale, aut augustale. Oppositam extraordinariae decumanam appellabant; alias vero portam principalem dextram, et port. princ. sinistram. In medio spatium vacuum et liberum, nomine principia. Caeter. cf. Polyb. lib. VI, cap. 5; Caes. com. de B. G. lib. II, cap. 24; Veget. lib. I, cap. 23. Tum et supr. laudat. Lipsianos dialog. de milit. rom.

Digitized by Google

cui ipsi affuturi sunt, et ante illos sterni, quam erigi volunt. Inhumana ista perverse grati animi natura est, contra eum optare, cui honeste deesse non possis.

XXVI. Non nocet illi votum meum, inquit, quia simul opto et periculum, et remedium. Hoc dicis, nonnihil te peccare, sed minus quam si sine remedio periculum optares. Nequitia est, ut extrahas, mergere; evertere, ut suscites; ut emittas, includere. Non est 2 beneficium, iniuriae finis: nec unquam id detraxisse meritum est, quod ipse, qui detraxit, intulerat. Non vulneres me malo, quam sanes; potes inire gratiam, si, quia vulneratus sum, sanas: non, si vulneras, ut sanandus sim. Nunquam cicatrix, nisi collata vulneri, placuit: quod ita coisse gaudemus, ut non fuisse mallemus. Si hoc ei optares, cuius nullum beneficium haberes, inhumanum erat votum: quanto inhumanius ei optas, cui beneficium debes?

XXVII. Simul, inquit, ut possim ferre illi opem, precor. Primum, ut te in media parte voti tui occupem, iam ingratus es; nondum audio quid illi velis praestare: scio quid illum velis pati. Sollicitudinem illi et metum, et maius aliquod imprecaris malum: optas, ut ope indigeat; hoc contra illum est: optas ut tua indigeat ope; hoc pro te est: non succurrere vis illi, sed

XXVI. Aug. Illorum vituperium qui periculum, qui mala aliis precantur, ipsi depulsuri et σωτῆρας se καὶ ἀποτροπαίους sperantes. Insolentiam id et iniuriam, non beneficentiam.

Vt extrahas; e mari nempe hunc qui naufragium passus est.

Vt emittas, sc. e. carcere captivum, ut liberes.

Iniuriae finis. I. e. incommodis malisque, quibus aliquem affeceris, finem imposuisse.

Nunquam cicatrix... placuit. Id est, per se non placet, sed comparatione placet. Cicatricem malo quam vulnus.

XXVII. Aug. Eandem materiam persequitur. Ingratus est qui ita se solvi cupit, ut etiam per calamitates solvatur. Hostibus simillimum se facit, qui cum hostibus precatur. Omnes incusabunt te et male habebunt. Tum inutilis opera et in irrito labor, quem tu tibi imponi cupis.

Digitized by Google

2 solvere. Qui sic properat, ipse solvi vult, non solvere. Ita quod unum in voto tuo honestum videri poterat, ipsum turpe et ingratum est, nolle debere; optas enim, non ut tu facultatem habeas referendae gratiae, sed ut ille necessitatem implorandae. Superiorem te facis, et quod nefas est, bene meritum ad pedes tuos mittis; quanto satius est, honesta voluntate debere,
3 quam per malam rationem solvere? Si infitiareris quod acceperas, minus peccares: nihil enim nisi quod dederat, amitteret; nunc vis illum subiici tibi iactura rerum suarum, et status mutatione in id devocari, ut infra beneficia sua iaceat: gratum te putabo? coram eo, cui prodesse vis, opta. Votum tu istud vocas, quod inter gratum et inimicum potest dividi? quod non dubites adversarium et hostem fecisse, si extrema
4 taceantur? Hostes quoque optaverunt capere quasdam urbes, ut servarent: et vincere quosdam, ut ignoscerent; nec ideo non hostilia vota: in quibus, quod mitissimum est, post crudelitatem venit. Denique qualia esse iudicas vota, quae nemo tibi minus volet,
5 quam is pro quo fiunt, succedere? pessime cum eo

Qui sic properat:... non solvere. Significat, illi est grave beneficium; et liberari statim vult, nec tam gratus esse quam expeditus. Caeterum iocus circa verba *solvere* et *solvi*.

Ad pedes tuos, tanquam supplicem, qui ad genua tua prolabatur, ut ipsi opem feras.

Ut infra beneficia sua iaceat, ut nunc conditionem habeat, quae istis beneficiis ne emendari quidem possit, quae ipse antea dederat. *Iacere*, κεῖσθαι, de pessima conditione usurpatur, deminutum esse. Cf. Ernesti cl. Cic. h. v. Lipsius tamen de hominibus et iis quidem quibus bene fecit accipere malit. At de his in antegressis; *bene meritum ad pedes tuos mittis*, iam sermo fuit.

Dividi. Quia prior pars hostilis est, altera amica.

Quod non dubites.... fecisse te in bene meritum.

Si extrema taceantur, e. c. auxilium, quod ei ferre gestis.

Hostes.... ignoscerent. Iulii Caesaris historia exemplorum copiam praebet, qua haec illustrantur.

Quae nemo tibi.... succedere. Quae in irrito iacere, neque a faventibus Diis audiri ille praesertim optabit, pro quo facis.

agis, cui vis a Diis noceri, a te succurri : inique cum ipsis Diis. Illis enim durissimas partes imponis, tibi humanas; ut tu prosis, Dii nocebunt? Si accusatorem submitteres, quem deinde removeres, si aliqua illum lite implicares, quam subinde discuteres, nemo de tuo scelere dubitaret; quid interest, utrum istud 6
fraude tentetur, an voto? nisi quod potentiores illi adversarios quaeris. Non est quod dicas: « Quam enim illi iniuriam facio? » Votum tuum aut supervacuum est, aut iniuriosum : immo iniuriosum, etiamsi irritum. Quidquid non efficis, Dei munus est: iniuria vero, quidquid optas. Sat est: tibi non aliter debemus irasci, quam si feceris.

XXVIII. « Si vota, inquit, valuissent, et in hoc valuissent, ut tutus esses. » Primum, certum mihi optas periculum sub incerto auxilio; deinde utrumque certum puta: quod nocet, prius est. Praeterea, tu conditionem voti tui nosti: me tempestas occupavit, portus ac praesidii dubium. Quantum existimas tormentum, etiamsi accepero, eguisse? etiamsi ser-

Cui vis.... noceri, quatenus a Diis precaris, ut bene merito malo iniungantur.

Illis enim.... humanas. Illis enim maleficium, beneficium tibi, κακεργετάς τε καὶ πανούργους θεοὺς ἀξιοῖς, σὶ δὲ εὐεργετήν.

Submitteres, subornares, clam instrueres.

Removeres, refutares.

Supervacuum. Nam si beneficio tuo, Averruncus semo, vel periculum, vel malum depuleris, inutile iam id periculi, id mali esse patet.

Aut iniuriosum. H. e. noxium, funestum. Nempe si voti pars prior tantum rata sit, posterior vero omissa Diis et neglecta.

Immo iniuriosum, etiamsi irritum. Iniuriosum, etiamsi utramque voti partem Deus audierit. Gradatio in sententiis manifesta est.

XXVIII. Ano. Tum, etsi a malis et malorum periculo me liberasti, non prohibes quin trepidaverim, gemuerim, infelix fuerim? Infelicem me et infelicitas et ipse infelicitatis metus fecere. Tu sublata priore, num et posteriorem sustulisti?

Praeterea.... dubium. Tibi voti conditio et exitus noti erant, mihi non item: dubium, incertum erat, portumne ac praesidium, s. opem consequerer.

Accepero. Sc. auxilium portus praesidiique.

vatus fuero, trepidasse? etiamsi absolutus fuero, causam dixisse? Nullius metus tam gratus est finis, ut non gratior sit solida et inconcussa securitas. Opta, ut reddere mihi beneficium possis, quum opus erit, non ut opus sit. Si esset in tua potestate, quod optas, ipse fecisses.

XXIX. Quanto hoc honestius votum est? Opto in eo statu sit, quo semper beneficia distribuat, nunquam desideret. Sequatur illum materia, qua tam benigne utatur largiendo iuvandoque, ut nunquam illi sit dandorum beneficiorum inopia, datorum poenitentia. Naturam per se pronam ad humanitatem, ad misericordiam, et clementiam, irritet ac provocet turba gratorum: quos illi et habere contingat, nec experiri necesse sit. Ipse nulli implacabilis sit, ipsi nemo placandus; tam aequali in eum fortuna indulgentia perseveret, ut nemo in illum possit esse, nisi conscientia gratus. Quanto haec iustiora vota sunt, quae te in nullam occasionem differunt, sed gratum statim faciunt? Quid enim prohibet referre gratiam prosperis rebus? quam multa sunt, per quae quidquid debemus, reddere etiam felicibus possumus? fidele consilium, assidua conversatio, sermo comis, et sine adulatione iucundus; aures, si deliberare ve-

Non ut opus sit mihi illud reddere: fecisses ut opus esset, ipse in illud discrimen me adduxisses, me laesisses, eo deiecisses, ubi scilicet auxilium mihi ferre meque beneficio tuo afficere posses.

XXIX. Arg. Honestius votum est, ut amicus in optimo statu maneat.

Sequatur illum, etc. Sequitur illum *materia*, i. e. divitiae, et voluntas cum copia bene de aliis merendi: ei facillime adsint. Sic V, 12, 6: *felicissimis itaque opulentissimisque plurimum aestus subest, minusque se inveniunt, quo in maiorem materiam inciderunt, qua fluctuarentur.*

Naturam eius scilicet. Semper licebat ipsi esse tam felici, ut nonnisi gratos habeat beneficiorum compotes: nunquam *experiri*, gratiam reposcere, solvi necesse sit: quod quidem fieri nequit, nisi sors eius deterior facta ad beneficia ab iis recipienda, fuerit.

Occasionem, qualem, ut referres, solveres gratiam, voveras.

lit, diligentes; tutae, si credere; convictus familiaritas. Neminem tam alte secunda posuerunt, ut non illi eo magis amicus desit, quia nihil absit.

XXX. Ista tristis, et omni voto submovenda occasio, ac procul repellenda; ut gratus esse possis, iratis diis opus est? Nec ex hoc quidem peccare te intelligis, quod melius cum eo agitur, cui ingratus es? Propone animo tuo carcerem, vincula, sordes, servitutem, bellum, egestatem: haec sunt occasiones tui voti; si quis tecum contraxit, per ista dimittitur. Quin potius eum potentem esse velis, cui plurimum 2 debes, et beatum? Quid enim, ut dixi, vetat, te referre etiam summa felicitate praeditis gratiam, cuius plena tibi occurret et varia materia? Quid? tu nescis debitum etiam locupletibus solvi? Nec te invitum distringam. Omnia sane excluserit opulenta felicitas, monstrabo tibi cuius rei inopia laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit. Scilicet ille, qui verum dicat, et hominem inter mentientes stupentem, caput fulmen impingere, cui tu beneficium collaturus es? Cf. 27, 5.

Aures, si deliberare velit, diligentes; tutae, si credere; convictus familiaritas. Sic egregie emendavit Erasmus, codd. addicentibus; quum passim legeretur et in editis et in mss. *aut res si deliberare velit, diligentes tute sic credere convictus familiaritas.* Quod tamen ille addidit: *secretae conviotus* codd. respuunt.

Vt non illi eo magis... absit: quia semper *magnae fortunae* (*Velleii Paterculi dictum*) *comes adulatio*, et veritas ac candor apud felices potentesque vix habitant.

XXX. Aug. Etiam summa felicitate praeditis et beatis gratiam referre possumus, verum dicendo, et nihil dissimulando, nec adulando.

Iratis diis opus est. H. e. num irasci Deos necessarium est, et in illius

Cui. I. e. si ei ingratus es, talia vota non faciendo, ut carcerem, etc. a diis preceris.

Sordes accusati.

Si quis tecum contraxit. Suppl. *societatem.* Interdum *contrahere* occurrit, subintell. *vinculum.*

Per ista vota tua solvitur.

Nec te invitum distringam; illigatum tenebo, ut debitor contra voluntam tuam maneas.

Fastigia de summa tecti parte, ἀπὸ τοῦ, deinde de quavis summitate dici notum est: sic Sueton. in Caes. cap. 76: *ampliora humano fastigio.*

Stupentem illa, mendacio, iisque illinitum.

ipsaque consuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum, vindicet a consensu
3 concentuque falsorum. Non vides, quemadmodum illos in praeceps agat exstincta libertas, et fides in obsequium servile submissa, dum nemo ex animi sui sententia suadet dissuadetque, sed adulandi certamen est, et unum amicorum omnium officium, una con-
4 tentio, quis blandissime fallat? Ignoravere vires suas, et dum se tam magnos, quam audiunt, credunt, attraxere supervacua, et in discrimen rerum omnium perventura bella: utilem et necessariam rupere concordiam; secuti iram, quam nemo revocabat, multorum sanguinem hauserunt, fusuri novissime suum, dum vindicant inexplorata pro certis, flectique non minus existimant turpe quam vinci, et perpetua credunt, quae in summum perducta maxime nutant.

Falsorum amicorum, mentientium; vel rerum falsarum: sed prius anteponendum est ob *illos* infra.

Illos. Scilicet *falsos.*

Extincta libertas amicorum et familiarium, propter illam consuetudinem pro rectis blanda, s. adulatores suos audiendi.

Ex animi sui sententia: formula vetus, qua significabant, puriter, libere et ex interiore sensu dici. Cf. Ernesti Clav. Cic. Caeterum de hac sententia collegit quaedam Freinshem. ad Curt. III, 2, 11.

Ignoravere vires suas. Exempla plura attulit Plutarchus in libro noto de Adulatione et alias. Noster haud dubie Ptolemaeorum, inprimis vero Persei, ultimi Macedonum regis, cuius historia e Liv. notissima est, memor fuisse videtur. Ipsa autem haec verba sequentia nostrum animum, si quid aliud, adverterunt, quoniam, quasi a vate profecta, causam continent satis manifestam calamitatis, qua regnum Borussicum afflictum querimur. *Ruh.*

Revocabat, temperabat.

Multorum sanguinem hauserunt. Iisdem fere verbis Lucan. Ph. lib. I init. *Hoc quem civiles hauserunt sanguine dextrae.*

Quae in summum perducta maxime nutant. Idem Lucanus lib. I: *Invida fatorum series, summisque negatum Stare diu, nimioque graves sub pondere lapsus... In se magna ruunt: laetis hunc numina rebus Crescendi posuere modum.* Senec. Tragic. *Quidquid excessit modum Pendet instabili loco.* Aeschyl. praeclarius in Persis, act. I, sc. I:

Δολόμητιν δ' ἀπάταν θεοῦ
Τίς ἀνὴρ θνατὸς ἀλύξει;
Τίς ὁ κραιπνῷ ποδὶ πηδή-
ματος εὐπετοῦς ἀνάσσων;
Φιλόφρων γὰρ σαίνου-

Ingentia super se ac suos regna fregerunt, nec intellexerunt, in illa scena, et vanis et cito diffluentibus bonis refulgente, ex eo tempore ipsos nihil non adversi exspectare debuisse, ex quo nihil veri audire potuerunt.

XXXI. Quum bellum Graeciae indiceret Xerxes, animum tumentem oblitumque quam caducis confideret, nemo non impulit. Alius aiebat, non laturos nuntium belli, et ad primam adventus famam terga versuros: alius, nihil esse dubii, quin illa mole non vinci solum Graecia, sed obrui posset: magis verendum, ne vacuas desertasque urbes invenirent, et profugis hostibus vastae solitudines relinquerentur, non habituris ubi tantas vires exercere possent. Alius, 2
illi vix rerum naturam sufficere, angusta esse classibus maria, militi castra, explicandis equestribus copiis campestria, vix patere caelum satis ad emittenda omni manu tela. Quum in hunc modum multa undique iactarentur, quae hominem nimia aestimatione sui furentem concitarent, Demaratus Lacedaemonius so-

σα τὸ πρῶτον, πάραγε
Βρότον εἰς ἀρχύστατα,
Τόθεν οὐκ ἔστιν ὑπὲρ θνατὸν ἁλύξαντα φυγεῖν.

Ingentia super se ac suos regna. Sic omnes fere codd. dant: alii, *Super se ac sua regna*, unde Erasmus finxit: *super se cusura r.* Sed emendatione non opus quamvis ingeniosa.

XXXI. Anc. Exemplo sit Xerxes.

Xerxes. Rem narrat Herodot. VII, 3, 9 sq. 101 sq. 209. Cf. *Meiners Geschichte der Wiss.* II, p. 107. Accidit ol. LXXV, 1. Caeterum impetu declamatorio abripi Senecam in describenda deliberatione patet, et memoria magis confisum, quam recentem ab Herodoti lectione, haec scripsisse. Sed quum haec Xerxis expeditio eiusque exitus satis amplam declamationibus materiam praeberet, nec historicis, e. c. Phylarcho, veritati semper adhaerescere placuisset, non mirum, quod in hanc quoque rhetores summopere involaverint, mutando, ornando, etc. Hinc autem vel simili ex fonte non nimis limpido, nostrum historica sua desumpsisse, aliquotics monuimus. Si enim Herodotum VII, 10 consuluisset, Artabani dissuadentis bellum in Graeciam, et castigantis Mardonium regi assentientem verba, non praetermisisset.

Vix patere caelum... manu tela. Et hoc a Xerxis legatis iactitatum, et Leonidae responsum omnes norunt.

Demaratus, rex Lacedaemoniorum, qui, patria relicta, in Asiam profu-

lus dixit: «ipsam illam qua sibi placeret multitudinem, indigestam et gravem, metuendam esse docenti:
3 non enim vires, sed pondus habere: immodica nunquam regi posse; nec diu durare, quidquid regi non potest. In primo, inquit, statim monte Lacones obiecti, dabunt tibi sui experimentum. Tot ista gentium millia trecenti morabuntur, haerebunt in vestigio fixi, et commissas sibi angustias tuebuntur, et cor-
4 poribus obstruent; tota illos Asia non movebit loco; tantas minas belli, et paene totius generis humani ruentis impetum, paucissimi sistent. Quum te mutatis legibus suis natura transmiserit, in semita haerebis,

gerat, bene exceptas a Xerxe. Cf. Herodot. VI, 70. Quae h. l. Demaratus dixit, quam maxime diversa sunt ab iis, quae Herodot. VII, 102 sq. narrat.

In primo... monte: angustias Thermopylarum dicit. Vid. pag. seq.

Trecenti. Lacones, quos Leonidas rex Lacedaem. secum retinuit, sociis domum dimissis. Res est notissima et celebrata Gloverii, Angli, carmine epico, *Leonidas* inscripto, et ab Liberto egregie in Germanicum ex anglico sermone converso. Simonidis duo epigrammata in hos qui pro patria ad Thermopylas occubuere, exstant in Brunckii Anal. To. I, p. 1.5t, n. XXIX et XXX; ubi vid. *Iacobs.*

Paucissimi sistent. Mss. tres *sustinent.* Sicque emendatum est etiam in Naz.; tamen prius fuit *paucissimis stent.* Sic Gruterus. Ista manus emendatrix improba fuit, et pro una litera, quae deerat, tres infulsit, ut tamen non conveniret. Scribendum erat *paucissimi sistent.* Vel hinc disce praestantiam principis Senecae codicum. Haec Gron., qui vim verbi exemplis nunc satis notis adstruxit. Tam palmariam emendationem recepi fidenter.

Quum te mutatis legibus suis natura transmiserit: propter pontes duos Hellesponto iunctos, et propter montem Atho perfossum. Herodot. VII, 35 sq. 21 sq. Iuvenal. X, 172-74: *Creditur olim Velificatus Athos, et quidquid Graecia mendax Audet in historia.* Aeschylus, modo laudato dram. eadem scena:

Πεπίρανται μὲν ὁ πρεσβυτολὰς ἤδη
Βασίλειος στρατὸς εἰς ἀν-
τίπορον γειτονᾶ χέρσον,
Δινοδίσμῳ σχιδίᾳ
Πορθμὸν ἀμείψας
Αθαμαντίδος Ἑλλης,
Πολύγομφον ὄδισμα
Ζυγὸν ἀμφιβαλὼν αὐχένι πόντου.

Declamator Seneca in Suasor. II: *maria terrasque rerum Natura statione mutavit sua: moriamur trecenti, ut hic primum invenerit, quod mutare non possit.* Vides, ait Lipsius, *mutandi* verbum in hac re placuisse: quia nempe e terra mare, e mari terram fecit; *transmiserit* sc. in Graeciam.

Digitized by Google

et aestimabis futura damna, quum putaveris quanti Thermopylarum angusta constiterint. Scies te fugari posse, quum scieris posse retineri. Cedent quidem tibi 5 pluribus locis, velut torrentis modo ablati, cuius cum magno terrore prima vis defluit: deinde hinc atque illinc coorientur, et tuis te viribus prement. Verum est quod dicitur, maiorem belli apparatum esse, quam qui recipi ab his regionibus possit, quas oppugnare constituis. Sed haec res contra nos est: ob hoc 6 ipsum te Graecia vincet, quia non capit; uti toto te non potes. Praeterea, quae una rebus salus est, occurrere ad primos rerum impetus, et inclinatis opem ferre non poteris, nec fulcire ac firmare labantia. Multo ante vinceris, quam victum esse te sentias. 7 Caeterum non est, quod exercitum tuum ob hoc sustineri putes non posse, quia numerus eius duci quoque ignotus est. Nihil tam magnum est, quod perire non possit: cui nascitur in perniciem, ut alia quiescant, ex ipsa magnitudine sua, causa. » Acciderunt 8 quae Demaratus praedixerat. Divina atque humana

Thermopylarum angusta. Angustiae in Locrensium agro, et Thessaliensibus conterminae, quas hinc Oetae montis iuga, hinc Maliacus sinus coërcebant. Thermopylae vero nominabantur quasi θερμαὶ πύλαι, *calidae fores*, quod et calentes aquae non procul ostenderentur, et Graeciae portae quodam modo essent. Caeterum apud Veteres nil crebrius quam portarum nomen angustiis dari. Sic et in Hyrcania Caucasiae pylae, et inter Ciliciam et Syriam pylae Ciliciae adspectabantur. Thermopylae hod. *Thermi.*

Et tuis te viribus prement: quippe quas explicare non poteris; quae se involvent, aut obterent. Factum quoque hoc est in praelio navali ad Salamina. Herodot. VIII, 60 sq. deinde in praelio ad Plateas. Herodot. IX, 59 sq. Hinc et verba: *uti toto te non potes*, explices.

Sua, causa. Etiamsi aliae causae absint, ex ipsa mole exercitus tui causa propria perniciei enascitur. Sic Horat. Carm. lib. III, Od. IV, vs. 65: *Vis consili expers mole ruit sua.*

Divina atque humana, etc. Multi sunt Herodotus aliique auctores invasionem Xerxis describentes in exponendis et, si fieri possit, exaggerandis calamitatibus Graeciae ab exercitu Persarum inflictis: e. c. Athenae dirutae et solo aequatae, templa deorum cremata, etc.

impellentem, et mutantem quidquid obstiterat, trecenti stare iusserunt; stratusque per totam passim Graeciam Xerxes intellexit, quantum ab exercitu turba distaret. Itaque Xerxes, pudore quam damno miserior, Demarato gratias egit, quod solus sibi verum dixisset, et permisit petere quod vellet; petit
9 ille, ut Sardes, maximam Asiae civitatem, curru vectus intraret, rectam capite tiaram gerens; id solis datum regibus. Dignus fuerat praemio, antequam peteret: sed quam miserabilis gens, in qua nemo fuit, qui verum diceret regi, nisi qui non dicebat sibi?

XXXII. Divus Augustus filiam ultra impudicitiae

Et mutantem quidquid obstiterat. Iam Erasmo displicuit haec lectio, qui putavit forte fuisse *minitantem*, non probante Grutero. Patet tamen *mutantem* non esse veram lectionem. Fortasse fuit *motantem*. *Mutare* autem et *motare* saepe a librariis permutata esse, quis dubitet? Simile aliquid habet Virg. Aen. lib. III, vs. 581: *Et fessum quoties mutat latus, intremere omnem Trinacriam*, ibique vid. *Heyne*.

Itaque Xerxes, etc. Herodotus rei non meminit. Sed Phylarchus libro XI historiarum (diu iam nobis deperditarum) teste Suida, memoravit s. v. Τιάρα. Inclinatam (κεκλιμένην) gessere duces hanc tiaram, capitis ornatum, reges soli rectam. Ritum hunc tangunt et alii, quos vide apud *Brisson.* de regno Persarum p. 61 sq. 203 sq.

Sardes. Cur *Sardium* opulentissimae Asiae minoris et quidem Lydiae urbis (cf. *Heeren Ideen*, etc. II, p. 130 ed. 1) meminerit, inde explicaverim, quod Phylarchum putem Demarato Sardes, more persico c. c. e Themistoclis vita Plut. et Cornel. Nepotis, duo datas esse a Xerxe scripsisse: cuius scriptoris tamen fides, si Polybio II, 56 magis, ut par est, credamus quam Valckenario in Wyttenbachii Biblioth. Crit. II, 1, p. 107 sq. sublesta fuerit.

Sed quam miserabilis gens, etc. Si Herodotum noster inspexisset lib. VII, 10, hanc maculam Persis non adspersisset. Artabanus enim Xerxi verum dixerat, patruus eius, male tamen ab eo propterea exceptus.

Qui non dicebat sibi. Gruterus invenit haec verba in libris suis: a Lipsii codd. aberat negatio. Et abesse potest. Demaratus enim et suum ipsius commodum hac expeditione curavit, quod videre licet ex Herodot. VII, 235. Vincentius tamen bell. Speculi historialis IV, 38 negationem tenuit, praebens: *nisi qui non favebat sibi.* — *Qui non... sibi.* I. e. suo commodo; cuius minime intererat victorue an victus esset Xerxes.

XXXII. Anc. Ipse Augustus propositionis huius veritatem testatur.

Ultra impudicitiae maledictum. Sic optimi codd. Nuz. Col. et Era-

maledictum impudicam relegavit, et flagitia Principalis domus in publicum emisit: admissos gregatim adulteros, pererratam nocturnis comessationibus civitatem, forum ipsum ac rostra, ex quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiae in stupra placuisse, quotidianum ad Marsyam concursum, quum ex adultera in quaestuariam versa, ius omnis licentiae sub ignoto adultero peteret. Haec tam vindicanda Principi quam 2
tacenda, quia quarumdam rerum turpitudo etiam ad vindicantem redit, parum potens irae publicaverat. Deinde quum, interposito tempore, in locum irae subisset verecundia, gemens, quod non illa silentio pressisset, quae tamdiu nescierat, donec loqui turpe esset, saepe exclamavit: Horum mihi nihil accidisset, si aut Agrippa, aut Maecenas vixisset. Adeo tot ha- 3
benti millia hominum, duos reparare difficile est! Caesae sunt legiones, et protinus scriptae; fracta

smici, probantibus Lipsio et Gronov. Antea *intra pudicitiae.*

Admissos gregatim adulteros, etc. Res foedissima publico adeo testimonio confirmabatur: Quaestorem enim in Senatu litteras ab Augusto ad eumdem scriptas recitasse fert et noster et Sueton. Octav. 65. Plin. H. N. XXI, 3. Egregie tamen Iuliam ab criminibus istis liberatum ivit celeberrimus *Wieland* in Opp. To XXIV, p. 338 sq. qui huius loci, utpote in hac re classici, non immemor fuit p. 370 sq. Augustus eam relegavit in insulam Pandatariam, nunc *Santa Maria*, iuxta ins. Aenariam s. Pithecusam (nunc *Ischia*) a. V. 752, deinde Rhegium, ubi inedia vitam finire coacta fuit a Tiberio a. V. 768. Cf. Taciti Annal. I, 63.

Ad Marsyam: cuius statua in foro erat, et ad eam tribunal, cum Apolline ita iuncta, ut Marsyas superbiam repraesentaret ab Apolline, ut fabula nota refert, punitam. Lascivorum conventus ibi fuisse constat.

Haec tam vindicanda. Sic optimi codd., quum Muretus dedisset: *Haec non tam vindicanda.*

Quia quarumdam... redit: spectant haec ad *tacenda* solummodo.

Si aut Agrippa, aut Maecenas vixisset. M. Vipsanius Agrippa mortuus erat a. V. c. 742, et L. Cilnius Maecenas a. V. 746.

Adeo... difficile est! Sed verisimile est, Liviam, cuius et filii Tiberii res tum potissimum agebantur, non e re sua putasse, ut tales amicos eligeret Augustus, his praestantissimis viris similes, nec illa exclamatione iterata magnopere invitatam esse, ut reparationem iuvaret.

Caesae sunt legiones et protinus

classis, et intra paucos dies natavit nova; saevitum est in opera publica ignibus, surrexerunt meliora
3 consumptis: tota vita, Agrippae et Maecenatis vacavit locus. Quid putem? defuisse similes qui assumerentur, an ipsius vitium fuisse, qui maluit quaeri, quam quaerere? Non est quod existimemus, Agrippam et Maecenatem solitos illi vera dicere: qui si vixissent, inter dissimulantes fuissent. Regalis ingenii mos est, in praesentium contumeliam amissa laudare, et his virtutem dare vera dicendi, a quibus iam audiendi periculum non est.

XXXIII. Sed ut me ad propositum reducam, vides quam facile sit gratiam referre felicibus, et in summo humanarum opum positis. Dic illis non quod volunt audire, sed quod audisse semper volent: plenas aures adulationibus aliquando vera vox intret: da consilium utile. Quaeris, quid felici praestare possis? effice, ne felicitati suae credat, ut sciat illam multis et fidis
4 manibus continendam. Parum in illum contuleris, si illi semel stultam fiduciam permansurae semper potentiae excusseris, docuerisque mobilia esse quae dedit casus, et maiore cursu fugere quam veniunt; nec his portionibus, quibus ad summa perventum est, retro iri, sed saepe inter fortunam maximam et

scriptae. Videtur ad Vari cladem quae fuit ann. V. cond. 764, post Chr. nat. 10, respicere.

Tota vita reliqua. Mortuus autem est ann. Vrb. cond. 767, post Chr. nat. 14.

XXXIII. Arg. Bonum itaque consilium dando, et veritatem vel iniucundam dicendo, gratia potentioribus referri potest.

Sed quod audisse semper volent. Dic illis, non id quod nunc volunt cupiuntque audire, i. e. adulationes blandaque, sed quod ut semper audiverint aliquando optabunt, id est bona et recta consilia. Sic Croesus veritatem, quam Solon apud Herodotum, lib. I, cap. 30, ei dixit, graviter tulit, blanditias praeferens, sed mox optavit, ut semper Solonis monita audivisset. Laudat apposite Lipsius fragmentum Critiae Stobaei Flor. p. 322 ed. Schow.

Sed saepe.... interesse. Noster de Tranquill. c. XI egregie de hac re disseruit: sed horae momentum, ait

ultimam nihil interesse? Nescis quantum sit pretium amicitiae, si non intelligis multum te ei daturum, cui dederis amicum, rem non domibus tantum, sed saeculis raram; quae non uliubi magis deest, quam ubi creditur abundare. Quid? istos tu libros, quos vix nomenclatorum complectitur aut memoria, aut manus, amicorum existimas esse? Non sunt isti amici, 3
qui agmine magno ianuam pulsant, qui in primas et secundas admissiones digeruntur. Consuetudo ista vetus est regibus, regesque simulantibus, populum amicorum describere. Est proprium superbiae, magno aestimare introitum ac tactum sui liminis, et pro honore dare, ut ostio suo propius assideas, ut gradum prior intra domum ponas, in qua deinceps multa sunt ostia, quae receptos quoque excludunt.

XXXIV. Apud nos primi omnium C. Graechus, et mox Livius Drusus instituerunt segregare turbam suam, et alios in secretum recipere, alios cum pluribus, alios universos. Habuerunt itaque isti amicos primos, habuerunt secundos, nunquam veros. Ami-

§. 8, interest inter solium et aliena genua. Quam multa exempla historia nobis praebuit in Croeso, Dario Codomano, Perseo, Iugurtha aliisque ex antiquitate: nec nostra tempora carent similibus exemplis, quam fragilis sit fortuna humana, satis docentibus.

Quid? istos tu libros: in quibus amicos et clientes identidem salutantes nominatim atque ordine designatos esse, inde colligere licet: quos tot tantaque nomina complexos fuisse ait, ut ne maxima quidem memoria, e. c. nomenclatorum, iis retinendis sufficerit.

Non... pulsant salutaturi.

Qui... digeruntur. Cf. de Clement. I, 10, 1, not. Honestiores sive primae admissionis, primi ad salutationem admissi, etc.

XXXIV. Arg. Nam felices et potentes paucis veris amicis gaudent.

Apud nos... universos. Cf. Lipsii not. ad Tacit. VI, 9 et Ernesti excurs. ad Sueton. Tib. 46. Spectat huc contubernium, quod Romanis cum philosophis aliisque doctis graecis, etc., intercessit, e. c. Augusti cum Areo philosopho, Sueton. 89. Maecenatis cum Horatio, Virgilio aliisque, Horat. Satir. I, 5, etc. Egit de hoc contubernio Gierig. in Exc. II, ad Plin. Epp. Tom. II. (pag. 227.)

Habuerunt secundos. Sic codd. optimi, non, *et sec.*

Numquam veros omnes exhibent

Digitized by Google

cum vocas, cuius disponitur salutatio? aut potest huius tibi patere fides, qui per fores maligne apertas
2 non intrat, sed illabitur? Huic pervenire usque ad distringendam libertatem licet, cuius vulgare et publicum verbum et promiscuum ignotis, Ave, non nisi suo ordine emittitur? Ad quemcumque itaque istorum veneris, quorum salutatio urbem concutit, scito, etiam si animadverteris obsessos ingenti frequentia vicos, et commeantium in utramque partem catervis itinera compressa, tamen venire te in locum hominibus plenum, amicis vacuum. In pectore amicus, non
3 in atrio quaeritur; illo recipiendus est, illic retinendus, et in sensus recondendus. Hoc doce, gratus es. Male de te existimas, si inutilis es, nisi afflicto; si rebus bonis supervacuus. Quemadmodum te et in dubiis, et in adversis, et in laetis sapienter geris, ut dubia prudenter tractes, adversa fortiter, laeta moderate: ita in omnia utilem te amico exhibere potes.
4 Adversa eius si nec deserueris, nec optaveris, multa nihilominus, ut non optes, in tanta varietate, quae tibi materiam exercendae fidei praebeant, incident. Quemadmodum qui optat divitias alicui in hoc, ut

codd. Pincianus tamen maluit *neutros veros*, quam emendationem statim recepit Muretus, non magis necessariam, quam Lipsii *numquid v.?*

Distringendam, solvendam, laxandam, quam metus et reverentia retinet ac velut clausam tenet.

Quorum salutatio urbem concutit. Quem ut salutent clientes per urbem totam discurrunt, ita ut omnia simul mota videantur. *Salutatio* h. l. in sensu passivo accipitur.

Vicos plateas.

Commeantium, qui iam salutaverant, alii qui salutaturi sunt. Copiam describit Virgil. Georg. II, 462 not. ubi vid.

In atrio. Vestibuli genus quo clientes et amici consalutaturi confluebant. Horat.: *Atria servantem postico falle clientem.* Sed iam supra longius disseruimus de hoc.

Hoc doce. Si hoc felicem de te bene meritum docueris, iam gratus es.

Adversa eius.... deserueris. H. e. illum in rebus adversis deseras, ut qui *Diffugiunt cadis Cum fasce siccatis amici Ferre iugum pariter dolosi.*

Nec optaveris ut ei tunc opem ferre possis: quo de voto in antegressis egerat.

Praefert, quia vult ut opis suae egeat, ab eo pendeat.

Digitized by Google

illarum partem ipse ferat, quamvis pro illo videatur optare, sibi prospicit: sic qui optat amico aliquam necessitatem, quam adiutorio suo fideque discutiat, quod est ingrati, se illi praefert, et tanti aestimat illum miserum esse, ut ipse gratus sit, ob hoc ipsum ingratus. Exonerare enim se vult, et ut gravi sarcina liberare. Multum interest, utrum properes referre gratiam, ut reddas beneficium, an ne debeas. Qui reddere vult, illius se commodo aptabit, et idoneum illi venire tempus volet: qui nihil aliud quam ipse liberari vult, quomodocumque ad hoc cupiet pervenire: quod est pessimae voluntatis.

XXXV. Ista, inquam, nimia festinatio ingrati est; id apertius exprimere non possum, quam si repetivero quod dixi. Non vis reddere acceptum beneficium, sed effugere. Hoc dicere videris, Quando isto carebo? quocumque modo mihi laborandum est, ne isti obligatus sim. Si optares ut illi solveres de suo, multum abesse videreris a grato: hoc quod optas, iniquius est. Exsecraris enim illum, et caput sanctum tibi dira imprecatione defigis. Nemo, ut existimo, de im- 2
manitate animi tui dubitaret, si aperte illi paupertatem, si captivitatem, si famem ac metum imprecareris. Aliquid interest, utrum vox ista voti sit tui? Sa-

XXXV. Ang. Repetit quae dixerat: non festinandum esse in gratia referenda, non optanda mala amici, etc.

Defigis, κηλεῖς; de eo in uso est, qui incantationibus aliquem quasi attonitum omnique auxilio privatum atque destitutum reddit, ut loco moveri nequeat. Loca quaedam huc spectantia collegit Bentl. ad Hor. Carm. V, 17, 5, nostri loci memor.

Metum. Ita libri omnes. Optimi tamen Critici deque Seneca egregie meriti Pincianus et Gruterus hac lectione non contenti, nescio quidni, nisi quod prurigine emendandi moverentur, ille *mortem*, hic *letum* maluerunt. Male, si quid video. Gratus enim hoc loco bene de se merito summa mala quaevis optat, eius tamen generis et sub ea conditione, ut sua ipsius ope illis eum liberare possit. Atqui contra mortem nemo valet.

Sanius aliquid enim, etc. Dictum est, observante Gronovio, per ironiam.

Digitized by Google

nius aliquid enim horum optas! I nunc, et hoc esse grati puta, quod ne ingratus quidem faceret, qui modo non usque in odium, sed tantum ad inficiationem beneficii perveniret.

XXXVI. Quis pium dicet Aeneam, si patriam capi voluerit, ut captivitate patrem eripiat? Quis Siculos iuvenes, ut bona liberis exempla monstrarent, si optaverunt ut Aetna immensa ignium vi supra solitum ardens et incensa praecipitet, datura ipsis occasionem exhibendae pietatis, ex medio parentibus incendio
2 raptis? Nihil debet Scipioni Roma, si Punicum bellum ut finiret, aluit: nihil Deciis, quod morte patriam servaverunt, si prius optaverunt, ut devotioni fortissimae locum ultima rerum necessitas faceret. Gravissima infamia est medici, opus quaerere. Multi quos auxerant morbos, et incitaverant, ut maiore gloria sanarent, non potuerunt discutere, aut cum magna miserorum vexatione vicerunt.

Enimvero horum aliquod cui optas, sanius optas: par est utriusque voti insania: nihilo sanior haec optas quam illa. Sanius enim illud, sc. ut ei solvas de suo, optes, quam aliquid horum.

Aliquid interest, utrum vox ista voti sit tui? Sanius aliquid enim horum optas. I nunc, etc. Sic restituit Gron. locum omnium codd. auctoritate. Extrema dederat cod. Naz... *opta si in hunc*: alii, *sivi nunc, sim nunc.* Vulgg. habebant: *At quid interest, utrum vox ista tua sit an votum. Sanus aliquid horum opta. I nunc*, etc.

XXXVI. Aug. Exemplis probat non pii hominis esse malum alicui optare aut inferre, quod postea discutiamus.

Ut captivitate... eripiat: si forte captus fuisset: nam captum non fuisse, sed humeris filii ex urbe ablatum constat. Attigerat haec III, 37, 1. Caeterum cf. Heynii Exc. XVII ad Virgil. Aen. II.

Quis Siculos iuvenes, etc. Cf. ad III, 37, 2 not.

Ardens et incensa praecipitet, datura, etc. E cod. Naz. et antiquissimo Erasmi sic restituit Gron. Antea: *ardens daret ipsis occasionem.*

Ut finiret, aluit e cod. Naz. qui habebat *aliud.* Rottendorffi et Erfurtensis codd. a Gronov. inspecti, cum additamento habebant Nazariani scripturam: *perseveravit aliud.* Illud *perseveravit* esse scholion τοῦ *aluit* facile apparet. Antea: *ut finiret perseverare maluit.*

Gravissima infamia est medici, opus quaerere. H. e. nil medico maiori infamiae est, quam alicuius va-

XXXVII. Callistratum aiunt, ita certe Hecaton auctor est, quum in exsilium iret, in quod multos simul cum illo seditiosa civitas et intemperanter libera expulerat, optante quodam, ut Atheniensibus necessitas restituendi exsules esset, abominatum talem reditum. Rutilius noster animosius: quum quidam illum consolaretur, et diceret instare arma civilia, brevi futurum, ut omnes exsules reverterentur: Quid tibi, in- 2
quit, mali feci, ut mihi peiorem reditum, quam exitum optares? Malo, ut patria exsilio meo erubescat, quam reditu moereat. Non est istud exsilium, cuius neminem non magis, quam damnatum pudet. Quemadmodum illi servaverunt bonorum civium officium, qui reddi sibi penates suos noluerunt clade communi, quia satius erat duos iniquo malo affici, quam omnes publico: ita non servat grati hominis affectum, qui 3
bene de se merentem difficultatibus vult opprimi,

letudini noceat, vocandus mox et sanaturus aegrotantem.

XXXVII. Aac. Callistrati Atheniensis et Rutilii voces generosae, ex quibus patet quam impium sit optare amicorum, propinquorum, hominum denique quorumlibet calamitatem, ut illis deinceps auxilium afferatur.

Callistratum aiunt ... reditum: oratorem eximium et imperatorem non contemnendum, Atheniensem, qui causa super Oropo peroranda tale Demostheni eloquentiae, quale Herodotus historia sua recitanda Thucydidi historiae studium iniecit, ut ex Demetrio Magnesio refert pseudoplutarch. p. 844, b. fref., ex Hermippo Gellius III, 13. Demosthenes eum magni fecit: interrogatus enim, uter esset melior orator, ipsene an Callistratus, respondit: ἐγὼ μὲν γραφόμενος, Καλλίστρατος δὲ ἀκουόμενος. Egregie de patria meritus, capitis damnatus in exsilium abiit. Ex quo quum invito populo rediisset, ad supplicium raptus est. Cf. Ruhnkenii Histor. crit. Oratt. graec. in Reis. edit. Oratt. graec. Vol. VIII, p. 140 sq.

Rutilius. Cf. ad V, 17, 2.

Instare arma civilia inter Marium et Sullam.

Quia satius erat duos sc. Callistratum et Rutilium. Similia alia refert Valer. Max. V, 3. Plut. de exsilio, etc.

Quia satius erat duos iniquo malo affici quam omnes publico. Recte e codd. omnibus vindicavit Gron. contra emendatores, qui reponere maluere, alii *sontico*, alii *inique*, etc. *Vnico* invaserat vulgatas. An *iniquum malum*, ait Gron., minus bene dicitur, quam *magnum malum*, *meritum malum*, *maturum malum*?

Opprimi non comparet in cod. Naz.,

quas ipse submoveat; qui etiamsi bene cogitat, male precatur. Ne in patrocinium quidem, nedum in gloriam est, incendium exstinxisse, quod feceris.

XXXVIII. In quibusdam civitatibus impium votum sceleris vicem tenuit. Demades certe Athenis eum, qui necessaria funeribus venditabat, damnavit, quum probasset magnum lucrum optasse: quod contingere illi sine multorum morte non poterat. Quaeri tamen solet, an merito damnatus sit. Fortasse optavit, non ut multis venderet, sed ut care: ut parvo sibi con-
2 starent, quae venditurus esset. Quum constet negotiatio ex empto et vendito, quare votum eius in unam partem trahis, quum lucrum ex utraque sit? Praeterea omnes licet, qui in ista negotiatione sunt, damnes: omnes enim idem volunt, id est, intra se optant. Magnam hominum partem damnabis; cui enim non ex alieno incommodo lucrum? Miles bellum optat,
3 si gloriam; agricolam annonae caritas erigit; eloquen-

sed abesse vix bene potest; exstat quoque in aliis mss.: Gron. tamen a librariis esse profectam hanc vocem contendit. Dicitur, ait, per intellectum verbi substantivi, legitque *in difficultatibus vult.* Sed durum id esse quivis videt, et quaeso quidni et in cod. Naz. scribendo, socordia quadam librarium bonum quandoque subrepente, illud *opprimi* elabi poterat?

XXXVIII. Anc. Impia sunt talia gratorum vota: sceleris adeo vicem tenent in quibusdam civitatibus.

Demades, orator Atheniensis, Phocionis coaevus, mortuus est Ol. 115, 2. Cf. de eo Ruhnk. l. l. p. 150 sq. Simile romanum narrat Valer. Max. VIII, 1. Sueton. Tib. 2.

Qui necessaria funeribus venditabat, ὁ ἐνταφιοπώλης, qui fascias (τελα-μῶνας, ταινίας) ad funera a capite ad pedes vinciendo, unguenta, coronas, etc., venditabat. Conferantur Brunckii Analect. Tom. III, p. 169, nr. 96. Fortasse et haec Hecaton huius quaestionis gratia retulerat.

Quaeri.... sit. Factum hoc esse videtur, quoque in scholis rhetorum et declamationibus: ubi saltem his rebus idoneus locus erat.

Miles bellum optat, si gloriam sc. optat. Sic restituit Gron. e cod. Naz. Olim: *optat in gloriam*, uti omnes fere codd.: unde Pinc. *inglorium agricolam annonae caritas erigit.* Muretus: *Miles bellum optat. Agricolam a. c. e.*

Erigit bene habet: moneo, ne *exigit* emendes. Sensus est: gaudium et spem dat, firmat, grate movet.

Eloquentiae exceptat pretium litium

tiae exceptat pretium litium numerus; medicis gravis annus in quaestu est; institores delicatarum mercium iuventus corrupta locupletat; nulla tempestate, nullo igne laedantur tecta, iacebit opera fabrilis. Vnius votum deprehensum est, omnium simile est. An tu Arruntium et Aterium, et caeteros qui captandorum testamentorum artem professi sunt, non putas eadem habere, quae designatores et libitinarios, vota? illi tamen quorum mortes optent, nesciunt: hi familiarissimum quemque, ex quo propter amicitiam rei

numerus. Sic. cod. Nax. Col. unos pal. et Erasmicus: unde Erasmus quoque in editione. Praefero hanc lectionem ei, quam alii codd. et priscae edd. dabant *exoptat*. Valet itaque analogice excepto i. q. comparo, quaero. Sed exemplum adhuc quaero, nec credo lectionem esse genuinam. Muretus temere coniecturam suam in textum immisit: *eloquens captat pretium ex litium numero*. Lipsii coniecturas libens omitto. Bentleius ad Horat. Carm. I, 34, 13, Vol. I, p. 89, 90, ed. lips. emend. *eloq. exultat*. Exspectes etiam hic concretum, ut militem etc., habemus: hinc sensum Muretus, ut fuit homo sagacissimus, bene cepisse videtur, verba non item.

Institores. Cf. ad VI, 17, 1.

Delicatarum mercium, serici, cosae vestis, unguentorum, margaritarum, etc.

Vnius, pollinctoris istius, quem Demades damnavit.

Arruntium et Aterium: tantum ex hoc loco hos noscimus; nam qui e Tacito laudantur, cognomines quidem sunt, sed alii. Heredipetae iam ex Horatii II Serm. 5 noti sunt: cf. Consol. ad Marc. 19. Gataker ad Antonin. VI, 59.

Designatores qui funera comitabantur, disponebant, ordinabant. Cf. Lipsium de Amphitheatr. c. 15.

Libitinarios qui funera efferenda conducebant et caetera in hunc apparatum. Simili fere munere funguntur Londini *the undertakers* et apud nos *l'Administration des pompes funèbres*. Nomen his hominibus dedit Libitina i. e. Venus, ad rem funebrem traducta, fortasse quod casu quodam tabernae, ubi necessaria funeribus effe-rendis prostabant, eius templo adiacerent. Cf. Plut. Quaest. rom. c. 23, Tom. VIII, p. 323 sq. Hutten. qui etiam statuam Ἀφροδίτης ἐπιτυμβίας Delphis huc trahit, nescio quo iure. In huius Libitinae templum morientium nomine nummus inferri solebat e Servii Tull. instituto: unde tabellae mortalitatis confici poterant. Dionys. Halic. IV, c. 15, p. 676 Reisk.

Quorum.... nesciunt. Namque non hic aut illi mortem adesse cupiunt: multae mortes volunt, sed nulla personarum habita ratione.

Ex quo propter amicitiam rei plurimum est. Sic omnes codd. et edd. Gruterus tamen coni. *spei plurimum est*, quae emendatio textum editionum insequutarum invasit. Pincianus quoque emendavit, *cum quo propter rem amicitiae pl. e*. Sed vulgata stare po-

Digitized by Google

plurimum est, mori cupiunt. Illorum damno nemo vivit: hos quisquis differt, exhaurit. Optant ergo, non tantum ut accipiant, quod turpi servitute meruerunt, sed etiam ut tributo gravi liberentur. Non est itaque dubium, quin hi magis quod damnatum est in uno, optent: quibus quisquis morte profuturus est, vita nocet. Omnium tamen istorum tam nota sunt vota, quam impunita. Denique se quisque consulat, et in secretum pectoris sui redeat, et inspiciat quid tacitus optaverit; quam multa sunt vota, quae etiam sibi fateri pudet! quam pauca, quae facere coram teste possimus!

XXXIX. Sed non, quidquid reprehendendum, etiam damnandum est: sicut hoc votum amici, quod in manibus est, male utentis bona voluntate, et in id vitium incidentis, quod evitat; nam dum gratum animum festinat ostendere, ingratus est. Hic, ait, in potestatem meam recidat, gratiam meam desideret, sine me salvus, honestus, tutus esse non possit; tam miser sit, ut illi beneficii loco sit, quidquid redditur. Haec diis audientibus! Circumveniant illum domesticae insidiae,

test: *Plurimum rei est* significat: multas opes inde exspectat, rem familiarem amici sibi fore heredipeta sperat.

Damno. Nihil enim libitinariis tollitur, etsi non additur.

Hos.... exhaurit: quisquis spem heredipetarum non cito implet morte, exhaurit eos, quia munera assidue mittunt et ut tributa pendunt.

Quam pauca...teste possimus. Et aperto vivere voto. Cf. Persii Satyr. II, quae est de Votis.

XXXIX. Arg. Eamdem materiam persequitur, et in illos iterum invehitur vividissime qui ut beneficium alicui conferant, huic infortunium prius optant incumbere; illosque non modo damnandos, sed et ingratos esse pronuntiat.

Damnandum est sententia iudicis, exemplo illius Demadis.

Quod in manibus est, de quo nunc disquisitio est.

Male utentis bona voluntate. Qui etiam quum bene vult amico male optat, precatur; cuius bona voluntas alicui causa malorum est.

Et in id vitium incidentis. E cod Naz. illud *vitium* petitum et textui iam a Grutero redditum.

Hic qui bene de me meritus est.

quas ego possim solus opprimere; instet potens inimicus et gravis, infesta turba nec inermis, et creditor urgeat et accusator.

XL. Vide quam sis aequus! horum optares nihil, si tibi beneficium non dedisset. Vt alia taceam, quae graviora committis, pessima pro optimis referendo, hoc certe delinquis, quod non exspectas suum cuiusque rei tempus: quod aeque peccat, qui non sequitur, quam qui antecedit. Quo modo non semper beneficium recipiendum est, sic non utique reddendum. Si mihi non desideranti redderes, ingratus esses: quanto ingratior es, qui desiderare me cogis? Exspecta; quare subsidere apud te munus meum non vis? quare obligatum moleste fers? quare, quasi cum acerbo foeneratore, signare parem properas? Quid mihi negotium quaeris? quid in me deos immittis? quomodo exigeres, qui sic reddis?

XLI. Ante omnia ergo, Liberalis, hoc discamus, beneficia secure debere, et occasiones reddendorum observare, non manu facere: hanc ipsam cupiditatem primo quoque tempore liberandi se, meminerimus ingrati esse. Nemo enim libenter reddit, quod invitus debet: et quod apud se non vult esse, onus iudicat

XL. Anc. Iniquos illos quos reprehendit, quoniam qui eis nihil dederint, his nihil mali optent; his vero optent a quibus beneficia accepere. Tum et ob hoc illos delinquere, quod reddere nimis properent neque velint exspectare.

Si mihi non.... esses. Quoniam non tanquam beneficium, sed tanquam commodatum quid solveres.

Subsidere. Haerere et remanere.

Quare obligatum moleste fers? Sic omnes codd. et plurimae edd. At Muretus *obligatus*, etc.

Signare parem omnes scripti, omissa vulgata *rationem*. — *Signare.* Signantur rationes, quum finiuntur: quum bene dispunctae et pares factae comprobantur. Imo illa ipse verba videntur subscripsisse in codicis paginis, *par ratio.*

XLI. Anc. Occasio reddendi beneficii secure exspectanda est: non autem ante tempus manu faciendo.

Manu facere. I. opera nostra arcessere. Cf. ad Consol. ad Marc. c. 19, 2.

2 esse, non munus. Quanto melius ac iustius, in promptu habere merita amicorum et offerre, non ingerere, nec obaeratum se iudicare? quoniam beneficium commune vinculum est, et inter se duos alligat. Dic, Nihil moror, quo minus tuum revertatur ad te: opto hilaris accipias; si necessitas alterutri nostrum imminet, fatoque quodam datum est, ut aut tu cogaris beneficium recipere, aut ego accipere, det potius qui solet. Ego paratus sum.

Nulla mora in Turno!

ostendam hunc animum, quum primum tempus advenerit: interim dii testes sunt.

XLII. Soleo, mi Liberalis, notare hunc in te affectum, et quasi manu prendere, verentis et aestuantis, ne in ullo officio sis tardior. Non decet gratum animum sollicitudo, contra summa fiducia sui, et ex conscientia veri amoris dimissa omnis anxietas. Tanquam convicium est: recipe, quod debeo: hoc primum beneficii dati sit ius, ut recipiendi tempus eligat,

Nulla mora in Turno. Est hemistichium Virgilii Aeneid. lib. XII, vs. 11.

XLII. Adc. Liberalem ipsum cómpellat, et promptum nimis ad beneficia reddenda vituperat. Obiectiones diluit quas ille e famae desiderio et occasionum raritate duxit.

Manu prendere: similis est nostra phrasis, de rebus, quae certae sunt, et quas velut manu tangimus et tenemus. Seneca de Traquill. c. 1: Quaedam in aperto posita, quae manu prenderem.

Contra summa fiducia sui. Sic omnes codd. et edd. praeter Muretum, qui *sed contra* ex ingenio addidit, quod iure reiicimus.

Tanquam convicium est (supple *dicere*): *recipe quod debeo: Hoc pr.* etc. Rubenii est coniectura codicis Naz. Leod. et aliorum auctoritate adiuta: hi enim praestabant *tam*, alii *tamen*, alii *iam*, unus Leodiensis *tanquam* i. e. apud Senecam, exempli causa, quod hic locum habet. *Recipe*, non *recipere*, *quod debes* Naz. aliique: unde *debeo* et Gron. et Ruben. recte facere; nam *s* et *o* saepe propter ductuum similitudinem in codd. confundi constat. Gron. emendabat: *Interim*, i. e. interdum, *convicium est, recipe quod debeo. Hoc pr.* etc. Erasmus et aliae edd. vulgg. praestant: *Tam cum vitio est, recipere quod non debes, quam non dare, quod debes. Hoc benef. pr.* omnibus tamen codd. repugnantibus; imo nullo sensu, ita ut Lipsius di-

Digitized by Google

qui dedit. — At vereor, ne homines de me sequius 2
loquantur. — Male agit, qui famae, non conscientiae gratus est. Duos istius rei iudices habes: te, quem non potes fallere; et illum, quem potes. Quid ergo, si nulla intervenerit occasio? semper debebo? Debebis: sed palam debebis, sed libenter debebis, sed cum magna voluptate apud te depositum intueberis. Poenitet accepti beneficii, quem nondum redditi piget; quare qui tibi dignus visus est a quo acciperes, indignus videatur, cui debeas?

XLIII. In magnis erroribus sunt, qui ingentis animi credunt, proferre, donare, plurium sinum ac domum replere; quum ista interdum non magnus animus faciat, sed magna fortuna. Nesciunt, quanto interim maius ac difficilius sit capere, quam fundere. Nam ut nihil alteri detraham, quoniam utrumque ubi ex virtute fit, par est: non minoris est animi beneficium debere, quam dare; eo quidem operosius hoc quam illud, quo maiore diligentia custodiuntur accepta, quam dantur. Itaque non est trepidandum,

cere cogatur: ego hanc sententiolam non capio

Sequius. Compar. *asecus*. *Secus* vero est *aliter*, quod eleganter Romani pro *male* adhibent, ut *minus* pro *non*. Comparativo autem h. l. positivi sensus inest.

Qui famae, non conscientiae gratus est. Non: qui morem gerit rumoribus, non conscientiae voci; sed qui gratum animum ac memorem ob rumores ostendet, non quia id bonum atque aequum est.

Et illum. Qui beneficia contulit tibi. Hic falli potest; namque rem aestimabit optime et semper, animum raro; et deerrabit interdum in aestimatione.

XLIII. Ang. Altioris saepe animi custodire, quam dare. Imo pusilli ingenii anxium se praebere. Tum hac properantia incusare tacite hunc qui benefecit, impatientiae. Haec vitanda, et thesaurum quem apud nos hic depositum voluit, servandum.

Plurium sinum. Ita enim mos, togae sinum expandere, et in eum recipere donata: sinum implere minoribus donis aut pecunia: domum ornamentis alioque instructa.

Quanto interim maius, etc. Sic omnes codd. et sic fere Erasmi editio, quae tamen perperam ordinem verborum inversum habet sic: *quanto maius ac distic. interim sit*, etc.

Vbi ex virtute fit, par est. Vilia

quam cito reponamus, nec procurrendum intempestive, quia aeque delinquit, qui ad referendam gratiam suo tempore cessat, quam qui alieno properat. Positum est illi apud me: nec illius nomine, nec meo timeo. Bene illi cautum est: non potest hoc beneficium perdere, nisi mecum, immo ne mecum quidem. Egi
3 illi gratias, id est, retuli. Qui nimis de beneficio reddendo cogitat, nimis cogitare alterum de recipiendo putat: praestet se in utrumque facilem; si vult recipere beneficium, referamus, reddamusque laeti. Illud apud nos custodiri mavult: quid thesaurum eius eruimus? quid custodiam recusamus? dignus est, cui utrum volet, liceat. Opinionem quidem et famam eo loco habeamus, tanquam non ducere, sed sequi debeat.

paria esse Stoicis, ita et virtutes, notum dogma. Lipsii Manuduct. in philos. stoic. III, 4.

Positum est illi apud me: nempe beneficium quasi depositum. Haec abrupta apud Seneca frequentia sunt. *Imo ne mecum quidem.* Vel me mortuo, ei erepto, beneficium non perdit, quoniam animus gratus supererit, quem etiam in meos ostendere poterit.

Praestet se in utrumque facilem. Pinciani et Gruteri codd. sic dabant, non *praestat esse in utrumque facilem.*

Ducere, praeire, ita ut nos ad eam adspiciamus.

Sequi. Ex benefactis bona erit: si non statim, tardius: si non apud omnes, saltem peritos et bonos. Cf. Sen. Epist. VII, 8, 9, et similia apud *Iacobs* ad Analect. Brunckii I, p. 154.

DE
BENEFICIIS

LIBER SEPTIMVS.

Digitized by Google

ARGVMENTVM

LIBRI SEPTIMI.

Similia prioribus, Quaestiunculae, et subtilibus utilia tamen mixta. Illud principio serium, coërcendam curiositatem, et nimiam sciendi cupidinem: animum potius ad mores et Virtutem, id est, Sapientiam mittendum. Ex verbi deinde occasione Quaestio, An aliquis donare Sapienti possit, quum eius sint omnia? ait posse, quia animo quidem, non usu tamen omnia possidet. Altera, An qui tentavit reddere beneficium, reddiderit? ita, sed tamen iterum iterumque conandum docet. Tertia, An quod a viro bono acceperis, eidem iam malo reddes? Reddes, sed cum cautione, ne illis male, et in suam alienamve noxam utatur. Quarta, Numquid oblivisci datorem beneficii sui oporteat? Non omnino, et posse tenere memoria ait, immo et interdum exigere. Vltima, Quomodo ferendi ingrati? placido animo, mansueto, magno. LIPSIVS.

L. ANNAEI SENECAE

AD

AEBVTIVM LIBERALEM

DE BENEFICIIS

LIBER SEPTIMVS.

I. Bonum, mi Liberalis, habeas animum volo:

In manibus terrae. Non hic te carmine longo,
Atque per ambages et longa exorsa tenebo.

Reliqua hic liber cogit, et exhausta materia, circumspicio, non quid dicam, sed quid non dixerim. Boni tamen consules quidquid superest, quum tibi superfuerit. Si voluissem lenocinari mihi, debuit paulatim opus crescere, et ea pars in finem reservari, quam

I. Anc. Promittit se, quae non dixerit, additurum, et praemissis, quae regunt mores, iucunda aut ingenium exercentia persequuturum, ad exemplum Demetrii Cynici.

In manibus terrae... tenebo. Versus sunt Virgilii Georg. lib. II, vs. 45 sq. ubi edd. habent *carmine ficto*, quae poëtae quidem apta sunt, sed Nostro ut philosopho aptius erat *longo*, quod ipse suo iure mutavit: nam lectio varians non est.

Reliqua hic liber cogit, et exhausta. Sic omnes codd. qui τὸ *et* addunt. Quod ad sensum pertinet, τὸ *cogit* h. l. est iuncta ostendit, glomerat, gallic. *récapitule*.

Lenocinari. H. e. mihi et superbiae meae morem gerere, blandiri. Si ingenii gloriam aucuparer, et pulchri potius quam utilis libri auctorem me ferri vellem.

Debuit.... crescere. Quae scilicet meo in libro tractabantur, magis ac magis digna esse debebant quae animum morarentur. Ea lege quam vocant Auxeseos, al. mod. Gradationis.

Digitized by Google

2 quilibet etiam satiatus appeteret. Sed quidquid maxime necessarium erat, in primum congessi: nunc si quid effugit, recolligo. Nec mehercule, si me interrogas, nimis ad rem existimo pertinere, ubi dicta sint quae regunt mores, persequi caetera, non in remedium animi, sed in exercitationem ingenii inventa. 3 Egregie enim hoc dicere Demetrius Cynicus, vir meo iudicio magnus, etiamsi maximis comparetur, solet: «Plus prodesse, si pauca praecepta sapientiae teneas, sed illa in promptu tibi et in usu sint, quam si multa quidem didiceris, sed illa non habeas ad manum. 4 Quemadmodum, inquit, magnus luctator est, non qui omnes numeros nexusque perdidicit, quorum usus sub adversario rarus est, sed qui in uno se aut altero bene et diligenter exercuit, et eorum occasiones intentus exspectat: nec enim refert, quam multa sciat,

Quilibet etiam satiatus appeteret. Satis per se lepida, gravis, alta, ampla, ut illis etiam non displiceat qui iam satiari debuerunt.

In primum congessi. Sic Naz. aliique, qui nec *statim cong.* quod vulg. habent, nec *statum*, quod etiam edd. nonnullae habent, agnoscit.

Recolliga. More apud veteres satis usitato ut postquam cuncta fere dixissent, oblita quaeque colligerent, iungerentque Appendicis instar ad finem libri. Sic apud Hebraeos post libros quatuor Regum, duo inveniuntur qui Παραλειπομένων vulgo inscribuntur.

Demetrius Cynicus amicus Senecae. Cf. de Provid. III, 3 not. Addas post Fabricii Bibl. Graec. Vol. III, p. 515 Harl. Burignii *Mémoire sur Démétrius le Cynique* in *Histoire de l'Acad. des Inscript.* Tom. 38, p. 179 sq. Caeterum conferri meretur cum his Demetrii dictis Senecae Ep. XCXIV.

Plus prodesse.... ad manum. Recte monet Vptonus ad Epicteti manuale init. Stoicorum, s. c. Epicteti, M. Antonini, quorum loca huc spectantia adduxit, hoc inprimis fuisse, ut suos subinde monerent, praecepta quaedam sapientum, τὰ χαριώτατα καὶ ἀναγκαιότατα in animis quotidiana meditatione revolvant. Eodem etiam more usus est Epicurus, cuius κύριαι δόξαι apud Diogenem Laërt. X, 139 sq. leguntur. Praeceptum autem hocce e Socratis schola originem ducere suam patet, et Aristippi responso, quod Lipsius ad h. l. e Diog. Laërt. II, 71 laudat, non qui multa, sed qui utilia legant discantque, studiosos et eruditos esse, confirmatur.

Quemadmodum.... omnes numeros.... exspectat. Palaestrae verbum in motibus illis et formatione flexu-

Digitized by Google

si scit quantum victoriae satis est: sic in hoc studio multa delectant, pauca vincunt. Licet nescias, quae 5
ratio Oceanum effundat ac revocet: quare septimus quisque annus aetati signum imprimat, quare latitudo porticus ex remoto spectantibus, non servet proportionem suam, sed ultima in angustias coëant, et columnarum novissime intervalla iungantur; quid sit, quod geminorum conceptum separet, partum iungat; 6

que membrorum. Bene laudat Lipsius Quintil. Inst. Orat. XII, 2, 12 quae apta sane etiam sunt ad Demetrii sensum. Eius verba sunt haecce: Et ut palaestrici doctores illos quos numeros vocant non idcirco discentibus tradunt, ut his omnibus in ipso luctandi certamine utantur: sed ut subsit copia illa, ex qua unum aut alterum, cuius se occasio dederit, efficiant. — *Nexusque* in lucta: dicunt aliter nodos et ligaturas. Multa huius generis iunxit Philostratus Imaginum lib. II, p. 819, resupinationes, pedis malleolum calce percutere, manum contorquere, medio corpore prehensum de terra tollere, vel prosternere (qua re ἀθλητὴς ἀμεσολάβητος apud Nilum de octo vitiis p. 367 athleta inexpugnabilis dicitur) supplantare, s. pedes auferre, etc.

Vincunt, rem confirmant, affectus et vitia domant.

Quae ratio... revocet. Fluxum et refluxum maris dicit. Quod φαινόμενον usque ad Alexandri magni tempora nulli Graecorum notum fuit. Nam neque interno mari quod mediterraneum nunc appellamus, hae ascendentium et descendentium fluctuum vices innotuerunt, et classem Nearchi, quum Indo secundo lapsa ad Oceani litus Erythraei descenderet, conterruit. Vid. Q. Curt. lib. IX, Oceani fluxus Arrian. et plures alios. Vnde Aristoteles videns idem in Euboeae freto *Euripo* fieri, huc se immisit furens, et: «Nequeo te capere, inquit, cape me.»

Quare septimus.... imprimat. Ad gradus vel χλιμακτῆρας aetatum adspirare videtur, observante Lipsio, in quibus antiquitus proditum, septimo quoque anno mutationem aut discrimen evenire, sive ut revera corpori aliquod signum sit, anno septimo dentibus cadentibus et nascentibus, bis septimo pubertate erumpente, etc. qua de re conferri iubet Lipsius Philonem de opificio Mundi, sive septimo quoque anno aetas infantis, pueri, adolescentis, etc. designatur, sive morbus, periculum mutatione imminet homini. Cf. Varro; A. Gellius III, 10.

Novissime omnes codd. et edd. praeter Mureti, qui Pinciani coniecturam recepit, et subsequentium edd.

Quare latitudo.... iungantur. Ium Lucretius IV, 428 sq. *Porticus aequali quamvis est denique ductu, Stansque in perpetuum paribus suffulta columnis, Longa tamen parte ab summa cum tota videtur, Paullatim trahit angusti fastigia coni, Tecta solo iungens, atque omnia dextera laevis: Donec in obscurum coni conduxit acumen.* Cf. Seneca Natural. Quaestion. lib. I, cap. 3.

utrum unus concubitus spargatur in duos, an toties concepti sint: cur pariter natis fata diversa sint, maximisque rerum spatiis distent, quorum inter ortus minimum interest. Non multum tibi nocebit transisse, quae nec licet scire, nec prodest. Involuta veritas in alto latet. Nec de malignitate naturae queri possumus: quia nullius rei difficilis inventio est, nisi cuius hic unus
7 inventae fructus est, invenisse. Quidquid nos meliores beatosque facturum est, aut in aperto, aut in proximo posuit. Si animus fortuita contempsit, si se supra metum sustulit, nec avida spe infinita complectitur, sed didicit a se petere divitias: si deorum hominumque formidinem eiecit, et scit non multum esse ab homine timendum, a deo nihil: si contemptor omnium, quibus torquetur vita, dum ornatur, eo perductus est, ut illi liqueat, mortem nullius mali esse materiam,
8 multorum finem: si animum virtuti consecravit, et, quacumque vocat illa, planum putat: si, sociale animal et in commune genitus, mundum ut unam omnium

. *Vtrum unus concubitus.... sint.* Iam Hippocrates de natura pueri p. 248. Opp. Genevae 1657, fol. affirmat: *δίδυμα δὲ γίνονται ἀφ' ἑνὸς λαγνεύματος οὕτως*, etc., ubi explicat. *verum*, quae iis accidunt, quibusque occupantur.

Involuta...latet. Socrates, Democritus, Anaxagoras, Empedocles omnes paene veteres rerum obscuritatem conquesti sunt: Democritus in puteo demersam esse veritatem aiebat, Lactantio referente Institut. III, 27. Diog. Laërt. IX, 44, 72 not. Menag. Nec aliam fovit sententiam Empedocles. Cf. Sturzii Empedocles Agrigentin. p. 486 sq.

Quidquid nos meliores, etc. Quae sequuntur Stoae et Cynismi, nam hae sectae fere nihil distabant, sententiae tam praeclarae sunt, ut parum mireris, quod Demetrium verbis factisque eas referentem et Senecae et omnis praestantissimi aetatis istius nominis, Thraseae Paetique (Tacit. Ann. XVI fin.) amore et admiratione sua dignissimum censuerint.

Fortuita. Quae sors dat, non animus. Divitias intelligit, honores, potentiam, pulchritudinem.

A Deo nihil: deus enim, Stoae praeceptis, neque vindicat, neque nocet. *Omnium* e. c. divitiarum, gloriae.

Planum, aequum: viam commodam esse credit.

Si sociale. Subaud. tanquam. Iam Socrates, Cicerone Tusc. V, 37 teste, mundanum se esse dixit: eumque sequuti sunt omnes fere philosophi,

domum spectat, et conscientiam suam diis aperit, semperque tanquam in publico vivit, se magis veritus quam alios: subductus ille tempestatibus, in solido ac sereno stetit, consummavitque scientiam utilem, atque necessariam; reliqua oblectamenta otii sunt. Licet enim iam in tutum retracto animo, ad haec quoque excurrere, cultum, non robur, ingeniis afferentia. »

II. Haec Demetrius noster utraque manu tenere proficientem iubet; haec nusquam dimittere, immo affigere et partem sui facere, eoque quotidiana meditatione perduci, ut sua sponte occurrant salutaria, et ubique ac statim desiderata praesto sint, et sine mora ulla veniat illa turpis honestique distinctio, sciatque nec malum esse ullum nisi turpe, nec bonum nisi honestum. Hac regula vitae opera distribuat: ad hanc 2
legem et agat cuncta, et exigat: miserrimosque mortalium iudicet, in quantiscumque opibus refulgebunt, ventri ac libidini deditos, quorum animus inerti otio torpet. Dicat ipse sibi: Voluptas fragilis est, brevis, fasti-

inprimis Stoici. Cf. Lipsii Physiol. Stoic. I, 8.

Se magis. Sic codd. Naz. non *si se magis* quod in plerisque edd. occurrit. — Duo puncta quae Ruhkopf. ponit post *vivit*, nos transtulimus post *alios*, qua interpunctione melior et intellectu facilior fit sensus.

Tempestatibus, i. affectibus, erroribus vitiisque. Sapiens describitur, qui ut virtus illa Hesiodea, in firmo, alto ideoque sereno loco stat. Cf. Horat. iam laudat. stroph. *Iustum et tenacem*, etc. Carm. lib. III, od. III. Idem non dissimili sententiarum tenore, Carm. lib. I, od. V: *Heu! quoties fidem Mutatosque Deos flebit, et aspera Nigris aequora ventis Emirabitur insolens!.... Me tabula sacer Votiva paries indicat uvida Suspendisse potenti Vestimenta maris Deo.*

Consummavitque. Sic. codd. Naz. dum vulgg. τῷ *que* carent.

II. Arg. Illa quae regunt mores in promptu sunt tenenda, ut sapientiam consequaris. Sapientis autem sunt omnia, non tamen ut Alexandro aliisque.

Proficientem, qui in via ad sapientiam est, qui iam promovit aliquid et profecit. Cf. Lipsii Manuduct. in philos. stoic. II, 9.

Dicat ipse sibi, etc. Haec esse contra Epicureos directa facile apparet. Saepe autem noster hos reprehendit atque refutat, quia suo tempore vitiis cuiuscumque generis scatente Epicureismus perperam intellectus multis asseclis gaudebat. Verbo moneo, re-

Digitized by Google

dio obiecta: quo avidius hausta est, citius in contrarium recidens, cuius subinde necesse est aut poeniteat, aut
3 pudeat. In qua nihil est magnificum, aut quod naturam hominis, diis proximi, deceat: res humilis, membrorum turpium ac vilium ministerio veniens, exitu
4 foeda. Ista est voluptas et homine et viro digna, non implere corpus, nec saginare, nec cupiditates irritare, quarum tutissima est quies: sed perturbatione carere, et ea quam hominum inter se rixantium ambitus concutit, et ea quae intolerabilis ex alto venit, ubi de diis famae creditum est, vitiisque illos nostris aesti-
5 mavimus. Hanc voluptatem aequalem, intrepidam, nunquam sensuram sui taedium, percipit hic quem deformamus quummaxime: qui, ut ita dicam, divini iuris atque humani peritus, praesentibus gaudet, ex futuro non pendet; nihil enim firmi habet, qui in incerta propensus est. Magnis itaque curis exemptus, et distorquentibus mentem, nihil sperat, aut cupit,
6 nec se mittit in dubium, suo contentus. Nec illum

spexisse videri ad Xenoph. Memorab. Socr. II, 1.

Exitu foeda. Sive humili et ut ita loqnar corporali sensu rem sumpseris. (Mart. lib. XII, epigr. XLVIII: *Quod sciat infelix damnatae spongia virgae, Vel quicumque canis iunctaque testa viae Mullorum leporumque et suminis exitus hic est, Sulfureusque color carnificesque pedes.*)

Et ea....concutit, excitat. Duplicem perturbationem hic facit, a terra et a caelo. Illam, quae ex opibus, honoribus, rerum humanarum spe metuque, ut verbo dicam, proficiscitur: istam, quae a superstitione oritur et prava opinione de Diis quos sibi similes faciunt homines, vitiis dediti, irati, ut et isti sint ultores vindicesque fulmine armati et apud inferos etiam tanquam tortores collocati.

Hic quem.... quummaxime. I. e. sapiens stoicus.

Divini iuris atque humani. I. e. philosophiae. *Divina* enim continent physicam et theologiam naturalem, *humana* dialecticam et moralem. Cf. Ernesti Cl. Cic. *Divinus*. Scit itaque quum quae de mundo diisque homo cognoscere possit, et quomodo Dii colendi, tum nihil nisi turpe esse malum, nec bonum nisi honestum, ideoque quid homines deceat, atque quid sibi aliisque debeat.

Nihil enim firmi habet, qui.... propensus est. Huic enim nihil certum esse videtur, neque ulla animi stabilitas et constantia est, cui incerta, varia, mutabilia placent.

Digitized by Google

existimes parvo esse contentum; omnia illius sunt, non sic, quemadmodum Alexandri fuerunt: cui, quanquam in litore maris rubri steterat, plus deerat quam qua venerat; illius ne ea quidem erant, quae tenebat, aut vicerat, quum in Oceano Onesicritus praemissus explorator erraret, et bella in ignoto mari quaereret. Non satis apparebat inopem esse, qui extra naturae terminos arma proferret? qui se in profundum, inexploratum et immensum, aviditate caeca prorsus immitteret? Quid interest, quot eripuerit regna, quot dederit, quantum terrarum tributo premat? tantum illi deest quantum cupit.

III. Nec hoc Alexandri tantum vitium fuit, quem per Liberi Herculisque vestigia felix temeritas egit,

Onesicritus. Cynicus philosophus qui Sinopensi Diogene pronior in servitutem Alexandrum secutus est, et ad gymnosophistas missus, Indiarum multas regiones, multas gentes vidit. Et postea historiam conscripsit de rebus gestis Alexandri quae fabulis referta erat. Hunc perperam Oceano invisendo praemissum ait Noster. Constat, proprie Nearchum, non Onesicritum praefuisse expeditioni, qua ante Chr. a. 326, terminos imperii sui orientem et meridiem versus explorari voluit Alexander; docet Arrianus in Exped. Alex. M. VI, 2, 6 ed. lips. 1798. Noster tamen, uti etiam postea Plinius, ab Onesicrito ipso in hunc errorem abducti sunt, quippe qui in libro suo de rebus gestis Alexandri mentitus erat, se classi praefuisse, quae per Indum Oceanumque usque ad ostia Euphratis et Tigris navigaverit, quamquam nonnisi uni navi praefuisse manifestum sit. Caeterum periplum istum Nearchi conservatum Arriano in Indicis egregie illustravit Wilh. Vincentus, et bene edidit *Schmieder* Halis 1798. Caeterum de Onesicrito cf. Fabric. Bibl. Gr. Tom. III, p. 47, 523 Harl. Cf. Tacit. de Mor. G. c. 45, ibique vid. not. Item vero *Bella* Alexandrum *in ignoto mari* quaesivisse, et *in profundum se immisisse*, negat historia. Cf. Arriani Indic. c. 32, 9 sq.

Extra naturae terminos declamatorie expressa sunt, quasi cum terris natura desineret et Oceanus ignotus et immotus, caligo et chaos deinde essent.

III. Aug. Omnium quibus potestas, opes, gloria summopere placet, insania et infelicitas est. Beatiores eos qui sapientiae studio dediti, suo contenti vivunt, neque quidquam optant nisi quod habent.

Liberi. H. e. Bacchi, graece Ελευθέρου. Liberum Indiae victorem nullus poëta non cecinit. Martial. lib. VIII, epigr. XXVI. *Nam quum captivos ageret sub curribus Indos.* Senec. Tragic. Oedip. act. II, scen. ult. *Vidit aurato residere curru, Veste quum longa*

Digitized by Google

sed omnium quos fortuna irritavit implendo. Cyrum et Cambysen, et totum regni Persici stemma percense; quem invenies, cui modum imperii satietas fecerit? qui non vitam in aliqua ulterius procedendi cogitatione finierit? Nec id mirum est; quidquid cupiditati contingit, penitus hauritur et conditur; nec interest,
2 **quantum eo quod inexplebile est, congeras. Vnus est sapiens, cuius omnia sunt, nec ex difficili tuenda. Non**

tereres Ionnes Omnis Eoae plaga vasta terrae Qui bibit Gangen, nivemque quisquis Frangit Araxem.

Heraclisque. Ne putes h. l. innui a Nostro vel Herculem Tyrium quem ferunt, Eoarum regionum postquam maiorem partem subegisset, relatum inter Deos, vel Indicum Herculem qui cum Belo ergo et cum sole (nam. sol Graece ἥλιος, poëtice ἠέλιος, Dor. poët. ἀέλιος, Cretensib. βαβέλιος, βαέλιος, unde Phoenicib. Baël, Baal, Bal, Bel) esse videtur; sed Graecum, sed Thebanum, sed Alcmena natum et Iove, quamquam ille Asiam vix tetigit, nedum Indiae remotissimum litus; sed neque exactus Annaeus in exemplis deligendis, neque hic multum refert Hesperiamne an Eoos tractus victor perlustraverit.

Quem per Liberi Herculisque.... egit. Poëticae audaciae locutio. Vt Horatio, Carm. lib. IV, od IV: *Olim inventas et patrius vigor Nido... propulit... Mox in ovilia Demisit hostem vividus impetus, Nunc in reluctantes dracones Egit amor dapis atque pugnae.* Alioqui sensus per se liquet. Nec quemquam fallit quam saepe fabulis de Bacchi et Herculis expeditionibus usi sint scriptores de rebus gestis Alexandri M. et adulatores; nec ingrata ei fuit haec comparatio cum istis diis imprimis propterea, ut milites suos aemulatione quadam rerum ab istis gestarum alacriores redderet ad longinquiorem secum expeditionem subeundam. Cf. *Schmieder* ad Arriani Indic. c. I, 7.

Implendo vota, indulgendo. *Cyrum* et eius filium *Cambysem* et omnes insequutos reges Persarum usque ad Darium Codomannum, qui omnes fere expugnare aliena voluerunt per totam vitam.

Stemma. Tabulam geneseos. Omnes vero qui a Dario τῷ Ὑστάσπου regnavere usque ad Codomannum eiusdem gentis fuere, et unam ut nunc aiunt δυναστείαν consummavere.

Vnus est sapiens, etc. Sapientis sequitur descriptio, quem aliquoties iam vidimus a Stoicis propositum esse, ut docerent, quae quantaque virtus imperiumque rationis postulent; quod ut manifestius ostenderent, omnia illa, quibus homo Deo vel maxime proximus fieri possit, in eum congesserunt, tanquam exemplar, ad cuius similitudinem cuique annitendum esset. Qua in re non multum absunt ab eo consilio, quo et nostrae religionis doctores inde ab antiquissimo tempore usi sunt, ut Christum nobis exemplar, quod imitaremur, commendarent et proponerent. Hinc orta sunt illa paradoxa de sapiente, quae Cicero exposuit in libello *Paradoxa* inscripto, et De Fin. III, 22.

habet mittendos trans maria legatos, nec metanda in ripis hostilibus castra, non opportunis castellis disponenda praesidia: non opus est legione, nec equestri- 3
bus turmis. Quemadmodum dii immortales regnum inermes regunt, et illis rerum suarum ex edito tranquilloque tutela est: ita hic officia sua, quamvis latissime pateant, sine tumultu obit: et omne humanum genus, potentissimus eius optimusque, infra se videt. Derideas licet; ingentis spiritus res est, quum Orien- 4
tem Occidentemque lustraveris animo, quo etiam remota et solitudinibus interclusa penetrantur, quum tot animalia, tantam copiam rerum, quas natura beatissime fundit, aspexeris, emittere hanc Dei vocem: Haec omnia mea sunt. Sic fit, ut nihil cupiat: quia nihil est extra omnia.

IV. « Hoc ipsum, inquis, volui; teneo te: volo videre, quomodo ex his laqueis, in quos tua sponte decidisti, expliceris. Dic mihi, quemadmodum potest

In ripis, romano ritu eius temporis: in terminis imperii castra et castella erant ad ripas Euphratis, Danubii et Rheni contra Parthos, Dacos et Germanos.

Non opus est legione, nec equestribus turmis. Annaeus Tragic. in Thyest. act. II: *Illi non opus* (*vel* non ullis opus) *est equis, Nil armis et inertibus Telis quae procul ingerit Parthus, quum simulat fugas. Admotis nihil est opus Vrbes sternere machinis Longe saxa rotantibus.*

Derideas licet. Quia insolito more paradoxa sua de sapiente pronuntiarent Stoici, risum adversariorum evitare vix potuere, qui hominum, praesertim sui aevi corrupti imbecillitatem ac vitiositatem intuentes, consilio, quo elata fuere, prorsus neglecto, praeter fastum, verborum quoque alia diversaque significatione adhibitorum usum captarent, cupidinemque Stoae insolita novaque dicendi et argutius quam clarius defendendi, calumniarentur atque deriderent. Cf. Horat. Serm. I, 3. Quod vero plerumque evenisse constat iis, qui philosophiae historiam callent et nuper Kantii Criticismo invalescente factum esse.

Mea sunt quatenus animo et cogitatione iis fruor, qui sciam et mihi haec facta esse.

Extra omnia, nam haec omnia censet sua.

IV. Aug. Etsi omnia sapientis sunt, beneficia tamen dari sapienti possunt, ut regi, omnia quamvis possideat, tamen donare aliquis potest.

Inquis. Acute et feliciter ad rem applicat, a qua videbatur abire.

Digitized by Google

aliquis donare sapienti, si omnia sapientis sunt? nam id quoque quod illi donat, ipsius est. Itaque non potest dari beneficium sapienti: cui quidquid datur,
2 de suo datur; atqui dicitis, sapienti posse donari. Idem autem me scito et de amicis interrogare. Omnia dicitis illis esse communia: ergo nemo quidquam amico donare potest: donat enim illi communia.» — Nihil prohibet aliquid et sapientis esse, et eius qui possidet, cui datum et assignatum est. Iure civili omnia regis sunt: et tamen illa quorum ad regem pertinet universa possessio, in singulos dominos descripta sunt,
3 et unaquaeque res habet possessorem suum. Itaque dare regi et domum et mancipium et pecuniam possumus: nec donare illi de suo dicimur. Ad reges enim potestas omnium pertinet, ad singulos proprietas. Fines Atheniensium aut Campanorum vocamus, quos deinde inter se vicini privata terminatione distinguunt; et totus ager huius aut illius reipublicae est: pars
4 deinde suo domino quoque censetur; ideoque donare

Omnia dicitis voc Stoici: non quasi haec tanquam sibi propria dicerent, nam Pythagorae hanc bonorum communionem inter amicos adscribi constat, quippe qui primum dixit: κοινὰ τὰ φίλων εἶναι. Cf. Menagium ad Diogenem Laërt. VIII, 10. Recepit quoque Socrates. Hinc mutuati sunt Stoici, colore tamen suo allito: dixerunt enim, amicitiam esse quidem communionem necessariorum vitae, sed solos inter bonos propter similitudinem consistere posse. Diog. Laërt. VII, 124 not. Et ex hoc Sinopensis Diogenes concludebat sapientem verum divitem esse. Deorum, inquiebat, sunt omnia: Deorum autem amici sunt sapientes, et amicorum communia sunt omnia: sapientum igitur sunt omnia. Vid. quoque ad haec alludent. Martial. lib. II, epig. XLIII: *Candide*, κοινὰ φίλων, etc.

Nihil prohibet, etc. Una eademque res simul sapientis et possessoris esse potest: illius, quoniam omnia eius sunt, quatenus tamen cogitatione et mente tantummodo fruitur; huius, quatenus ipsis quocunque modo utitur.

Descripta, distributa, assignata.

Et totus ager huius aut illius reipublicae est. Coniectaneum est Erasmi, quod in textum recepit Muretus. Antea *et totus ager aut ullius reipublicae est*, quomodo et codd. Naz. ac Col.: *illius aut illius r. e.* unus cod. pal. habebat: Codd. Pinciani *ager aut illius r. e.* Facile hinc est videre, τὸ *huius* casu excidisse, et Erasmum rem acu tetigisse.

Digitized by Google

agros nostros reipublicae possumus, quamvis illius esse dicantur: quia aliter illius sunt, aliter mei. Numquid dubium est, quin servus cum peculio domini sit? dat tamen domino suo munus. Non enim ideo nihil habet servus, quia non est habiturus, si dominus illum habere noluerit: nec ideo non est munus, quum volens dedit, quia potuit eripi, etiamsi noluisset. Quemadmodum probemus omnia (nunc enim 5
omnia sapientis esse, inter nos convenit), illud quod quaeritur colligendum est, quomodo liberalitatis materia adversus eum supersit, cuius universa esse concessimus. Omnia patris sunt, quae in liberorum manu 6
sunt: quis tamen nescit, donare aliquid et filium patri? Omnia deorum sunt: tamen et diis posuimus donum, et stipem iecimus. Non ideo quod habeo, meum non est, si tuum est: potest enim idem esse meum et tuum. «Is, inquit, cuius prostitutae sunt, leno est:

Peculio, quod servus vel ex diario comparsit, vel dono accepit. Id eius est, domino connivente et more favente. Adeo servi vicarii erant in peculio servi, iam Catonis maioris aevo.

Quemadmodum, etc. Sensus: *quemadmodum* hoc omnia sc. esse sapientis ego ac tu, probemus, i. e. pro explorato et certo habere debemus, ita *illud* de quo quaerimus, colligamus, i. e. exemplis sequentibus constituamus, necesse est: sc. quomodo, etc. (Crediderim post *probemus omnia* scripta fuisse *sapientis esse*, quae forsan librariorum errore exciderunt propter sequentem repetitionem.) Hac interpretatione admissa, nulla traiectione aut emendatione Lipsii Gronoviique, qui locum pro conclamato habebant, opus esse videtur: modo memineris, *probare* esse quoque, pro vero habere, et post *quemadmodum* ac *ut* interdum omitti solere *ita*, cuius quidem usus exempla quaedam attulit Heusinger ad Offic. Cicer. I, 1, 1, p. 4.—In plerisque edd. lacunae signa inter *noluisset* et *quemadmodum* opponuntur.

Stipem iecimus. Gallic. *faire l' aumône*. Varro de L. L. lib. IV, p. 50 bip. ubi cf. Scaliger. *Diis, ait, cum thesauris assem dant, stipem dicunt*. Cf. Lipsius ad Tacit. Annal. XIV, 15.

Is, inquit. Sic nonnulli codd. Mss. quod recepi, eiecto *inquis*. Nam Liberalis idem ac Seneca sensit, omnia esse sapientis. *Inquit* itaque est, uti alibi plerumque, *obiiciunt*, et hoc convenit cum sequentibus *vetant* et *cavillantur*. Redit ad obiectiones adversariorum hac via: Obiiciunt, si una eademque res et mea et alterius esse potest, sequitur, sapientem esse

omnia autem sapientis sunt; inter omnia autem et prostitutae sunt; ergo et prostitutae sapientis sunt; leno autem est, cuius prostitutae sunt: ergo sapiens
7 est leno. » Sic illum vetant emere; dicunt enim; Nemo rem suam emit: omnia autem sapientis sunt: ergo sapiens nihil emit. Sic vetant et mutuum sumere, quia nemo usuram pro pecunia sua pendat. Innumerabilia sunt, per quae cavillantur, quum pulcherrime, quid a nobis dicatur, intelligant.

V. Enim sic omnia sapientis esse dico, ut nihilominus proprium quisque in rebus suis dominium habeat: quemadmodum sub optimo rege omnia rex imperio possidet, singuli dominio. Tempus istius probandae rei veniet; interim hoc huic quaestioni sat est, id quod aliter sapientis, aliter meum est, me posse donare sapienti. Nec mirum est, aliquid ei, cuius
2 est totum, posse donari. Conduxi domum a te: in hac aliquid tuum, aliquid meum; res tua est: usus rei tuae, meus est. Itaque nec fructus tanges, colono tuo prohibente, quamvis tua in possessione nascantur: et si annona carior fuerit, aut fames,

Heu frustra magnum alterius spectabis acervum

in tuo natum, in tuo positum, in horrea iturum tua.

etiam lenonem, etc. Sic *cavillantur* derident Epicurei aliique nos, *quum*, sc. etsi, etc.

V. Anc. Exemplis illustrat propositionem istam. Domum aut villam quam a te ego conduxerim aliquatenus iam esse tuam, aliquatenus meam; item de servo; item de rheda. Quibus si te frui siverim, quum rem duntaxat e lege habeas, non rei usum, beneficium dabo.

Enim sic. Cod. Naz. et reliqui pal. praeter unum ita dant: restituit etiam inde Gron. Antea *Enimvero sic.* Saepe autem τὸ *enim* periodum incipere notum est.

Tempus... veniet. Fortasse in opere, cui tum vacabat, Magna Moralia appellat ipse, hanc quaestionem uberius tractaverat.

Heu frustra... acervum. Versus est Virgil. Georgic. lib. I, v. 158.

Horrea, ubi grana tritici, etc., asservantur, *les magasins*: hinc area messes terere dicebatur, loco quippe editiore in ipso agro parato, ubi sta-

Nec conductum meum, quanquam sis dominus, in- 3
trabis: nec servum tuum, mercenarium meum abduces: et quum abs te rhedam conduxero, beneficium accipies, si tibi in vehiculo tuo sedere permisero. Vides ergo posse fieri, ut aliquis, accipiendo quod suum est, munus accipiat.

VI. In omnibus istis quae modo retuli, uterque eiusdem rei dominus est; quomodo? quia alter rei dominus est, alter usus. Libros dicimus esse Ciceronis: eosdem Dorus librarius suos vocat: et utrumque verum est; alter illos tanquam auctor sibi, alter tanquam emptor asserit: ac recte utriusque dicuntur esse. Vtriusque enim sunt: sed non eodem modo; sic potest T. Livius a Doro accipere, aut emere libros suos. Possum donare sapienti, quod viritim meum est, licet illius sint omnia. Nam quum regio more cuncta con- 2
scientia possideat: singularum autem rerum in unumquemque proprietas sit sparsa: et accipere munus, et debere; et emere, et conducere potest. Caesar omnia habet, fiscus eius privata tantum, ac sua: et uni-

tim trituratio fiebat: quo facto grana horreis illata sunt. Cf. *Heyne* ad Tibull. I, 5, 21 Obss.

Nec servum tuum, quem a te conduxi, et nunc mercenarius meus est.

VI. Aug. Continuat rem exemplis confirmando, et bibliopolas adducit qui ipsis auctoribus saepe opus vendunt, quod hi conscripsere.

Dorus librarius. Bibliopolae nomen, ut Horatii tempore Sosii (Serm. lib. I, epist. xx ad libr. suum: *Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus?* Et Art. Poëtic. vers. 345: *Hic meret aera liber Sosiis*) et Martiali Atrectus (lib. I, epigr. cxviii: *Hinc me pete: me roges Atrectum; Hoc nomen dominus gerit tabernae. De primo dabit alterove nido Rasum pumice purpuraque cultum... Martialem*) et Tryphon (lib. III, epig. lxxii: *Exigis ut donem nostros tibi, Quinte, libellos; Non habeo, sed habet bibliopola Tryphon.* Vid. it. lib. XII, epigr. iii).

Librarius igitur non solum qui scribit, sed quoque qui vendit libros iam paratos usui. Sequentia hoc asserunt, et libraria apud Aul. Gellium est taberna vaenalium librorum. Cf. *Wower* de Polymathia c. 6 fin.

Cuncta conscientia possideat. Omnium hanc codd. et edd. scripturam Muretus temere mutaverat, eiecto τῷ *conscientia.*

Fiscus: ab aerario haec bona prin-

versa in imperio eius sunt, in patrimonio propria. Quid eius sit, quid non sit, sine diminutione imperii quaeritur; nam id quoque quod tanquam alienum abiudicatur, aliter illius est. Sic sapiens universa animo possidet, iure ac dominio sua.

VII. Bion modo omnes sacrilegos argumentis esse colligit, modo neminem. Quum omnes de saxo deiecturus est, dicit: Quisquis id quod deorum est, sustulit et consumpsit, atque in usum suum vertit, sacrilegus est: omnia autem deorum sunt: quod quisque ergo tollit, deorum tollit, quorum omnia sunt: ergo quis-
2 quis tollit aliquid, sacrilegus est. Deinde quum effringi templa, et expilari impune Capitolium iubet,

cipis propria separabantur. Fiscus institutus primum ad rem militarem sustentandam, quo nonnulla ex iis quae princeps hereditatis iure possidebat, et pars redituum provinciarum Caesarum influebant: Seneca *patrimonium* priora appellat: at quum hi reditus non sufficerent, tributa diversi generis, e. c. vicesima hereditatum a. V. 758. Dio Cass. LV, 25 centesima rerum vaenalium, Tacit. Ann. I, 75, etc. imponebantur. Dionis autem aetate omne fisci et aerarii discrimen evanuisse videtur LIII, 22. Sed conferendi sunt de tota hac re Hegewischii et Bossii libri bonae frugis pleni, qui anno 1804 editi sunt.

VII. Aug. Bionis vox qui modo sacrilegum esse posse neminem, modo omnes sacrilegos demonstrat; quae ἀντιλογία in verborum ambiguitate iacet. Nam omnia deorum sunt, unde clare hoc sequitur te nihil tangere quod non sit Deorum, sed et hoc te nihil furari, quum in loco ponas qui Deorum est. Sed distinctio fiat inter imperium et dominium: iam patebit cuncta quidem sub deorum imperio iacere, pauca illis dicata et propria.

Bion. Aberrationes *Dios. Dic modo* librariorum historiam philos. ignorantium solemnes sunt. — *Bion* Borysthenita Theophrasti tempore vixit eiusque discipulus fuit, sed deinde eclecticum se gessisse videtur. Gratiosus fuit apud regem Macedoniae, Antigonum I, circa ol. 120, ann. ant. Ch. nat. 236. Cf. nos ad Senec. de Tranq. Anim. c. 8, 2, Opp. Vol. I, (p. 301). Addas *Brucker*, tom. I, p. 607 sq. Dictum hoc Bionis a nemine veterum, quantum scio, memoratum inveni, quamquam Baylii Dict. hist. et crit. tom. I, p. 568 not. J. ubi huius loci meminit, monitu alacrior factus horulas impenderim quaerendo et excutiendis adversariis. Saepe Bionis dicta laudantur, e quibus Diog. Laërt. IV, 46 sq. nonnulla collecta dedit. Horat. Epp. II, 2, 60, Bionis sermones laudat, quos Schol. de satyricis libris intellexit.

De saxo. Tarpeio nempe, romano ritu, nam id supplicium in magnis sceleribus usurpabatur.

Expilari... Capitolium. Seneca li-

Digitized by Google

dicit: Nullum sacrilegium esse; quia quidquid sublatum est ex eo loco qui deorum erat, in eum transfertur locum, qui deorum est. Hic respondetur: Omnia quidem deorum esse, sed non omnia diis dicata. In his observari sacrilegium, quae religio numini adscripsit. Sic et totum mundum deorum esse immortalium templum, solum quidem amplitudine illorum ac magnificentia dignum: et tamen a sacris profana discerni, et non omnia licere in angulo, cui nomen fani impositum est, quae sub caelo et conspectu siderum licent. Iniuriam sacrilegus Deo quidem non potest facere; quem extra ictum sua divinitas posuit: sed punitur, quia tanquam Deo fecit. Opinio illum nostra ac sua obligat poenae. Quomodo ergo sacrilegus videtur, qui aliquid aufert sacri, etiamsi quocumque transtulit quod surripuerat, intra terminos est mundi: sic et sapienti furtum potest fieri. Aufertur enim illi non ex his quae universa habet, sed ex his quibus dominus inscriptus est, quae viritim ei serviunt. Illam alteram possessionem agnoscet, hanc nolet habere, etsi poterit; emittetque illam vocem, quam Romanus Impe-

bere transtulit verba Bionis, qui haud dubie de Acropoli quadam, fortasse Athenarum, loquutus fuerat. Caeterum Theodori athei discipulum in his Bionem facile agnoscas.

Sic et totum mundum, etc. Bene eum Seneca refutavit: quae est quoque Baylii sententia. In reipublicae leges peccat, quatenus haec a sacrilego surrepta, erant Deo dicata ut propria, nec ideo a quoquam tangenda.

Sed punitur. Sic habent omnes boni codd. quibus *tamen* abest post *sed*.

Opinio illum. .,.. obligat poenae. Deum ille non laesit quidem, quem sua supra iniurias omnes altitudo posuit: sed conatus est laedere, sed visus est; et laesisset revera, si quemadmodum de nobis fit, ita de Deo foret.

Ex his quae universa habet. Quae in communi habet; quae cum illo sapientes omnes habent; quae ut omnia possidet: imperio nempe, non dominio.

Viritim ei s. optimi codd. dant, non, quod Muretus habet, *vicissim ei s.* Sic cap. VI, 1 est, *quod viritim meum est.*—*Viritim*. Sic supra c. VI, 1, quod viritim meum est, i. e. mihi ut personae publ. in caput meum transcriptum et iure assignatum.

Romanus Imperator. Fuit Man.

rator emisit, quum illi ob virtutem et bene gestam rem publicam tantum agri decerneretur, quantum arando uno die circuire potuisset: Non est, inquit, vobis eo opus cive, cui plus opus sit, quam uni civi. Quanto maioris viri putas, respuisse hoc munus, quam meruisse? multi enim fines aliis abstulerunt, sibi nemo constituit.

VIII. Ergo quum animum sapientis intuemur potentem omnium, et per universa dimissum, omnia illius esse dicimus, quum ad hoc ius quotidianum, si ita res tulerit, capite censebitur. Multum interest, possessio eius animi magnitudine aestimetur, an censu: haec universa habere, de quibus loqueris, abominabitur. Non referam tibi Socratem, Chrysippum, Zenonem, et caeteros magnos quidem viros,

Curius Dentatus (quem M. Annium perpera quidam vocant pro Manio, nescientes id praenominis non per *M.* simpliciter, sed vel Man. aut Manium scribi), qui Pyrrhum devicit ann. Vrb. cond. 479, ante Chr. nat. 275, quum consul secundum esset (consulatu autem iam functus erat ann. 290, et creatus est tertium anno 274). Quum senatus septena agri populo, ipsi autem quinquagena decrevisset, popularis assignationis modum non excessit, parum idoneum reipublicae civem existimans, qui eo, quod reliquis tribueretur, contentus non esset, ut verbis Valerii Max. IV, 3, 5 utar. Narrat idem Plin. H. N. 18, 3. Non confundendus ille Manius Curius Dentatus cum alio M. Curio qui tribunus plebis posthac fuit anno circiter V. C. 530. Muretum, qui Varr. Lectt. 19, 18 de Horatio Cocle haec intelligenda putavit, bene refutavit Lipsius e Valerio et Plinio. Caeterum suo more hoc Seneca extulit, hoc est, iusto argutius.

Quantum.....potuisset, quantum bobus uno sulco circumduxisset.

VIII. Ano. Sapiens animo omnia possidet. Exemplum est Demetrius, cuius egregia dicta afferuntur usque ad c. XII.

Quum ad hoc ius quotidianum quo utimur et quo aliquid possidemus.

Capite suo, statu, conditione et rebus quas suas esse dicit. Aspicit autem recte observante Lipsio, ad tabulas censuales, in quibus viritim singuli et eorum opes describebantur. Itaque tunc, inquit, non tantas ei opes dabo, sed communi et civili iure censum capitis eius inspiciam et pro eo aestimabo.

Quidem. Optimi sic codd. Erasmus *tamen*, quippe qui repetitionem, non tamen prorsus insolitam, vitans suo, ut putasse videtur, iure, nec ullo codice adiutus, posuit.

Digitized by Google

maiores quidem, quia in laudem vetustorum invidia non obstat. Paulo ante Demetrium retuli: quem mihi 2
videtur rerum natura nostris tulisse temporibus, ut ostenderet, nec illum a nobis corrumpi, nec nos ab illo corripi posse: virum exactae, licet neget ipse, sapientiae, firmaeque in his, quae proposuit, constantiae; eloquentiae vero eius quae res fortissimas deceat, non concinnatae, nec in verba sollicitae, sed ingenti animo, prout impetus tulit, res suas prosequentis. Huic non dubito, quin providentia et talem vitam, et talem dicendi facultatem dederit, ne aut exemplum saeculo nostro, aut convicium deesset.

IX. Demetrio si res nostras aliquis deorum possidendas velit tradere sub lege certa, ne liceat donare, affirmaverim repudiaturum, dicturumve: « Ego vero me ad istud inextricabile pondus non alligo, nec in

Quia in laud..... obstat. Eamdem observationem haud raro obviam sic expressit Horat. Carm. III, 24, 31: *Virtutem incolumem odimus, Sublatam ex oculis quaerimus, invidi.* Vellei. Pat. II, 92: *Praesentia invidia, praeterita veneratione persequimur: his nos obrui, illis instrui credimus.*

Paulo ante Demetrium retuli, nempe hoc libr. c. I, 3.

Nec illum a nobis corrumpi, nec nos ab illo corripi posse. Vulgata est omnium librorum lectio: quam cur deseramus, nulla causa est. — *Nec nos ab illo corripi posse*, i. e. Gronovio interprete, nec nos contagione et consuetudine eius posse emendari et ad similitudinem tantae virtutis formari. Convicium saeculo facit auctor praestanti sensu: istis temporibus potissimum ideo datum Demetrium, ut ostenderetur nunquam mores vitamque adeo esse corruptam, ut perfectum et consummatum virtute virum trahat atque inficiat, neque ullam virtutem esse tantam, quae praesenti morum corruptioni possit subvenire.

Non concinnatae, ornatae et venustae. Cf. Ernesti iun. Lexic. technol. lat. rhet. *Concinnitas*. Eloquentiam Demetrii comparat Schweigh. ad Epicteti Diss. init. p. 7 nott. cum ea, quam Arrianus Epicteto tribuit.

Exemplum, quia D. nec a nostris quidem vitiis corruptus est.

Convicium, quia ab illo emendati non sumus, qui hoc aut nemo alius praestare poterat.

IX. Arg. Demetrium Cynicum inducit de luxuriae et divitiarum frivolitate disserentem.

Dicturumve reposui ex omnibus Mss. codd. loco vulg. *dicturumque.*

In altam faecem ex coni. Grut. est, quum darent codd.: *in aliam faecem*. Erasmus: *in illam faecem*.

altam faecem rerum hunc expeditum hominem demitto. Quid ad me defers populorum omnium mala? quae nec daturus quidem acciperem: quoniam multa video, quae me donare non deceat. Volo sub conspectu meo ponere, quae gentium oculos regumque praestringunt? volo intueri pretia sanguinis, animarumque vestrarum? Prima mihi luxuriae spolia propone: sive illa vis per ordinem expandere, sive, ut
2 est melius, in unum acervum dare. Video elaboratam scrupulosa distinctione testudinem, et foedissimorum pigerrimorumque animalium testas, ingentibus pretiis emptas, in quibus ipsa illa quae placet varietas, subditis medicamentis, in similitudinem veri coloratur.
3 Video istic mensas, et aestimatum lignum senatoris

Hunc expeditum hominem, nullo rerum onere impeditum Demetrium. Lipsius addit, quod est in paupertate.

Pretia sanguinis..... vestrar. Illa bona quibus parandis sanguinem et animam impenditis.

Testudinem qua postes, lectos et repositoria maxime ornabant. Plin. H. N. IX, 11: *testudinum putamina secare in laminas, lectosque et repositoria his vestire Carvilius Pollio instituit, prodigi et sagacis ad luxuriae instrumenta ingenii.* In Luciani Asin. c. 53 occurrit κλίνη μεγάλη ἀπὸ χελώνης Ἰνδικῆς πεποιημένη. Vertit Apul. Metam. lectus indica testudine pellucidus: ex eius verbo nota, ait Lipsius, lucem et splendorem effuisse, etc. Iam Virgil. Georgic. lib. II, vs. 463: *varios pulchra testudine postes* dixit. Coll. Ovid. Metam. lib. II, vs. 737, etc.

Subditis medicamentis, coloribus aliis superpositis: ita laminae coloratae, ut varietas et scrupulosa distinctio existeret. Laudat apposite Lipsius Plinii H. N. IV, 43, qui, Neronis, ait, principatu inventum esse, ut testudo tunc in ligni bracteas secaretur et ut pigmentis perderet se, pluresque vaeniret imitata lignum.

Mensas e citro. E Mauretania afferebantur arbores eiusmodi. Plin. H. N. XIII, 15. Petron. de mutat. Rep. 28, ubi cf. Wernsdorf. Poët. lat. min. III, p. 29 sq. qui et nostri loci memor fuit. Ciceronem orbem citri primum omnium Romanorum emisse pro summa nostrae monetae 2,000 fr. tradit Plin. H. N. l. cit.

Aestimatum lignum senatoris censu. Non videtur primis Romae conditae temporibus ratio pecuniarum habita esse in describendis ordinibus; sed respublica quum iam esset florentissima, octies possidere necesse erat, ut in senatum aliquis adscriberetur. Quam summam Augustus ampliatam voluit, et iussit duodecies sestert. esse: quod nostrae monetae fere 240,000 fr. efficiebat.

censu, eo pretiosius, quo illud in plures nodos arboris infelicitas torsit. Videо istic crystallina, quorum 3
accendit fragilitas pretium; omnium enim rerum voluptas apud imperitos, ipso quo fugare debet periculo, crescit. Video murrhina pocula: parum scilicet luxuria magno fuerit, nisi quod vomant capacibus gemmis, inter se pronunciaverint. Videо uniones, non singulos 4

Istic crystallina. Plin. XXXIII init.: *Crystallina ex eadem terra effodias, quibus pretium faceret ipsa fragilitas.* Lib. XXXVII, 2 ubi murrhina quoque iungitur ac describitur. Pertinet autem crystallinum ad silicem quem mineralogistae vocant *Quartz hyalin*, vulgo dictum crystallum montanum, *cristal de roche.*

Accendit, auget.

Murrhina. Naz. Rottendorf. Erfurt. et omnes Gruteri, *murrea*: quod h. l. repositum malim. Vtrumque tamen recte. Sic Propert. IV, 5, 26 *murrea* habet: variant etiam Epist. CXIX, 4 codd. mss. alii *murrhini*, alii *murrea*, praehentes, ubi Erasmum sequutus sum: quamquam Gronovius *murrea* praeferret. — *Murrhina.* De his poculis cf. ad Epist. CXIX, 4 not. Haec *murrhina* s. murrea pocula vocat, quamvis parum propric, ut videtur, *capaces gemmas:* sic Lucan. X, 160, de luxu in aula Cleopatrae: *manibusque ministrat Niliacas crystallus aquas: gemmaeque capaces Excepere merum.* Caeterum quoque veras gemmas formatas in pocula vini offert Apul. Metam. II, 138, Ruhnken.; sed ad haec confugere inutile est, si *Lagrangii* admiseris opinionem (in Excursu de hac re).

Nisi quod vomant, etc. Mos, ut e gemma bibendi, ita post coenam quae bibissent *evomendi* notissimus est, vel e Schelleri Lexico et hoc Ciceronis in Philipp. II, cap. 104: *Ab hora tertia bibebatur, ludebatur, vomebatur;* et hoc Nostri: *Vomunt ut edant, edunt ut vomant.*

Capacibus gemmis, inter se pronuntiaverint antiqua lectio et genuina est omnim codd.: Naz. enim *magno fuerint... inter se pronunciave.* alii *magna fuerint.... pronutiaverint*: parvo aut nullo fere discrimine. Hinc Lipsius *permutarint*, vel *permutaverint* facere maluit: quatenus alternabant inter se pocula et potiones. Erasmus fecerat *propinarent*, quod optimum dat sensum. — Si nostram lectionem servaveris, sensus est: Luxuria non satis magno eis constiterit, si non inter se pronuntiaverint aut iactitaverint quod, sc. quia gemmis capacibus, ideoque pretiosissimis vomant. In plerisque edd. scribitur *nisi quod vomant, cap. g. inter se pronunciaverint*, virgula post *vomant* posita; quod sic interpretari possis: nisi inter se pronuntiaverint aut gloriati fuerint se, illud quod vomunt capacibus gemmis vomere; sed nostra interpunctio faciliorem praebet interpretationem.

Videо uniones, etc. De luxu hoc mulierum Noster de Vita Beat. c. 17, 2 not. ait: *quare uxor tua locupletis domus censum auribus gerit?* Cf. et

singulis auribus comparatos: iam enim exercitatae aures oneri ferendo sunt; iunguntur inter se, et insuper alii binis superponuntur; non satis muliebris insania viros subiecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent. Video sericas vestes, si vestes vocandae sunt, in quibus nihil est quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit: quibus sumptis, mulier parum liquido nudam se non esse iurabit. Haec ingenti summa ab ignotis etiam ad commercium gentibus arcessuntur, ut matronae nostrae, ne adulteris quidem, plus sui in cubiculo, quam in publico ostendant.

X. «Quid agis, avaritia? quot rerum caritate aurum tuum victum est? omnia ista quae retuli, in maiore honore pretioque sunt. Nunc volo tuas opes recognoscere, laminas utriusque materiae, ad quas cupiditas nostra caligat. At mehercule terra, quae quidquid

Iuvenal. I, 456. Suetou. in Caes. 50 Aegyptum, tum per diversa Asiae itinera Romam venere: cum Seribus ipsis Romae nullum fuit commercium.

X. Aug. Eiusdem materiae continuatio, et vanitas opum quas homines tam vehementer excupiunt.

in Vitell. cap. 7. Attingunt quoque praeter alios Plin 9, 35. Petron. c. 55, p. 271 ibiq. Burm. hunc luxum, qui in domus Augustae ministeriis auriculae ornatricibus ortum dedit. Cf. Gruter Inscript. p. 579, 2.

Si vestes vocandae sunt.... pudor possit. Similes vestes iam antea e bysso, s. lana gossypii arborei Linn. in Insula Coo confici solebant, tam tenues, ut in publico matrona translucent, ait Plin. N. H. 16, 17. Senec. Ep. xc, 21, not.

Ab ignotis, etc. Serum enim extra Gangem habitantium notitia aliqua Romam venerat hoc ipso Senecae, qui teste Plinio de India accuratissime egerat in libro diu perdito, tempore. Cf. *Heeren* de Graecor. de India notitia in Commentatt. Soc. reg. Gotting. T. IX, X. Merces Serum tum per

Quid agis, avaritia? etc. Cynico philosopho haec invectiva verba in avaritiam et eius materiam dignissima sunt, quae tamen iam in Scholio Nicocreontis antiquissimo (cf. Brunk. Anal. To. I, p. 148, nr. 1.) occurrunt, ubi *Iacobs* quaedam similia collegit in Animadv. p. 274. Cf. Ep. xciv, 57. Sallust. Catil. c. 17, etc.

Laminas auri argentique. Gallic. *filons*. *Avaris abditae terris Inimica lamnae* est ap. Horat. Carm. II, 2, 2 ubi Bentl. nec nostri loci immemor fuit.

At mehercule, etc. Horat. l. l. ait similiter: *Nullus argento color est*,

utile futurum nobis erat protulit, ista defodit et mersit, et ut noxiosis rebus ac malo gentium in medium prodituris, toto pondere incubuit. Video ferrum ex iisdem 2
tenebris esse prolatum, quibus aurum et argentum: ne aut instrumentum in caedes mutuas deesset, aut pretium. Et adhuc ista aliquam materiam habent: est in quo errorem oculorum animus subsequi possit; video istic diplomata, et syngraphas, et cautiones, vacua habendi simulacra, umbras quasdam avaritiae laborantis, per quas decipiant animum, inanium opinione gaudentem. Quid enim ista sunt? quid foenus, 3
et kalendarium, et usura, nisi humanae cupiditatis extra naturam quaesita nomina? Possum de rerum natura queri, quod aurum argentumque non interius absconderit, quod non illis maius, quam quod detrahi posset, pondus iniecerit. Quid sunt istae tabulae, quid computationes, et venale tempus, et sanguino-

etc. qui locus ex nostro lucem accipit, ne τὸ *avaris* intelligas cum Doeringio amiciss. de hominibus.

Noxiosis. Sic codd. optimi, non *noxiis*, quod vulgg. habent. Sed utrumque recte.

Video ferrum.... prolatum. Cf. Tibull. lib. I, eleg. 11.

Est in quo...possit, etc., oculi quidem falluntur in hoc, quod dignitatem honoremque his metallis tribuant, sed animus hunc errorem subsequitur et in bonum usum convertit, qualenus inde vasa, etc., confici possunt. Vanae autem sunt illae *membranulae* (infra dictae), quae donationes, etc. continent, quippe quae nunquam revera dabuntur.

Diplomata sunt assignationes aut contractus.

Syngraphas, obligationes sub chirographo.

Umbras quasdam avaritiae laborantis. Sic Erasmus. Codd. variant, *umbra quaedam*, *umbra quadam*. Fortasse hae voces scholii locum obtinent. Gruteri codd. deinceps non *per quas*, sed *per quae* habent.

Kalendarium, liber foenebris, sic dictus quod kalendis solvebantur foenera.

Extra naturam. Non enim ipsa haec produxit, sed avaritia et habendi studium invenit.

Venale tempus, quia usura solvebatur pro tempore, quo quis sorte utitur.

Sanguinolentae centesimae. Molestissimas et gravissimas fuisse Romae usuras notum est, vel e Livio, Horatio Serm. I, 2, 14 aliisque. Centesimae sc. partes sortis. Huc trahunt Plin. Ep. x, 62, qui ait, duodenis assibus debere vel mutari solemne esse eo tempore: quos, explicant, solutos esse quotannis pro centenis assibus,

Digitized by Google

lentae centesimae? Voluntaria mala ex constitutione
4 nostra pendentia, in quibus nihil est, quod subiici oculis, quod teneri manu possit, inanis avaritiae somnia. O miserum, si quem delectat sui patrimonii liber magnus, et vasta spatia terrarum colenda per vinctos, et immensi greges pecorum per provincias ac regna pascendi, et familia bellicosis nationibus maior, et aedificia privata laxitatem urbium magnarum vincentia! Quum bene ista, per quae divitias suas
5 disposuit ac fudit, circumspexerit, superbumque se fecerit, si quidquid habet ei quod cupit comparet, pauper est. Dimitte me, et illis divitiis meis redde. Ego regnum sapientiae novi, magnum, securum; ego sic omnia habeo, ut omnium sint. »

XI. Itaque quum C. Caesar illi ducenta donaret, ridens reiecit, ne dignam quidem summam iudicans,

adeoque quovis mense unciam. Inde Lipsius perperam ait: quae centesimo mense (unde nomen) sortem aequant. Alii 8 1/3 pro centenis quovis mense, ideoque duodecim mensibus praeterlapsis centesimas solutas esse; quas sanguinolentas iure meritoque quis appellare possit.

Constitutione animi *nostra* perversa, qua descivimus a natura: quod queritur saepe, e. c. Ep. CXXII. Nullam autem hae res materiam habent, quum sint papyraceae et imaginariae.

O miserum, etc. Iam republica libera, Catonis adeo maioris tempore, haec mala, quae Demetrius hic conqueritur, viguisse, Plutarchus e. c. IV p. 623, Columella I, 8 aliique affatim docent. Quibus ortum dedere luxuria, divitiae inaequalissimo divisae et maxime latifundia: quis nescit, e. g. L. Marc. Philippi trib. pl. querelam apud Cicer. de Off. II, 21 agrarias leges suadentis: non esse in civitate duo millia hominum, qui rem haberent? Vbique ab eo inde tempore, saeculo urbis conditae sexto, servis, quorum multitudinem bella servilia, et ludi, atque ergastula gladiatorum satis docuere, ager Romanorum ditiorum coli coeptus est, et pascua praeferri, eodem etiam Catone auctore, Cic. de Off. II, 25, 5. Columella VI praef.

Et aedificia... vincentia. Epist. XC, 43 ait adeo: *Non habebant domus instar urbium*. Respexit fortasse Neronis domum auream, quam is a Palatio Esquilias usque fecit, Suet. c. 31 narrante.

XI. ARG. Quae dixit Demetrius, ipsis factis refert. Demetrii vox ducenta oblata a Caio denegantis.

C. Caesar) *Caius C.* Pinc. adiecit e coniectura; recte: quamvis in nullo Cod. mss. apparet. — *Caius Caesar* Caligula.

Ducenta, nempe millia sester-

Digitized by Google

qua non accepta gloriaretur. Dii deaeque, quam pusillo illum animum aut honorare voluit, aut corrumpere! Reddendum egregio viro testimonium est. Ingentem rem ab illo dici audivi; quum miraretur Caii dementiam, quod se putasset tanti posse mutari. Si tentare, inquit, me constituerat, toto illi fui experiendus imperio.

XII. Sapienti ergo donari aliquid potest, etiam si sapientis omnia sunt. Aeque nihil prohibet, quum omnia amicis dicamus esse communia, aliquid amico donari. Non enim mihi sic cum amico communia sunt, quomodo cum socio, ut pars mea sit, pars illius; sed quomodo patri matrique communes liberi sunt: quibus quum duo sunt, non singuli singulos habent, sed singuli binos. Primum omnium iam efficiam, ut quis- 2
quis est iste, qui me in societatem vocat, sciat se nihil mecum habere commune. Quare? quia hoc consortium solum inter sapientes est, inter quos amicitia

tium, est quod nostrae monetae fere 40,000 fr.

Pusillo. Reduxit Grov. e Naz. et multis aliis. Antea *pauxillo.* Cf. supra II, 27, 1; 34, 3.

Corrumpere. Ad opum et pecuniae amorem possessionemque traducere voluit Caligula, tyrannus ille, qui homines virtutemque contemnens nihilque philosophis fidens, pecunia hac Demetrio oblata, derisui eum, si accepisset, traducere voluit: qui quidem mos regibus saepe familiaris fuit, ut philosophos aliosque viros doctos in aula praemiis satis lautis alerent, quo rideudi sibi materiam ex eorum moribus rixisque pararent; exemplo sint ex antiquitate plerique Ptolemaeorum, ut recentiores omittam satis notos. Egregie tamen hic Cynicus, opum contemptor, partes suas tuitus est. Nec aliter Seneca, quamvis ditissimorum unus, egit: quippe qui, Tacito Ann. 14, 52 sq. referente, omnia sua Neroni traditurus erat: sed in libro de Vita Beata hunc animum egregie ostendit.

XII. Ang. Conclusio ex praecedentibus. Sapienti donari aliquid potest, ut amico. Quaedam obiecta refellere aggreditur.

Pars mea, pars illius: i. e. ita ut alia sit pars mea, alia pars illius. *Pars* est sors quam contribui.

Inter sapientes. Soli sapientes inter se amici, quia hi soli bona noscunt, stoico dogmate, saepe exposito: reliqui nonnisi sunt amici temporarii, etiamsi parentes, liberi, agnati sint. Conf. Lipsii Manuduct. lib. III, cap. 16.

Digitized by Google

est; caeteri non magis amici sunt, quam socii. Deinde
3 pluribus modis communia sunt. Equestria omnium equitum Romanorum sunt: in illis tamen locus meus fit proprius, quem occupavi; hoc si cui cessi, quamvis illi communi re cesserim, tamen aliquid dedisse videor. Quaedam quorumdam sub certa conditione sunt; habeo in equestribus locum, non ut vendam, non ut locem, non ut habitem: in hoc tantum, ut
4 spectem. Propterea non mentiar, si dicam me habere in equestribus locum: sed quum in theatrum veni, si plena sunt equestria, et iure habeo locum illic, quia sedere mihi licet; et non habeo, quia ab his, cum quibus ius mihi loci commune est, occupatus est. Idem inter amicos puta fieri. Quidquid habet amicus, commune est nobis: sed illius proprium est, qui tenet; uti his, illo nolente, non possum. Derides me,
5 inquis. Si quod amici est, meum est, liceat mihi vendere. Non licet; nam nec equestria, et tamen communia tibi cum caeteris equitibus sunt. Non est argumentum, ideo aliquid tuum non esse, quia vendere non potes, quia consumere, quia mutare in deterius aut melius non potes. Tuum enim est, etiam quod sub lege certa tuum est. Accepi, sed cuncti non minus.

Equestria, sc. loca in Amphitheatro, sunt gradus quatuordecim, in quibus equiti tantum sedere et spectare ludos licebat. A. V. C. 686 lege L. Roscii Othonis ius in quatuordecim sedendi dabatur. DioCass. XXXVI, 25.

Hoc (ablat.) *si cui*, scilicet equiti. Nam alii cuipiam cedere non licebat. Ipse paulo infr. hoc illustrat exemplis.

His. Addidi e codd. Naz. etc. cum Gron., qui observat, etsi praecedat *quidquid*, tamen quia hoc collectivum est, bene ei respondere *his*, relatum ad sensum, non ad vocem.

Non est argumentum... non potes. Namque fundi complures sunt quos nec licet possidentibus vendere, donare, alienare, quocumque modo id fieri possit.

Accepi, sed cuncti non minus. Cum Gron. hanc palat. tertii, sed non in margine, ut ait, extantem lectionem recepi: τῷ *habes* post *minus* carent optimi codd. Antea: *Accepi, sed certe non minus habes*. Nempe acceperunt illud, quod tuum quoque est; quia commune est. Dixit de equestribus:

Digitized by Google

XIII. Ne te traham longius, beneficium maius esse non potest: ea per quae beneficium datur, possunt esse maiora: et plura, in quae se undique benevolentia effundat, et sic sibi indulgeat, quemadmodum amantes solent; quorum plura oscula, et complexus arctiores, non augent amorem, sed exercent. Haec quoque, quae venit quaestio, profligata est in prioribus: itaque breviter perstringetur. Possunt enim 2
in hanc, quae data sunt aliis, argumenta transferri. Quaeritur, an qui omnia fecit, ut beneficium redderet, reddiderit. Vt scias, inquit, illum non reddidisse, omnia fecit, ut redderet. Apparet ergo, non esse id factum, cuius faciendi occasionem non habuit: ut creditori suo pecuniam non solvit is, qui ut solveret, ubique quaesivit, nec invenit. Quaedam eius 3
conditionis sunt, ut effectum praestare debeant: quibusdam pro effectu est, omnia attentasse, ut efficerent. Si omnia fecit ut sanaret, peregit medicus partes suas; etiam damnato reo, oratori constat elo-
quentiae officium, si omni iure usus est. Laus impe-

communia tibi cum caeteris equitibus sunt.

XIII. Aac. Aliae quaestiones. Beneficia sunt paria et aequalia. Voluntate constant beneficia.

Ne te traham longius. Muretus monuit, defectum h. l. esse. Sed nulla huius coniecturae causa est. — *Ne te traham longius*, etc. Transeundi modus est ad aliam quaestionem, nec deest quidquam. In illa antegressa quaestione amicum iusto longius detinuerat, ideoque ad aliud transire studet: Beneficium beneficio maius esse non potest. Quum Stoici omnia recte facta (τὰ κατορθώματα) paria esse consentirent, ut notum est vel e Ciceronis Paradoxis, sequebatur et beneficia esse paria. — *Et plura*, supple *esse possunt.*

Haec quoque in prioribus inchoavit, et paene confecit. II, 31 seq.

Possunt... hanc, sc. quaestionem.

Quaedam, etc. Respondet obiectioni.

Praestare debeant, e. c. debita creditori solvi debent.

Si omni iure usus est. Sic in cod. Col. et aliis ap. Grut. Lipsiumque. Cod. Naz. *si omni si omni rursus est*, ubi librarii repetitionem earum vocum invenio, non cum Gron. veteris scripturae vestigia. Proinde non suffragor Gronovio calidius iusto emendanti: *si omni se in omnia usus est.* Erasmus: *si omni arte usus est.* — *Si*

Digitized by Google

ratoria etiam victo duci redditur, si et prudentia, et industria, et fortitudo muneribus suis functa est. 4 Omnia fecit, ut beneficium redderet: obstitit illi felicitas tua. Nihil incidit durius, quod veram amicitiam experiretur. Locupleti donare non potuit, sano assidere, felici succurrere: gratiam retulit, etiam si tu beneficium non recepisti. Praeterea, huic intentus semper, et huius rei tempus opperiens, qui in hoc multum curae, multum sedulitatis impendit, plus laboravit, quam cui cito referre gratiam contigit.

XIV. Debitoris exemplum dissimile est: cui parum est pecuniam quaesisse, nisi solvit. Illic enim stat acerbus super caput creditor, qui nullum diem gratis occidere patiatur: hic benignissimus, qui quum te viderit cursantem et sollicitum atque anxium, dicat: Mitte hanc de pectore curam. Desine tibi molestus instare: omnia a te habeo. Iniuriam mihi facis, si me 2 quidquam amplius desiderare iudicas. Plenissime ad me pervenit animus tuus. « Dic, inquit, mihi: reddidisse beneficium diceres illum, qui sic gratiam retulit? Eodem ergo loco est, qui reddidit, et qui non reddidit. » Contra nunc illud pone: si oblitus esset

omni iure usus est, i. e. si omnia attulit, quae ius in hac causa ei suppeditabat et permittebat; si omnia quae facere licebat, fecerit.

Laus imperatoria etiam victo duci r. Lipsii est emendatio, quum antea esset: *laus imperatori etiam victo et duci r.* Codd. Naz. et Col. dabant: *L. imperatori etiam victo d. r.*

Omnia fecit is qui beneficia accepit et reddere voluit: sed quum res tuae optime succederent, nulla illi occasio gratiam referendi fuit.

XIV. Ang. Inter creditorem et benefactorem maximum discrimen est. Voluisse et attentasse satis est.

Qui nullum diem, etc. Nempe elapsis Calendis, sive Idibus (*terme de rigueur*), quo die ultimo solutio sortis, aut usurae fieri et redigi a creditore solebat: cuique diei inscribit ille usuram solvendam.

Instare, te ipsum urgere et premere.

Omnia a te habeo. H. e. Quidquid mihi reddere debuisti, reddidisti: ego accepi et possideo.

Inquit, obiicitur. An putares, sic gratum retulisse beneficium?

Contra, enimvero, at vero, est obiicientis, qui oblitum beneficii ac-

accepti beneficii, si ne tentasset quidem gratus esse, negares illum gratiam retulisse. At hic diebus noctibusque se lassavit, et omnibus aliis renuntiavit officiis, huic uni imminens, et operatus, ne qua se fugeret occasio. Eodem ergo loco erunt, ille qui curam referendae gratiae abiecit, et hic qui nunquam ab illa recessit? iniquus es, si rem a me exigis, quum videas animum non defuisse. Ad summam, puta, quum captus esses, me pecuniam mutuatum, rebus meis in securitatem creditoris oppositis, navigasse hieme iam saeva, per infesta latrociniis litora, emensum quidquid periculi afferre potest etiam pacatum mare: peragratis omnibus solitudinibus, quum quos nemo non fugiebat ego quaererem, tandem ad piratas perveni: et iam te alius redemerat; negabis me gratiam retulisse? etiamne si in illa navigatione pecuniam, quam saluti tuae contraxeram, naufragus perdidi? etiamne si in vincula quae detrahere tibi volui, ipse incidi? Negabis me retulisse gratiam? At mehercle Athenienses, Harmodium et Aristogitonem, ty-

cepti et gratiae referendae cupidum inter se opponit, etc. non respondentis obiectioni per similem obiectionem.

Operatus. Sic omnes codd. Sed Muretus amplexus est *opperiens*. — *Operatus* qui alicui rei operam dedit. Lipsius laudat de Brevit. Vit. c. 12, 3. Sed cf. Lexica.

Rebus meis in securitatem creditoris oppositis. Quidquid possideo ego oppigneraus in foeneratoris manu, ut ille de pecunia credita securus fiat. *Res* in hoc sensu saepe usurpatum constat apud Iurisconsultos. Quum divortium pronuntiaretur, iubebatur *res suas* sibi quemque habere.

Quum quos nemo non fugiebat, etc. Nempe piratas. Cogitasse videtur de piratis, inprimis Africae, Aegypti, qui vel post Pompeii tempora identidem maria passim infestabant et littora; horum saepe mentio fit in libris eroticis, e. c. ab Heliodoro, Charitone, etc. quippe qui virgines rapiebant.

Tyrannicidas. Hipparchum natu maximum Pisistrati filium, et, ut fama ferebat, etiam Hippiam, interfecerunt ol. 66, 2: ideoque ab Atheniensibus semper magni facti et laudati sunt, ut videre licet vel e Scholio notissimo Callistrati in Brunkii Anal. Tom. I, p. 155, n. 7. Quamvis historia docente, Hippias non ab iis interfectus quarto demum anno post Athenis eie-

rannicidas vocant : et Mucii manus in hostili ara relicta, instar occisi Porsenae fuit, et semper contra fortunam luctata virtus, etiam citra effectum propositi operis, enituit. Plus praestitit, qui fugientes occasiones secutus est, et alia atque alia captavit, per quae referre gratiam posset, quam quem sine ullo sudore gratum prima fecit occasio.

XV. «Duas, inquit, res ille tibi praestitit, voluntatem, et rem : tu quoque illi duas debes.» Merito istud diceres ei, qui tibi reddidit voluntatem otiosam: huic vero, qui et vult, et conatur, et nihil intentatum relinquit, non potes dicere; utrumque enim praestat, quantum in se est. Deinde, non semper numero numerus aequandus est; aliquando una res
2 pro duabus valet. Itaque in locum rei succedit tam propensa voluntas, et cupida reddendi. Quod si animus sine re, ad referendam gratiam non valet : nemo adversus deos gratus est, in quos voluntas sola confertur. «Diis, inquit, nihil aliud praestare possumus.»

ctus fuerit, pro libertatis vindicibus et auctoribus celebrabantur Harmodius et Aristogito. Cf. Valckeu. ad Herodot. V, 55, p. 398, 66.

Mucii manus in hostili.... fuit. Mucii Scaevolae fortitudinem miram omnes norunt, qui Porsenam occidere frustra adortus comprehensusque ut supplicio dederetur, manum igni imposuit, neque ante amovit quam usta et tosta in flammas concidisset.

XV. Arg. In locum rei quandoque succedit bona voluntas.

Voluntatem otiosam. Voluit quidem, sed nihil fecit, quo gratiae referendae occasionem acciperet: ignavus fuit in optima voluntate.

Huic vero, qui et vult, et conatur, et nihil intentatum relinquit, non potes dicere. Coniecturam Pinciani Muretus recepit, nec equidem descrere ausus sum. Codd. praestabant : *Huic vero debes.... et non potest dicere.* — Lipsius haec verba non *potes dicere* glossematium esse existimat, quum sit in suo libro: *scilicet non potes dicere*, cuius prima vox scholion satis significare videtur.

Diis, inquit, nihil aliud praestare possumus. Obiectio est, quae ut tota explicetur, sic est effereuda: Nulla est gratiae quam erga Deos habemus, et gratiae quam caeteris mortalium ostendere nos volumus, paritas. Nam Diis nihil possumus donare : ergo ad beneficia referenda animus sufficit. At hominibus quaedam possunt dari; ergo non animo dumtaxat, sed et re opus est, ut gratiosus audias. Diluet Noster argumentum, pene ultimam

Sed si huic quoque, cui referre gratiam debeo, nihil aliud praestare possum: quid est, quare non eo adversus hominem gratus sim, quo nihil amplius in deos confero?

XVI. Si tamen quid sentiam quaeris, et vis signare responsum: hic beneficium recepisse se iudicet; ille se sciat non reddidisse. Hic illum dimittat: ille se teneat; hic dicat, Habeo: ille respondeat, Debeo. In omni quaestione propositum sit nobis bonum publicum. Praecludendae sunt excusationes ingratis, ad quas refugere possint, et sub quibus infitiationem suam tegere. Omnia feci! fac etiam nunc. Quid? tu [2] tam imprudentes iudicas maiores nostros fuisse, ut non intelligerent iniquissimum esse, eodem loco haberi eum qui pecuniam, quam a creditore acceperat, libidine aut alea absumpsit, et eum qui incendio, aut

partem negando. Nam dicit quibusdam hominibus nihil interdum posse conferri ab hoc, vel ab illo. Nullus est sane cui non possit aliquis aliquid dare; sed quidam sunt qui a quibusdam in quibusdam temporibus nihil possunt accipere. Iis ergo temporibus Deorum similes ii sunt, quod ad istos spectat; ergo non rei sed animi rationem habeant necesse est. Obiicit sibi argumentum Noster et refellit; sed multa aberant quae nobis fuerunt suppleuda.

XVI. Arg. Sapienti tamen, qui in deterius mutatus sit, beneficium reddendum est.

Signare. Pro more iurisprudentium, qui tunc obtinuit. Antiquitus consulebantur tantum, nec responsa signabant: apud Pomponium de Origine Iuris. Postea sub Augusto aut circa obtinuit, ut auctoritatis fideique causa subscriberent. Lipsius non cogitasse videtur, antiquissimis temporibus iurisprudentium fuisse, respondere, scribere, cavere, quod venerando seni notissimum fuit. Signare h. l. est accurate memoriae tuae imprimere.

Ille se teneat. Nempe in vinculis et sub obligationis pondere. Nam μεταφορᾶς tenax est, quam indicat τὸ *dimittat*. Hic liberum et solutum (ἐλεύθερον) sinat ambulare; ille compedes rursus implicet sibi et ligatum (δεδεμένον) se velit.

Praecludendae sunt.... infitiationem suam tegere. Potest aliquis quamquam rem datam non reddiderit, gratiam tamen retulisse, animo modo gratiosus et memor ansam reddendi quaesiverit quae optanti non contigit. Sed quis iudex animi existet? Nonne et ingratus se potest animo gratiosum fuisse iactitare, et relatae, non re quidem, sed voluntate gratiae laudem sibi vindicabit? Ergo a sententia bona et vera, improbis adest excusatio com-

latrocinio, aut aliquo casu tristiore, aliena cum suis perdidit? nullam excusationem receperunt, ut homines scirent fidem utique praestandam. Satius enim erat a paucis etiam iustam excusationem non accipi, quam ab omnibus aliquam tentari. Omnia fecisti ut redderes. Hoc illi satis sit: tibi parum. Nam quemadmodum ille, si enixam et sedulam operam transire pro irrita patitur, cui gratia referatur indignus est: ita tu ingratus es, nisi ei, qui voluntatem bonam in solutum accepit, eo libentius debes, quia dimitteris. Non rapias hoc, nec testeris: occasiones reddendi nihilominus quaeras. Redde illi, quia repetit; huic, quia remittit; illi, quia malus; huic, quia non malus. Ideoque non est, quod ad te hanc quaestionem iudices pertinere: an, quod beneficium quis a sapiente acceperit, reddere debeat, si ille desiit esse sapiens,

modo. Quod ut malum vitetur, sanciamus nunquam bono viro satis videri eam gratiam quae animo refertur, et solutum a creditore illigatum tamen se iudice esse. *Infitiationem* h. l. intellige beneficii negationem. Pervelit vir improbus beneficium in se collatum negare: at qui potest? Accepisse se ergo fatetur et obligatum se fuisse; sed non iam obligatum, quum animo reddiderit.

Quid? tu.... utique praestandam. Lectorum causa, qui ius rom. non callent, moneo, leges XII tabularum hanc duritiem, quae antiquioris moris fuerit, probasse; docent hoc fragmenta harum legum tabula III expositarum, et conditio misera obaeratorum et nexorum, donec sensim mitigaretur, primum lege Poëtelia Papiria a. V. 427. Mansit tamen principium, cuius Seneca mentionem fecit. Cf. Heineccii Antiq. rom. ad Instit. III, 30.

Illi, qui beneficium dederit.

Irrita. I. e. pro nulla aut frustratoria: nihil ei adscribit, aut tribuit. *L.*

Non rapias hoc, nec testeris. Noli iusto cupidius te liberatum ab omni gratia referenda putare, ablatamque liberationem arripere, et testes eius rei advocare, perinde ac si vere reddideris beneficium acceptum.

Si ille desiit... est. Mireris quod de suo sapiente hanc mutationem suspicari potuerint Stoici, quum eum tamen perfectissimum esse crederent, deoque parem, etc. sed observes necesse est, severioris ideoque purioris Stoae hanc quaestionem nunquam fuisse, nec esse potuisse, nisi dogma suum de sapiente sanctissimum ipsi subvertere voluerint. Sed ab illa severitate Zenonis aliorumque Stoae heroum sensim defecisse constat nonnullos, inprimis Panaetium aliosque, quos recentioris Stoae asseclas recte vocaveris, haud pauca e doctrina alio-

Digitized by Google

et in malum versus est. Redderes enim et depositum, quod a sapiente accepisses: et etiam malo redderes creditum: quid est, cur non et beneficium? Quia mutatus est ille, te mutat? Quid? si quid a sano accepisses, aegro non redderes: quum plus semper imbecillo amico debeamus? et hic aeger est animo: adiuvetur, feratur: stultitia morbus est animi. Distinguendum hoc, quo magis intelligatur, existimo.

XVII. Duo sunt beneficia: unum, quod dare nisi sapiens sapienti non potest: hoc est absolutum et verum beneficium; alterum, vulgare, plebeium, cuius inter nos imperitos commercium est. De hoc non est dubium, quin illi qualiscumque est debeam reddere, sive homicida, sive fur, sive adulter evasit. Habent scelera leges suas; melius istos iudex quam ingratus emendat; nemo te malum, quia est, faciat. Malo beneficium proiiciam, bono reddam; huic, quia debeo: illi, ne debeam.

XVIII. De altero beneficii genere dubitatur, quod si accipere non potui nisi sapiens, ne reddere quidem nisi sapienti possum. Puta enim me reddere; ille non

rum philosophorum sibi assimilantes.

Quid est, cur non et beneficium? Quae causa est cur non, ut depositum et creditum, etiam beneficium reddas.

Distinguendum hoc.... existimo. Distinctionem praenuntiat quam in sequenti παραγράφῳ adumbraturus est. Vid. infra, cap. 17 totum.

XVII. Arg. Distinguit inter beneficia absoluta ac vulgaria. Haec cuique sunt reddenda.

Imperitos. Ita mollius appellabantur apud Stoicos, qui neque proficientes, neque sunt sapientes: alias stulti.

De hoc. Vulgari et plebeio beneficio.

Habent.... suus. I. e. scelesti legibus subditi sunt: illis sunt relinquendi: sed a gratia eis referenda ideo non liberi sumus, quia scelesti sunt.

Quia est. Supple *Malus.*

Malo beneficium proiiciam. Ab improbo acceptum munus, ei restituere festinabo et quasi in os reiiciam. Nolo enim huic quidquam debere. Quod ipse Noster exprimit, mox dicens: *illi, ne debeam.*

XVIII. Arg. Beneficia vero absoluta nonnisi sapiens accipere et reddere potest. Et hoc per comparationem explicat manci viri cum non sapiente.

Digitized by Google

potest recipere: non est iam huius rei capax; scien-
2 tiam utendi perdidit. Quid si me remittere manco pilam iubeas? stultum est dare alicui, quod accipere non possit. Vt respondere ab ultimo incipiam: Non dabo illi, quod accipere non poterit: reddam, etiam si recipere non poterit. Obligare enim non possum, nisi accipientem: liberari tantum, si reddo, possum. Ille uti illo non poterit? viderit: penes illum erit culpa, non penes me.

XIX. « Reddere est, inquit, accepturo tradidisse. Quid enim si cui vinum debeas, et hoc ille infundere reticulo iubeat, aut cribro: reddidisse te dices, aut reddere voles, quod dum redditur, inter duos pereat? » Reddere, est id quod debeas, ei cuius est, volenti dare: hoc unum mihi praestandum est. Vt quidem habeat, quod a me accepit, iam ulterioris est curae. Non tutelam illi, sed fidem debeo: multoque satius est, illum non habere, quam me non red-
2 dere. Et creditori statim in macellum laturo, quod

Non est iam, quum a sapientia desciverit et malus factus sit.

Manco, debili, manibus capto.

Vt respondere ab ultimo... non poterit. Vt sensus exactus et verus pateat, cogita de differentia τοῦ *dare* et *reddere*. *Dare* ridiculum est nisi illi qui utetur; reddere autem illi etiam qui uti non potest, res esse necessaria.

Liberari. Nempe debito. Simillime nos dicimus: *être libéré*.

Ille.... viderit. I. e. Etsi ille (cui debeo et reddo) iis *uti non poterit* quae reddo, nihilominus debeo: viderit ipse quid facere debeat.

XIX. Arg. Affirmat beneficium perdituro tamen reddendum. Frustra id obiici, quod mutato animo, non eidem personae reddes, et quum a sapiente acceperis, referas gratiam stulto. Imo pravo et crudeli reddendum, modo non in publicum exitium excurrat, nec redundet e relata gratia malum in universos.

Reticulo. Parvulo rete quo utebantur saepius vel ad cohibendos crines, ut patet ex Antholog. epigr. Η δὲ φιλοπλεκτοῖο κόμας σφιγκτῆρα Φιλαινὶς Βαπτὸν ἁλὸς πολιῆς ἀνθέσι κεκρύφαλον; et alibi Πορφύρεον χαίτης ῥύτορα κεκρύφαλον, vel ad flores quasi in calathio exiguo admovendas naso. Cic. Verr. III, cap. 27: *Ipse autem coronam habebat unam in capite, alteram in collo, reticulumque ad nares sibi apponebat tenuissimo lino, minutis maculis, plenum rosae.*

Vt quidem habeat, possideat, secum

acceperit, reddam; etiam si mihi adulteram, cui numerem, delegaverit, solvam: et si nummos quos accipiet, in sinum suum discinctus fundet, dabo. Reddendum enim mihi est, non servandum, quum reddidero, aut tuendum. Beneficii accepti, non redditi custodiam debeo. Dum apud me est, salvum sit; caeterum licet accipientis manibus effluat, dandum est reposcenti. Reddam bono, quum expediet; malo, 3
quum petet. « Tale, inquit, beneficium, quale accepisti, non illi potes reddere. Accepisti enim a sapiente: stulto reddis. » Non; reddo illi, quale nunc potest accipere: nec per me fit quod deterius, sed per illum; id quod accepi, reddam. Cui, si ad sapientiam redierit, reddam quale accepi: dum in malis est, reddam quale ab illo potest accipi. « Quid, inquit, si non 4
tantum malus factus est, sed ferus, sed immanis, qualis Apollodorus, aut Phalaris: et huic beneficium,

retineat. Illa cura ad me nunc non spectat.

Macellum. Pisces aliaque luxuriae instrumenta empturo. Lipsius tamen de nepote intelligit, qui pecuniam apud macellarios, ganeae suae causa relinquit. Sed an macellum pro ganeo in usu fuerit, dubito: etsi fateor, bene huic loco talem usum convenire.

Delegaverit, solvendam miserit.

Discinctus, cingulo soluto, ut pecunia in terram reddita caderet.

Non; reddo illi etc. Optimorum haec est codd. lectio: alii *Nam; Nunc*: sed notum est has voculas inter se commutari a librariis. Erasmus primum distinxit. *Non: reddo.* Muretus: *imo reddo*, quod sumpsit ex Erasmi paraphrasi. Nimis confidenter Lipsius: in meo, ait, veritas: *Nam reddo.*

Apollodorus, aut Phalaris, tyranni crudelissimi, de quibus iam nos aliquid monuimus ad lib. II de Ira c. 5, 1. Porro Apollodorus tyrannidem Athenis obtinuit, quam quum crudelissime exercuisset, tandem evictus est et miserabiliter interfectus. Phalaris vero longe antiquior (nam obiit ann. ante Chr. nat. 552), Astypalaeae natus est illustri loco et opulentissimo patre. Et quum adolescentiam vix egressus prima stipendia faceret, adversus Leventinos strenue et feliciter rem gessit. Mox captus et benigne habitus, Leventinorum animos usque adeo conciliavit sibi, ut dux crearetur; tamen post multa ac magna facinora invidiam concitavit contra se et in exsilium pulsus est. Quamobrem apud Camarios se contulit, et benignissime, ut inter Leventinos, tractatus feminam nobilem duxit, quae Timocrati olim nupta Agrigentinorum duci, dehinc repudiata fuerat. Qua cohortante, Agrigentinos

quod acceperas, reddes? » Mutationem sapientis tantam natura non patitur; nam in pessima ab optimis lapsus, necesse est etiam in malo vestigia boni teneat. Nunquam tantum virtus exstinguitur, ut non certiores animo notas imprimat, quam ut illas eradat ulla
5 mutatio. Ferae inter nos educatae, quum in silvas eruperunt, aliquid mansuetudinis pristinae retinent: tantumque a placidissimis absunt, quantum a veris feris et nunquam humanam manum passis. Nemo in summam nequitiam incidit, qui unquam haesit sapientiae; altius infectus est, quam ut ex toto elui,
6 et transire in colorem alium possit. Deinde interrogo, utrum iste ferus sit animo tantum, an et in perniciem publicam excurrat? Proposuisti enim mihi Apollodorum et Phalarin tyrannum, quorum si naturam habet intra se malus, quidni ego isti beneficium suum red-
7 dam, ne quid mihi cum eo sit iuris amplius? Si vero sanguine humano non tantum gaudet et pascitur, sed et suppliciis omnium aetatum crudelitatem insatiabilem exercet, nec ira, sed aviditate quadam saeviendi furit, si in ore parentum filios iugulat, si non contentus simplici morte, distorquet, nec urit solum perituros, sed excoquit; si arx eius cruore semper recenti madet:

fines invasit, et omnium victor quae hostis opposuerat, urbe potitus est, et Agrigentinorum se principem nominavit. Notus est inprimis Phalaris aereo tauro, quem a Perillo Atheniensi fabricatum aiunt. Pers. Sat. III: *Anne magis Siculi gemuerunt aera iuvenci?* Apollodorum et Phalarin iunctim exhibitos videbis quoque in Cicer. de Natur. Deor. lib. III, cap. 82. Praeterea ad. Wyttenbachius ad Plutarch. de sera N. Vind. cap 8.

Nunquam tantum; sequor codd. Grut. qui non habent, *in tantum*.

Altius infectus.... possit. Vtitur verbis a purpurariis usurpare solitis, quae saepissime ad animum transferri notum est. Cf. Ruhnken. ad Timaei Lexic. plat. sub voce Ἀσυφοποιόν p. 75 sq. ed. II.

Si vero, etc. Haec et sequentia inprimis ad Phalarin spectant, eiusque bovem aheneum. Moneo verbo, quum quae Bentleius magnus de eo exposuit, in cuiusque harum literarum amatoris manibus sint, certe esse debeant.

Si arx eius cruore. Optime sic Grut. ex dubiis literis cod. Naz. *arcemque*

Digitized by Google

parum est huic beneficium non reddere. Quidquid erat, 8
quo mihi cohaereret, intercisa iuris humani societas abscidit. Si praestitisset quidem mihi aliquid, sed arma patriae meae inferret: quidquid meruerat, perdidisset, et referre illi gratiam scelus haberetur. Si non patriam meam impugnat, sed suae gravis est, et sepositus a mea gente, suam exagitat: abscidit nihilominus illum tanta pravitas animi; etiam si non inimicum, invisum mihi efficit: priorque mihi ac potior eius officii ratio est, quod humano generi, quam quod uni homini debeo.

XX. Sed quamvis hoc ita sit, et ex eo tempore omnia mihi in illum sint libera, ex quo, corrumpendo fas omne, ut nihil in eum nefas esset, effecerit: illum mihi servandum modum credam, ut si beneficium illi meum neque vires maiores daturum est in exitium commune, nec confirmaturum quas habet; id autem erit quod illi reddi sine pernicie publica possit; reddam. Servabo filium eius infantem; quid hoc benefi- 2
cium obest cuiquam eorum, quos crudelitas eius lacerat? pecuniam quae satellitem stipendio teneat, non subministrabo. Si marmora et vestes desideraverit, nihil oberit cuiquam id quo luxuria eius instruitur: militem et arma non suggeram. Si pro magno petet munere artifices scenae, et scorta, et

hanc emendationem exsculpsisse videtur, quam probat Lipsius. Erasmus: *si ars eius est cruor*. Muretus coniecit: *si ara eius cruore*. Virgil. Aeneid. lib. VIII, vs. 196 sq.: *Semperque recenti Caede tepebat humus, foribusque affixa superbis Ora virum tristi pendebant pallida tabo.*

Parum est.... reddere: quasi dicat, immo maleficium dandum est.

XX. Arg. Beneficia non nocitura, etiam tyranno, et furioso reddenda sunt.

Corrumpendo fas omne, quod antea dixerat, intercisa iuris humani societas.

Marmora et vestes, signa marmorea et purpureas vestes instar Verris apud Ciceronem.

Artifices scenae, histriones, mimos, τεχνίτας, τεχνίτας Διονύσου, τοὺς περὶ τὸν Διόνυσον τεχνίτας. Multi de iis

3 quae feritatem eius emolliant, libens offeram. Cui triremes et aeratas non mitterem, lusorias et cubiculatas, et alia ludibria regum in mari lascivientium mittam. Et si ex toto eius sanitas desperata fuerit, eadem manu beneficium omnibus dabo, illi reddam: quando ingeniis talibus vitae exitus remedium est, optimumque est obire ei, qui ad se nunquam rediturus est. Sed haec rara nequitia est, et semper portenti

egere, e. c. *Chishull* ad Antiquit. asiatic. p. 139 sq. cf. Philolog. Bibl. III, p. 139 sq. *Wesseling.* ad Diodor. Sicul. IV, 5. Si pro magno munere habebit artifices scenae: non enim emet ipsos, sed tanquam munus, beneficium accipiet, de quo hic sermo est.

Emolliant. Lascivire enim praestat, quam saevire, et huc se tyranni vertant. Quamquam et interdum minus viri graventur quorum in fortunas et terga saevitum eunt tyranni, quam si coniugum et liberorum corporibus persuperbiam ac libidinem inluserint. Vid. T. Liv. Hist. Rom. lib. III, cap. 45, in Icilii oratione ad Appium. Sed h. l. neque de coniugibus liberisve sermo est, sed de scortis, et a maritis ipsis non dicit coniuges offerendas, etiam si praestaret matronarum sanctitatem adulterari quam in cervices et vitam civium desaeviri. Caeterum quidquid in tali occasione potius videatur, neque nos statuimus quidquam, videtur h. l. Noster ad posteros respexisse et excusationem quodammodo adversus eos paravisse, qui obiicerent Stoico Acten oblatam Neroni, et rei literariae studium nimium imperatori iniectum. Nam minori Reipublicae damno inter obscoenos amores et poëseos umbratilis ludicra versari immansuetum et ferum principis ingenium, quam si parricida et incendiarius, in propinquorum, amicorum, Romanorum denique omnium caedes prorumperet.

Aeratas. Sic Erasmus in margine, ubi est: forte *aeratas*. In textu est *caeratas*, ut in omnibus codd. Mss. Sed recte Lipsius, cui praeiverat Brodaeus IV Miscell. c. 13 (in Gruteri Lamp. crit. Vol. II, p. 517) verius *aeratas* legi censet. *Ceratas*, si quis retinet, ait Lips., quia cera illini naves etiam soleant, nihil pro re dicit: de rostratis s. bellicis, aeratis, navibus sermo est, quas negat tyranno robur et subsidium mittendas.

Lusorias, aptas ad lusus et vagationes in mari quieto. Epist. IV, 5: *ubi luserunt navigia, sorbentur.*

Cubiculatas: θαλαμηγούς. Descriptas aliquas prodigiosas Maximo Tyrio I, p. 7 Reisk. habes. Navis thalamegi mentionem fecit Sueton. Caes 52: *Eadem nave thalamego paene Aethiopia tenus Aegyptum penetravit, nisi exercitus* etc. et Plutarch. περὶ ἀοργησίας. Talem, teste Athenaeo Dipnosoph. lib. V, p. 203, ed. Casaub. Ptolemaeus Philopator habuit, longitudine semistadii, latitudine triginta cubitorum, altitudine paulo minus quadraginta. Tali nave, vittata insuper, Platonem ad se venientem Dionysius tyrannus excepit.

Eadem manu..... reddam. I. e. e medio tollam.

loco habita, sicut hiatus terrae, et de cavernis maris ignium eruptio. Itaque ab illa recedamus: de his loquamur vitiis, quae detestamur sine horrore. Huic homini malo, quem invenire in quolibet foro possum, quem singuli timent, reddam beneficium, quod accepi. Non oportet mihi nequitiam eius prodesse: quod meum non est, redeat ad dominum, bonus sit an malus. Quam diligenter istud excuterem, si non redderem, sed darem? Hic locus fabulam poscit.

XXI. Pythagoricus quidam emerat a sutore phaecasia, rem magnam, non praesentibus nummis. Post aliquot dies venit ad tabernam redditurus, et quum clausam diu pulsaret, fuit qui diceret: Quid perdis operam? sutor ille quem quaeris, elatus, combustus

De cavernis.....eruptio. Cf. de Provid. lib. I, cap. 3.

XXI. Arc. Exemplum Pythagorici cuiusdam.

Pythagoricus, discipulus et assecla doctrinae Pythagorae, utrum unus ex iis, qui priori familiae pythagoricae adhaerescerent, an ex iis, qui diu post schola hac Alexandriae resuscitata Pythagorae disciplinam sequuti sint, ignoramus. Prius aevum huius philosophiae duravit usque ad Alexandri tempora: posterius effloruit Alexandriae et Senecae aevo adhuc viguit. Cf. *Brucker*, Histor. crit. phil. Tom. II, p. 864 sq. Si scriptorem incertum apud Phot. cod. 259 sequi malis, fuit hic Πυθαγορικὸς Pythagorae discipulus; scholiast. Theocrit. XIV, 5 pythagoricum exponit de assecla Pythagorae omnem curam in corpore poliendo ponente. Promiscue tamen haec nomina pythagoricus, pythagoreusque usurpari Romanis manifestum est, de discipulo Pythagorae quocumque, tum prioris tum posterioris aetatis. Confer. Christ. Wolf. ad Origenis Philosophumena, p. 45.

Phaecasia, ἡ φαικὰς, τὸ φαικάσιον calceorum candidorum et levium genus erat, idque sacerdotibus inprimis aegyptiis proprium, cf. ad Ep. CXIII, 2, quos Pythagoreos imitatos esse constat; neque mirum est, quod Pythagorici his calceis quoque usi sint. Hinc explico *rem magnam* (quod sequitur), i. e. magni ab eo factam.

Rem magnam. Sic cod. Naz. aliique et edd. Mirandum sane foret, nisi quidam codd. haberent *rem non m.*; qua quidem aberratione quid expeditius, quam abuti ad emendationem procudendam? Ecce cod. Col. qui alioqui non contemnendae fidei est, profert illam negationem, qua Lipsius statim utitur, et emendet *re non magna*. Sed condonandus hic emendandi pruritus est seni haud uno nomine venerando, non imitandus.

Quid perdis operam? Sic cod. Naz. Antea: *Quid perdis operam tuam?*

est. Quod nobis fortasse molestum est, qui in aeternum nostros amittimus; tibi minime, qui scis futurum
2 ut renascatur: iocatus in Pythagoricum. At philosophus noster tres aut quatuor denarios non invita manu, domum retulit, subinde concutiens. Deinde quum reprehendisset hanc suam non reddendi tacitam voluptatem, intelligens arrisisse sibi illud lucellum, redit ad eamdem tabernam, et ait: Ille tibi vivit: redde, quos debes. Deinde per clostrum, qua se commissura laxaverat, quatuor denarios in tabernam inseruit, ac misit, poenas a se exigens improbae cupiditatis, ne alieno assuesceret.

XXII. Quod debes, quaere cui reddas: et si nemo poscet, ipse te appella. Malus an bonus sit, ad te non pertinet. Redde: et accusa, non oblitus, quemadmodum inter vos officia divisa sunt; illi oblivio imperata est, tibi meminisse mandavimus. Errat tamen, si quis existimat, quum dicimus cum qui beneficium dedit, oblivisci oportere, excutere nos illi memoriam rei praesertim honestissimae; quaedam praecipimus ultra
2 modum, ut ad verum et suum redeant. Quum dicimus,

Tibi.... renascatur. Spectat ad animarum migrationem Pythagorae.

Tres aut quatuor denarios. Si haec aestimaveris ex denarii pretio in Senecae aetate, quatuor denarios vix erant 3 fr. nostrae monetae.

Subinde concutiens, denarios prae laetitia.

Clostrum, repagulum, ubi ianua male posti cohaerebat. Cf. Sagittarium de ianua vett. in Graevii Thes. Tom. VI.

Poenas cupiditatis; nempe quod gavisus erat, sutorem esse mortuum, seque summulam retinere posse impune.

XXII. Arg. Benefactorem beneficiorum oblivisci: bene meritum meminisse oportet.

Redde et accusa. Redde malo homini quod debeas, sed hoc officio tuo functo accusandi eum tibi ius remanet.

Quaedam praecipimus ultra modum.... redeant. Si hoc illi, qui systemata diiudicanda sibi sumpserint, recte et sobrie reputassent, multis certaminibus supersedere potuissent. Exemplaris enim ratio proponit, e. c. de moribus praecipiens, principiaque demonstrat sequendum suadentia atque iubentia; etsi vix ac ne vix quidem sperandum est, fore, ut homines istis exemplaribus similes fiant,

Meminisse non debet: hoc volumus intelligi, praedicare non debet, nec iactare, nec gravis esse. Quidam enim beneficium quod dederunt, omnibus circulis narrant; hoc sobrii loquuntur, hoc ebrii non continent: hoc ignotis ingerunt, hoc amicis committunt. Vt haec nimia et exprobratrix memoria subsideret, oblivisci eum qui dedit, iussimus: et plus imperando quam praestari poterat, silentium suasimus.

XXIII. Quoties parum fiduciae est in his quibus imperas, amplius est exigendum quam satis est, ut praestetur quantum satis est. In hoc omnis hyperbole extenditur, ut ad verum mendacio veniat. Itaque qui dixit,

Qui candore nives, anteirent cursibus auras:

etc. Petimus iniqua, ut hoc utar, ut obtineamus aequa. Lipsius illustrat his verbis: ut ligna curvamus, sed correcturi. Intellexit itaque de iterata repetitione, qua fit, ut animum tandem in rem dirigamus et praeceptis assuescentes vitam ad ea attemperemus. Enimvero spectant potius ad morem stoicum, dogmata sua insolito modo παραδόξως pronuntiandi et verbis suis maiorem vim speciemque praebendi, quam deinde ab adversariis captatam mitigare cogebantur, ut aliquoties vidimus.

XXIII. Anc. Earum rerum continuatio et explicatio. Hyperbolice nempe se loqui quum beneficii sui immemorem eum esse iubet qui alii contulit; porro hanc hyperboles naturam ut plus vero affirmetur, verum tamen et nihil ultra verum, sed nihil citra credatur.

Hyperbole. De hyperbole similia habet Quintil. VIII, 5 fin.: Quamvis est omnis hyperbole ultra fidem, non tamen esse debet ultra modum. Monere satis est, mentiri hyperbolen, nec ita ut mendacio fallere velit. Si tamen Noster hac comparatione Stoicos defendere posse sibi persuaserit, vereor ut multos naturam atque indolem poëseos et philosophiae callentes ad partes suas trahat: illa enim delectandi, haec docendi atque praecipiendi munus imponi sibi gaudet, illa imaginationis ope inprimis et phantasmatibus, ut animos audientium et legentium alliciat detineatque, utitur, et affectu prorepta hyperbolen hanc tantum usurpat, at in didactica, ubi docet, respuit; haec animi sobrietate et gravitate semper utens, forma tantummodo poëseos quadam adhibita atque hoc vinculo cum ea coniuncta, veritatem explorare et foras edere studet, atque ideo mendacia semper et hyperbolas repudiat.

Qui candore nives, anteirent cursibus auras. Versus est Virgil. Aen. lib. XII, vs. 84. Naso fusius eadem, Metamorphos. lib. XIII, fab. XXII: *Candidior folio nivei Galatea ligu-*

quod non poterat fieri, dixit, ut crederetur quantum plurimum posset. Et qui dixit,

Ilis immobilior scopulis, violentior amne:

2 nemini hoc quidem se persuasurum putavit, aliquem tam immobilem esse, quam scopulum. Nunquam tantum sperat hyperbola, quantum audet: sed incredibilia affirmat, ut ad credibilia perveniat. Quum dicimus, Qui beneficium dedit, obliviscatur: hoc dicimus, similis sit oblito: memoria eius non appareat, nec 3 incurrat. Quum dicimus, beneficium repeti non oportere, non ex toto repetitionem tollimus: saepe enim opus est malis exactore, etiam bonis admonitione. Quid ergo? occasionem ignoranti non ostendam? necessitates illi meas non detegam? quare nescisse se aut mentiatur, aut doleat? Interveniat aliquando admonitio, sed verecunda, quae non poscat, nec in ius vocet.

XXIV. Socrates amicis audientibus, Emissem, inquit,

stri.... Nec tantum cervo saevis latratibus acto, Verum etiam ventis volucrique fugacior aura. Non absimiles hyperbolas Martialis accumulat, lib. I, Epigr. CXVI: *Quaedam me cupit, invide Procille, Loto candidior puella cycno, Argento, nive, lilio, ligustro... Sed quamdam volo nocte nigriorem, Graculo, pice, noctua cicada.* Caeterum in versiculo Virgiliano commatis locum mutavimus et τῷ *anteirent* postpositum ante collocavimus. Namque *anteirent* h. l. duplicem sensum habet, hunc proprium et, ut aiunt, literalem, nempe cum τῷ *cursibus auras*, hunc vero secundarium et μεταφορικόν cum τῷ *candore nives*. Ergo melius fuit, inserto inter τῷ *nives* et *anteirent* commate, illud verbum ab hoc separare, cui non convenit nisi κατὰ μεταφοράν.

Et qui dixit, His immobilior.... amne. Id dixit modo exscriptus Naso in loco laudato (Metam. lib. XIII, fab. XXII, vs. 801). Qua in fabula multae similes comparationes congestae sunt per sexdecim versus quorum hi priores: *Candidior folio nivei Galatea ligustri, Floridior prato, longa procerior alno, Laevior assiduo detritis aequore conchis.*

Nunquam... audet. Non id credendum esse putat qui hyperbola utitur, quod ausus est dicere, sed id quod intelligit. Hiperbolae Noster personam dat.

Similis sit oblito. Dura praecepta ita lenire Stoici cogebantur.

Incurrat in oculos.

XXIV. Anc. Probat exemplo Socratis.

Socrates amicis audientibus, etc.

Digitized by Google

pallium, si nummos haberem. Neminem poposcit, omnes admonuit; a quo acciperet, ambitus fuit. Quidni esset? Quantulum enim erat, quod Socrates accipiebat? at multum erat, eum fuisse, a quo Socrates acciperet. Num illos castigare mollius potuit? Emissem, 2
inquit, pallium, si nummos haberem. Post hoc quisquis properaverit, sero dat; iam Socrati defuit. Propter acerbos exactores repetere prohibemus: non ut nunquam fiat, sed ut parce.

XXV. Aristippus aliquando delectatus unguento: Male, inquit, istis effeminatis eveniat, qui rem tam bellam infamaverunt! Idem dicendum est: Male istis improbis et importunis beneficiorum suorum quadruplatoribus eveniat, qui tam bellam rem, admonitionem inter amicos, sustulerunt! Ego tamen utar hoc iure amicitiae, et beneficium ab eo repetam, a quo

Quae Noster hic narrat de Socrate, nequaquam conveniunt cum iis, quae apud Xenophontem et Platonem occurrunt, et patre philosophiae verae indigna sunt. Inimico eius Aristoxeno, Sotioni apud Diog. Laërt. II, 74 aliisque, et inventionem et divulgationem talium fabularum perinde adscribas cum Meiners, ac nostrum excuses improba multorum Senecae coaevorum philosophorum vita. Cf. ad I, 8, 1 supra.

At multum erat, eum fuisse, a quo Socrates acciperet. Sic cod. Naz. Erasmi longobardicus, alii boni codd. mss. Omnino recte, ait Gronovius, qui recepit. Exempla ab eo adducta ad vim pronominis probandam nunc satis nota sunt. *Eum meruisse* in edd. ante Erasmum, qui ipse *emeruisse*, *a quo* habet, in margine tamen, *eum fuisse*, uti scripsi. Nemo habet *commeruisse*.

Num; Sic habent opt. codd. Nulli *non*; sed confusionem harum vocum iam notavimus solemnem.

XXV. Aug. Modeste beneficia repetere licet.

Aristippus, praestans ille Socratis discipulus et amicus, sectae cyrenaicae auctor, de quo egregius Wielandi liber, Aristippus legi meretur. Quae hic posita sunt, Diog. Laërt. II, 76 ubi vid. Menag. refert, at pleniora: κακῶς κακοὶ δ' ἀπόλοιντο οἱ κίναιδοι, οἵτινες καλὸν ἡμῶν ἅλειμμα διαβάλλουσι!

Quadruplatoribus. Accusatores sunt lucri causa, deinde de delatore et calumniatore quoquam dicitur. Cf. Ernesti Clav. Cic. h. v. *beneficium quadruplatoris* argute vocat, qui importune exigunt, et nisi affatim reponis, accusant.

Qui tam bellam rem, admonitionem est coniectura Gruteri e lectione cod. Naz. *quam bellarem admonitionem*. Antea: *qui tam bellam admonitionem*.

Digitized by Google

petissem: qui alterius beneficii loco accepturus est,
2 potuisse reddere. Nunquam, ne querens quidem, dicam:

> ..... Eiectum litore, egentem
> Excepi, et regni demens in parte locavi.

Non est ista admonitio: convicium est Hoc est in odium beneficia perducere: hoc est efficere, ut ingratum esse, aut liceat, aut iuvet. Satis abundeque est, submissis et familiaribus verbis memoriam revocare:

> Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam
> Dulce meum.

Ille invicem dicat: Quidni merueris? eiectum litore, egentem excepisti.

XXVI. « Sed nihil, inquit, proficimus: dissimulat, oblitus est; quid facere debeam? » Quaeris rem maxime necessariam, et in qua hanc materiam consummari decet, quemadmodum ingrati ferendi sint? Placido animo, mansueto, magno. Nunquam te tam inhumanus, et immemor, et ingratus offendat, ut non tamen dedisse delectet. Nunquam in has voces

Qui alterius. Qui hoc, nempe reddendi occasionem habuisse, tanquam novum beneficium accipiet.

Eiectum litore.... locavi. Versus sunt quibus Aeneam alloquitur *moritura crudeli funere Dido* in Virgilii Aen. lib. IV, 373, 374.

Non est ista admonitio: convicium est. Codice Naz. abest negatio *non*, aut *imo* post *admonitio*: nec Senecae familiaris est usus. Ideo expunxi. Fabricius in nott. mss. quas Io. Gurlittus vir amiciss. nobis communicavit in *Wiedeburg humanist. Magazin*, tom, V, 4, p. 348 interpunxerat: *non conv.*

Si bene quid de te merui,... meum. Et haec quoque Virgiliana Dido, quum mox profecturum Aeneam compellat, Aeneid. lib. IV, vss. 374, 375. Modestiam vero spirant verba et humilitatem, sive beneficia communia, hospitalitatem, alimenta, navigiumque restauraudarum facultatem commemorat, sive et amorem suum et furtiva connubia innuit.

XXVI. Arg. Quomodo ingrati ferendi sunt? Multi autem sunt, quia multi mali.

Sed nihil..., debeam. I. e. ille cui beneficium contulimus ita est ingratus ut nihil nostris admonitionibus proficiamus: dissimulat, se oblitum esse dicit. Quid cum eo est faciem-

iniuria impellat: Vellem non fecisse! Beneficii tui tibi 2
etiam infelicitas placeat. Semper illum poenitebit, si
te ne nunc quidem poenitet. Non est, quod indigneris
tanquam aliquid novi acciderit: magis mirari deberes,
si non accidisset. Alium labor, alium impensa deter-
ret: alium periculum, alium turpis verecundia, ne,
dum reddit, fateatur accepisse: alium ignorantia of-
ficii, alium pigritia, alium occupatio. Adspice, quem- 3
admodum immensae hominum cupiditates hient sem-
per, et poscant: non miraberis ibi neminem reddere,
ubi nemo satis accipit. Quis est istorum tam firmae
mentis ac solidae, ut tuto apud eum beneficia depo-
nas? Alius libidine insanit, alius abdomini servit,
alius lucri totus est, cuius summam, non vias spectat:
alius invidia laborat, alius caeca ambitione, et in
gladios irruente. Adiice torporem mentis ac senium, 4
et huic contrariam inquieti pectoris agitationem, tu-
multusque perpetuos; adiice aestimationem sui ni-
miam et tumorem, ob quae contemnendus est inso-
lentem. Quid contumaciam in perversa nitentium,
quid levitatem semper alio transilientem loquar? Huc 5

dnm? *Debeam* iu singulari dicit, pluralem *proficimus* antea usurpatum fuisse immemor.

Infelicitas. Mala et bono successu carens beneficii datio.

Ne, dum reddit, fateatur accepisse. I. e. Ne hoc ipso quia reddit se aliquid accepisse fateatur.

Lucri totus. Sic multi codd. et Erasmic. ed. margo: in eius textu est *lucrosus*. Sed Gruteri quinque codd. *lucritosus*, unde nostra lectio confirmatur, quae et magni Salmasii assensu gaudet ad Simplic. p. 17, laudati supra ad III, 4. b. Non mirum, quod doctior nostra lectio corruptioni occasionem dederit.

Cuius summam, non, etc. De summa tantum est sollicitus, qua via veniat, iure an fraude, an scelere nihil curat. Via autem lucri, via processus, via fraudis, consilii, etc. in usu erant.

Cuius summam, non vias spectat: est e cod. Nuz. et a Gronovio egregie confirmatur. Erasmi editio habet: *cuius summam non vinces*. Idem codex cum Col. deinceps: *ingladios irruente*; vulgg. *in gladios ruente*.

Ob quae contemnendus est. In iis ipsis insolescentem et se mirantem, ob quae despicere magis ius erat et deaestimare. Nonne in vanis imo et pravis plerique se attollunt?

Digitized by Google

accedat temeritas praeceps, et nunquam fidele consilium daturus timor, et mille errores, quibus volvimur; audacia timidissimorum, discordia familiarissimorum, et publicum malum, incertissimis fidere, fastidire possessa, optare quae consequi posse spes non fuit.

XXVII. Inter affectus inquietissimos, rem quietissimam, fidem, quaeris? Si tibi vitae nostrae vera imago succurret, videberis tibi videre captae quum maxime civitatis faciem, in qua omisso pudoris rectique respectu, vires in consilio sunt, velut signo ad permiscenda omnia dato. Non igni, non ferro abstinetur: soluta legibus scelera sunt: nec religio quidem, quae inter arma hostilia supplices texit, ullum impe-
2 dimentum est ruentium in praedam. Hic ex privato, hic ex publico, hic ex profano, hic sacra rapit: hic effringit, hic transilit, hic non contentus angusto itinere, ipsa quibus arcetur, evertit, et in lucrum ruina venit. Hic sine caede populatur, hic spolia cruenta manu gestat: nemo non fert aliquid ex altero. In hac aviditate generis humani, nae tu nimis fortunae communis oblitus es, qui quaeris inter rapientes referen-
3 tem. Si indignaris ingratos esse: indignare luxuriosos,

XXVII. Anc. Continuatio.

Quum maxime hoc ipso temporis momento. Cf. Ernesti Clav. Cic. h. v. *vires*, ius fortioris: quisque quantum potest, tantum audet et facit.

Nec religio, sacra apud hostes saepe, e. c. infulae praelatae, aut templa occupata eos sedarunt, aut arcuerunt: non ita in hac civili praedatione, ubi numen et iusiurandum calcatur. Captae urbis descriptionem invenies apud multos, e. c. apud Ciceron. ad Herenn. IV, 39. Virgil. Aen. II, 298 sq. Quintil. VIII, 3, 68. Horat. similis est, Carmin. lib. I, Od. XXXV: *Quid nos dura refugimus Aetas?.... Vnde manus iuventus Metu Deorum continuit? quibus Pepercit aris?*

Hic ex privato.... sacra rapit. Sic recentiores edd. sed in Lips. est *sacra*. Corruptus videtur locus: namque huius phraseos partes non bene inter se respondent: *hic ex privato.... hic sacra rapit.*

Angusto itinere. Si e. c. per fenestram, aut per foramen intraverit.

Digitized by Google

indignare avaros, indignare impudicos, indignare aegros deformes, senes pallidos. Est istud grave vitium, est intolerabile, et quod dissociet homines, quod concordiam, qua imbecillitas nostra fulcitur, scindat ac dissipet: sed usque eo vulgare est, ut illud nec qui queritur quidem effugerit.

XXVIII. Cogita tecum, an quibuscumque debuisti, gratiam retuleris, an ullum unquam apud te perierit officium, an omnium te beneficiorum memoria comitetur. Videbis quae puero data sunt, ante adolescentiam elapsa: quae in iuvenem collata sunt, non perdurasse in senectutem. Quaedam perdidimus, quaedam proiecimus, quaedam a conspectu nostro paulatim exierunt: a quibusdam oculos avertimus. Vt 2
excusem tibi imbecillitatem tuam, inprimis fragilis est memoria, et rerum turbae non sufficit: necesse est quantum recipit, emittat, et antiquissima recentissimis obruat. Sic factum est, ut minima apud te nutricis esset auctoritas: quia beneficium eius longius aetas sequens posuit; sic factum est, ut praeceptoris tibi non esset ulla veneratio; sic evenit, ut circa consularia occupato comitia, aut sacerdotiorum candidato, quaesturae suffragator excideret. Fortasse vitium, de 3

Est istud..., dissociet homines. Intolerabile sane est vitium ingratus animus, et inter vitia vel propter hoc eminet quod socialia vincula dissociet necessitatemque afferat hominibus, quos in unum sua imbecillitas redegerat, solitudinem iterum requirendi et ferarum ritu degendi.

XXVIII. Aug. Te ipsum noscendo facilius feres ingratum.

Quaedam perdidimus oblivione.

Proiecimus, ultro aspernati et obliti sumus.

Exierunt, tempore se subduxerunt.

Longius.... posuit, a te removit.

Praeceptoris.... veneratio. Cf. ad III, 3, 3.

Vt circa consularia; etc. Quum sis ipse senator. Nam inde a Tiberio magistratus non a populo, sed a senatu sunt creati. Tacit. Annal. I, 15 comitia (sc. ad creandos magistratus), ait, e campo in curiam translata. Cf. Plinii lib. III, Epp. CLVIII.

Sacerdotiorum. Nec enim unum uni tantum: plura cumulabantur.

Quaesturae, ut obliviscereris te quaesturam ambienti suffragio tuo affuturum.

quo quereris, si te diligenter excusseris, in sinu invenies. Inique publico irasceris crimini, stulte, tuo; ut absolvaris, ignosce. Meliorem illum facies ferendo, utique peiorem exprobrando; non est quod frontem eius indures: sine, si quid est pudoris residui, servet. Saepe dubiam verecundiam vox conviciantis clarior rupit: nemo id esse, quod iam videtur, timet: deprehensus pudor amittitur.

XXIX. Perdidi beneficium: numquid quae consecravimus, perdidisse nos dicimus? Inter consecrata beneficium est, etiam si male respondit, bene collatum. Non est ille, qualem speravimus: simus quales fuimus nos, ei dissimiles; damnum tunc factum, nunc apparuit. Ingratus non sine nostro pudore protrahitur: quoniam quidem querela amissi beneficii non bene
2 dati signum est. Quantum possumus, causam eius apud nos agamus: fortasse non potuit, fortasse ignoravit; fortasse facturus est. Quaedam nomina bona lentus

Crimini, stulte, tuo. Iniuste irasceris crimini quasi publico, dum, o stulte, illud crimen sive vitium est tuum ipsius.

Dubiam, nondum penitus proiectam.

Rupit. Totam in imprudentiam vertit, frena ei laxavit.

XXIX. Arg. Non semper beneficia pereunt.

Inter consecrata: in honorem deorum. suspensa, quae, etiamsi non consequamur id, cuius causa suspendimus aut consecravimus, tamen bene collocata sunt: quia optima voluntate res facta est.

Damnum tunc factum, nunc apparuit. Sic invenit Pinc. in uno codice receptum a Mureto. Editiones priores: *Damnum non tunc factum apparuit:* quod etiam est in cod. Naz. aliisque. Illa tamen Pinciani lectio haud dubie praeferenda erat. Noster haec sic mox exprimit: *Stulte, non nosti detrimenti tui tempora? perdidisti, sed quum dares. — Apparuit.* Nec nunc indignare: vetus iactura est, etsi iam emersit et se ostendit.

Protrahitur. A nobis in publicum protrahitur, accusatur.

Quaedam nomina, etc. quosdam debitores emendavit creditor, etc. hoc est interdum appellando, indulgendo, etc. Nam alioquin verum est, quod foenerator Alfius ap. Columell. 1, 7 dicere solitus est, optima nomina non appellando fieri mala. Cf. Bentl. ad Horatt. Epp. 11, 1, 90. Tom. II, p. 97 ed. lips.

Lentus ac sapiens. Sic omnes codd. dant. Bentleius tamen ad Horat. Epp. II, 1, 90. Tom. II, p. 97 lips. emen-

ac sapiens creditor fecit, qui sustinuit, ac mora fovit. Idem nobis faciendum: nutriamus fidem languidam.

XXX. Perdidi beneficium! Stulte, non nosti detrimenti tui tempora; perdidisti, sed quum dares: nunc palam factum est. Etiam in his quae videntur in perdito, moderatio plurimum profuit. Vt corporum, ita animorum molliter vitia tractanda sunt; saepe quod explicavit mora, pertinacia trahentis abruptum est. Quid opus est maledictis? quid querelis? quid insectatione? quare illum liberas? quare dimittis? Si ingratus est, iam nihil debet. Quae ratio est, exacerbare eum, in quem magna contuleris, ut ex amico dubio fiat non dubius inimicus, et patrocinium sibi nostra infamia quaerat? nec desit: Nescio quid est, quod eum, cui tantum debuit, ferre non potuit; subest aliquid. Nemo non superioris dignitatem quaerendo, etiam si non inquinavit, aspersit: nec quisquam fin-

dat *lentus ac patiens*. At *patiens* idem fere valet quod *lentus:* at *sapiens*, modo ne stoice sumas, locum suum optime tuetur.

Sustinuit. Iam hanc vocem monuimus pro *exspectare* aliquando usurpari, et Bilbilici versiculum exscripsimus: *Exspectes ac sustineas, Auguste, necesse est: unde tibi solvat non habet arca Iovis.*

XXX. Anc. Continuat.

Explicavit mora: quod quis lente extenuavit ac dissolvit, violenter trahens abrumpit, ut in filamentis mulierc ularum, quae Lipsius comparat, videre licet.

Liberas. Obligatione solvis, dum eum iam pronuntias ingratum, aut dum beneficium ipse exprobrando corrumpis et destruis.

Patroc. nostra infamia quaerat. Lagrange optime interpretatur: *Vos outrages lui serviront d' excuse.*

Nec desit: Nescio, etc. Sic Naz. aliique codd. qui vocibus duabus, quae vulgatas invaserant: *Nec desit, qui dicat*, carent. Neque sunt Senecae, cui subaudiri illa, vel τὸ *vox* aut *rumor* aut *sermo*, multo venustius est visum. Neque hic tantum commissuram eiusmodi applicuerunt. Haec Gronovius, qui exempla affert e lib. I cap. 3, ubi: «Num *dicam* quare tres Gratiae, etc.» Illa vero e lib. II, cap. 26, 1: «Nec *dicat* hoc mihi dedit:» et e lib. IV, cap. 40: Et ut breviter *dicam*, etc. cancellanda erant, ut fecimus; *querendo* omnes codd. et edd. habent; sphalma typogr. invasit edd. aliquot *quaerendo*. Laudat Gurlitt in Wiedeburgii *humanist. Magaz.* V, 4, p. 349 ad h. l. Horat. Sat. I, 4, 87.

gere contentus est levia, quum magnitudine mendacii fidem quaerat.

XXXI. Quanto illa melior via, qua servatur illi species amicitiae, et, si reverti ad sanitatem velit, etiam amicitia? Vincit malos pertinax bonitas: nec quisquam tam duri infestique adversus diligenda animi est, ut etiam vi tractus bonos non amet: quibus hoc quoque coepit debere, quod impune non solvit. Ad illa itaque cogitationes tuas flecte. Non est mihi relata gratia: quid faciam? quod dii omnium rerum optimi auctores, qui beneficia ignorantibus dare incipiunt, ingratis perseverant. Alius illis obiicit negligentiam nostri, alius iniquitatem; alius illos extra mundum suum proiicit, et ignavos, hebetesque sine luce, sine 2 ullo opere destituit. Alius solem, cui debemus, quod inter laborem quietemque tempus divisimus, quod non tenebris immersi confusionem aeternae noctis effugimus, quod annum curso suo temperat, et corpora alit, sata evocat, percoquit fructus, saxum aliquod

Magnitudine. Quis enim opinionem excedentia sine omni fundamento fingat?

XXXI. Ano. Amicitia erga ingratum conservanda, aut saltem amicitiae species.

Vi tractus. Sic Muretus, qui tamen in notis fatetur, *vitiatus* legi, uti quoque Erasmus, etc. habent, nec habere se quomodo emendet. Optimi codd. *iniuriatus* s. *iniuriam*. Esse locum corruptum aberrationes codd. monstrant: nam e *vitiatus*, quod mendosum est, *vi tractus* ortum est, non magis probum. Erasmus emendat: *iniuriam passus* s. *post iniuriam*: Lipsius: *ut etiam in iniuria bonos*. Meliores itaque codices praestolabimur. — *Vi tractus*. Illa pertinaci benefactoris bonitate attractus.

Impune, cui et iam hoc novi beneficii accessit, quod ingratitudo eius toleretur, imo transmittatur.

Ad illa. Nempe ad has sententias quae sequuntur.

Quod faciam? quod dii... auctores. Academicorum discipulus h. l. Noster magis quam Stoae. Nam Platoni Ethices haec basis fuit, Deos aemulari et ad illorum imaginem mente descriptam sese et suam vitam componere. Zenoni autem vitae norma officium, quod ultra nihil vidit. Ab officio omnia; officium necessitas est et suam in se causam continet.

Alius.... destituit: respicit Epicureos. Cf. supra lib. IV, cap. 19.

Saxum aliquod, ut Anaxagoras, Periclis et Euripidis praeceptor, qui omnes stellas nihil nisi μύδρους,

aut fortuitorum ignium globum, et quidvis potius quam deum appellat. Nihilominus tamen more optimorum parentum, qui maledictis suorum infantium arridenť, non cessant dii beneficia congerere de beneficiorum auctore dubitantibus: sed aequali tenore bona sua per gentes populosque distribuunt, unam potentiam sortiti, prodesse. Spargunt opportunis imbribus terras, maria flatu movent, siderum cursu notant tempora, hiemes aestatesque interventu lenioris spiritus molliunt; errorem labentium animorum placidi ac propitii ferunt. Imitemur illos: demus, etiam si multa in irritum data sint; demus nihilominus aliis, demus ipsis apud quos iactura facta est. Neminem ab excitanda domo ruina deterruit: et quum penates ignis absumpsit, fundamenta tepente adhuc area ponimus, et urbes haustas saepius eodem solo condimus.

lapidès s. massas candentes, ideoque solem μύδρον διάπυρον (Diog. Laërt. II, 8) sive λίθον διάπυρον (cf. Xenoph. Memor. Socr. IV, 7, 7. Plato. Apol. c. 14) esse contendebat.

Fortuitorum ignium globum. Epicuri, Xenophanis aliorumque fuit sententia. Cf. Lipsii Phys. lib. II, cap. 12. Deum quoque multae ac numerosissimae gentes Soli, Lunae et sideribus diu assimilavere. Quos inter Persae et Syrii principem locum occupant. Neque his etiam temporibus desunt qui solem adorent: nempe Persarum veterum pronepotes quibus nomen *Parsis*, vel *Guebres*. Quorum cultum, sacra, caerimonias, *Zabeismi* vel *Sabeismi* nomine percelebres, originem religionum cunctarum fuisse Nostras *Dupuis* contendit opere celeberr. cui titulus *Origine de tous les cultes.*

Quidvis potius quam deum appellat. Bossuet, *Tout était Dieu, excepté Dieu même.*

Nihilominus.... propitii ferunt. Aliquoties haec sapientissimo viro dignissima dicta iam vidimus summo gaudio perfusi, e. c. in hoc ipso opere, lib. I, 1, 9; II, 29, III, 25.

Neminem..... fundamenta tepente, non *repente*. Hoc *repente* sphalma typogr. est, quod edd. aliquot, e. c. Gron. invasit, recte monente Gurlitto.

Vrbes haustas, e. c. incendio, terrae motu, igne erupto. Ovid. Metam. lib. XIV, Fab. v: *Si quaeras Helicen et Buran, Achaidas urbes, Invenies sub aquis; et adhuc ostendere nautae Inclinata solent cum moenibus oppida mersis.* Apud Iudaeos Sodome, Gomorrha, Zeboïm, Phegor igne caelesti absumptae sunt. Ipsa in Italia Pompeii et Heraclea haustae et oppletae igneis cineribus. Tamen iis in regionibus fere cunctis historia docet

Adeo ad bonas spes pertinax animus est. Terra marique humana opera cessarent, nisi male cadentia iterum tentare libuisset.

XXXII. Ingratus est: non mihi fecit iniuriam, sed sibi; ego beneficio meo, quum darem, usus sum; nec ideo pigrius dabo, sed diligentius; quod in hoc perdidi, ab aliis recipiam. Sed huic ipsi beneficium dabo iterum, et tanquam bonus agricola, cura cultuque sterilitatem soli vincam. Periit mihi beneficium: iste omnibus. Non est magni animi, dare et perdere: hoc est magni animi, perdere et dare.

urbium deletarum loco, haud ita multo post excidium, recentes esse conditas urbes ad Vesuvium et Aetnam.

XXXII. Anc. Conclusio. Non cessandum est in dandis beneficiis: semper dandum, etiam ingratis.

Iste omnibus. Subaud. *periit:* omnes de eo spes conceptas dimiserunt, quia bonae frugis esse desiit: inter conclamatos iam est: *et imo Deiectus, summa rursus non bullit in unda.* Pers. Sat. III, vs. 34.

Digitized by Google

TABVLA

RERVM QVAE IN HOC SECVNDO SENECAE VOLVMINE CONTINENTVR.

DE PROVIDENTIA.

LIBER VNVS.... Argumentum . . . . Pag. 7
Textus et notae 9

DE CONSOLATIONE AD HELVIAM.

LIBER VNVS.... Argumentum 49
Textus et notae 53

CONSOLATIO AD MARCIAM.

LIBER VNVS.... Argumentum 109
Textus et notae 113

CONSOLATIO AD POLYBIVM.

LIBER VNVS.... Argumentum 183
Textus et notae 187

DE MORTE CLAVDII CAESARIS LVDVS.

Frid. Ern. Ruhkopfii praefatio 229
Argumentum 240
Textus et notae 241

Digitized by Google

Praemonitio, ex praefatione Ruhkopfiana . . 283
LIBER PRIMVS... Argumentum 286
Textus et notae 287
LIBER SECVNDVS. Argumentum 326
Textus et notae 327
LIBER TERTIVS.. Argumentum 382
Textus et notae 383
LIBER QVARTVS.. Argumentum 436
Textus et notae 437
LIBER QVINTVS.. Argumentum 500
Textus et notae 501
LIBER SEXTVS... Argumentum 552
Textus et notae 553
LIBER SEPTIMVS. Argumentum 612
Textus et notae 613

SECVNDI VOLVMINIS FINIS.

FACVLTATE OBTENTA.

6245

Digitized by Google